



EX
BIBLIOTHECA
J.F.J. HEREMANS







JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA.


JOANNES LUDOVICUS VIVES.
VALENTINUS.
Raph. Ximeno inv.
Joach. Fabregat inc.

JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA,

DISTRIBUTA ET ORDINATA

IN ARGUMENTORUM CLASSES PRÆCIPUAS

A GREGORIO MAJANSIO, GENER. VALENT.

CAROLO III. Hispan. Regi a Consiliis, et Honorario XII. Viro Litibus judicandis in Urbe, et Domo Regia.

ITEM

VITA VIVIS SCRIPTA AB EODEM MAJANSIO.

LIBERALITER EDITIONIS IMPENSAS SUFFICIENTE

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D.D. FRANCISCO FABIAN ET FUERO,

ARCHIEPISCOPO VALENTINO,


Equite Prælato Signato Magna Cruce Insignis Regalis Ordinis CAROLI III.

TOMUS I.



VALENTIÆ EDETANORUM.

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT, EXC.mi ET ILL.mi DOMINI Archiepiscopi Thypographi. Anno M.DCC.LXXXII.



EXC.^mo ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. D. FRANCISCO FABIAN ET FUERO,

ARCHIEPISCOPO VALENTINO,

EQUITI MAGNÆ CRUCIS ORDINIS

CAROLI III.

GREGORIUS MAJANSIUS, GENEROSUS VALENT.

S. P. D.

EXc.^me et Illustrissime Domine, Multæ causæ me obstringunt ut Tibi dedicem Opera omnia Joannis Ludovici Vivis Valentini. Primum, quia Tibi grata fore confido, quoniam multis ab hinc annis ejus lectioni deditus fuisti; eamque magnopere propagasti exemplo Tuo. Deinde, quoniam ea valde fovet Christianam Pietatem, Caritatemque. Præterea, quia acutissimo quodam disputan-

¶ 2 di

di genere adolescentium studiosorum ingenia mirum in modum acuit. Plerique Vivis lectores (loquor de iis, quos ego novi) eum æstimant propter Dialogos Exercitationis Linguæ Latinæ, qui ingeniose, perspicue, et populari sermone scripti sunt, quos in pueritia sua legerunt, et fortasse etiam memoriæ utiliter mandarunt. Si vero cetera Vivis Opera merito suo æstimentur, alia ingenium acuunt ut ea quæ scripsit de rebus dialecticis.

Alia ad veritatem indagandam viam aperiunt, ut quæ Metaphysice tractavit.

Alia, licet magno ingenio scripta sint, extraordinario ingenio non indigent ut intelligantur, quia stilo perspicuo exarata sunt.

Alia, Argumentorum, de quibus agitur, affinitatem inter se ostendunt.

Alia denique, bene cogitandi, optimeque vivendi rationem proponunt.

Quapropter minime dubito celebraturos omnes Supremi Senatûs Regii Consilium, quod Tibi commisit curam colligendi, emendandi, publicandique omnia Vivis Opera, in quibus Lectorum desiderio, et expectationi plenissime satisfecisti.

Qua-

Quamobrem, cum undique Lectores excitaveris ad Vivis utilissima Opera legenda, quæ vel ab initio publicationum suarum jam erant parum frequentia; et postea facta sunt rara, celebrari debes ab omnibus, qui liberalitati Tuæ debebunt exemplarium copiam, et facilitatem legendi Opera tam utilia, conjuncta cum eruditione selecta, et mascula eloquentia.

Ad Te vero quod attinet, cui illa ego destinavi dedicanda; ¿quid dicam et prædicabo, ut de Tuo merito digne loquar? nisi Te Virum esse varia et multiplici eruditione ornatum, et in Sancti Thomæ doctrina optime versatum, ut aperte videtur in Catalogo Controversiarum, et Resolutionum, quas concinnasti, et proposuisti in laborioso libro, quem inscripsisti *Quæstionarium*. Quo non fuisti contentus; et (ut paucis verbis multa complectar, atque, ut ex ungue, ut ajunt, leonem indicem) ex uno laudabili Tuo facto, eoque notisimo, cupio ut alia omnia discantur. Scilicet, Pueros videbamus antea nihil aliud per vicos alta voce cantillare solitos, nisi cantiunculas ineptas, obscœnas, atque nefarias. Per Te vero effectum est, ut nullas alias privatim, et publice cantent, nisi Orationem Do-

mi-

minicam, Angelicam, aliasque pias, quibus ipsi docent Doctrinam Christianam, non solum suos coætaneos, sed suos etiam Parentes.

Quare jure merito hæc Vivis Opera, eruditissima, piissima, atque bonæ frugis abundantissima, Tibi dedico; et ex animo gratulor, hujus Editionis proventum a Te esse destinatum alendis pauperibus Domûs Misericordiæ hujus Urbis Valentiæ: in quo eorum egestati, pariterque ingeniorum paupertati liberalissime succurristi. Quod Deus Optimus Maximus beneficiis suis gratuitis, et immortalibus, Tibi remuneretur, ut merita Tua, quæ præcipue sua sunt, honorifiscentissime, ac gloriosissime coronet. Valentiæ Edetanorum IX. Maii, Natali meo. Anno a Jesu Christi Nativitate. M.DCC.LXXXI.

IDEA EDITIONIS

OMNIUM OPERUM


JOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI,

PRÆMISSA BENEVOLIS LECTORIBUS

A GREGORIO MAJANSIO GENEROSO VALENTINO,

ET DUODECEMVIRO LITIBUS JUDICANDIS

IN URBE ET DOMO REGIA.



Ispania tulit quatuor Viros ceteris quibuslibet sapientiores, scilicet, Joannem Ludovicum Vivem Valentinum, Benedictum Ariam Montanum Hispalensem, Antonium Augustinum Cæsaraugustanum, et Ludovicum Legionensem Granatæ natum; Vives fuit primus, qui viam aperuit, monstravitque ad conjungendam Pietatem Christianam cum Eruditione selecta, copiosa, et perspicua; Arias, linguarum cognitione et mirabili sapientia usus est ad verum Sacræ Scripturæ sensum cum sermonis puritate eruendum; Augustinus, utriusque Jurisprudentiæ fuit Coryphæus; et Legionensis, Hispanæ linguæ solutæ atque ligatæ fuit artifex peritissimus.

Ut nunc solum de Vive agam, Regius et Supremus Castellæ et totius Hispaniæ Senatus, virtuti et sapientiæ favens, plenissimam facultatem dedit Excellentissimo et Illustrissimo Domino, Don Francisco Fabian et Fuero, Archiepiscopo Valentino, Æquiti Prælato, Magna Cruce insignito Regii Ordinis Caroli III. Vivis insigni amatori, ut omnia ejus Opera edita et inedita diligenter colligi juberet, ac in examen revocaret secundum judicium, et arbitrium suum, prout melius ei videretur, ac pro tanti Viri dignitate prelo commiteret: cumque Vir liberalissimus in animum induxerit Editionis proventum destinare alendis Pauperibus

Domûs Misericordiæ Urbis Valentiæ, quam mirifice fovet, posteaquam exacte superiora præstitit temporibus subcisivis, magni hujus et honorifici negotii executionem diligentiæ meæ commisit; in cujus obsequium, et in Vivis gratiam facere cupio, non quidem ea quæ superiora sint meis viribus propter ætatem jam imbecillis, sed quæcumque alia præstare potero consilio, et bona voluntate.

Valetudo mea non sinit, me nunc annosum iterum legere Vivis Opera, quæ, quum essem adolescentulus, legi, adnotavique satis diligenter: indicabo solum quæ visa mihi sunt necessaria, ut Editio sit correcta, et probabilis hominibus non fastidiosis.

Sufficit renovare Episcopii Basileensem anni M.D.LV. additis Operibus quæ in ea desunt; præsertim cum Episcopius curaverit diligenter Editiones auctiores, et emendatiores præferre: in quibus nulla Præfatio, neque Dedicatio desiderabitur.

Ante omnia maxime providebitur, ut nulla Propositio reperiatur, quæ Christianæ Religioni non sit consentanea, et ut simul sit salva tanti viri fama, quæ (absit invidia vero) illius Pietati eximiæ debet esse conformis.

Fortasse unius aut alterius Lectionis Testimonium Sacrorum Librorum a recepta postmodum Sixtina Lectione levissime absque veri sensûs detrimento vel minimo discrepabit; sed utile erit non ignorare communem aut frequentem Catholicorum Lectionem, quæ illo tempore vigebat; qualem videmus observari in Operibus Sanctorum Patrum Græcorum Latinorumque, salvo semper vero sensu Sacrorum Librorum.

Relinquamus igitur intacta hujusmodi Testimonia, et potiore ratione etiam ea, quæ Vives allegavit ex profanis Scriptoribus, quæ postea sæpissime sunt emendata a quamplurimis Criticis, vel antiquorum exemplarium ope, vel sagaci ingenio.

Poëtarum Versus aut adnotavi ex quibus Poëtis desumti fuerunt, aut, si ipse Vives Auctores nominavit, illos signanter indicavi.

Adnotationes Vivis in Virgiliana Opera subsequentur.

Ada-

Adagia Hispana, quorum Vives fuit studiosus, diligenter adnotavit dilectissimus Frater meus, Joannes Antonius, Ecclesiæ Valentinæ Canonicus. Indicavit idem Testimonia, quæ describi debent litteris, quas vocant Italicas, aut, ut ita dicam, Cursivas, quia cursim scribuntur, ut a contextu distinguantur.

Epistolarum Collectio erit abundantissima, et temporum serie ordinata.

Singuli Libri conservabunt pristinum Rerum, ac Verborum Indicem, ut quilibet Lector eum habeat in manu sua; sed Index Generalis omnium Operum facile augebitur, consultis descriptisque Notatiunculis meis appositis ad eorundem margines: atque ita erit copiosior et commodior singulorum argumentorum Inquisitio et Inventio.

Editionis Correctioni præerunt qui aptiores mihi visi sunt; merces quidem multa, bonum scilicet Nomen; Operarii autem, pauci: nolui eos exquisitis præceptis onerare, sed necessaria solum indicare.

In fine adjicientur nonnullorum Vivis Operum Translationes in linguam Hispanam.

Charta erit magnæ formæ, firma, et æqualis, Operis magnificentiæ conformis.

Ornamenta erunt gravia, decentia, et nullo modo affectata.

Litterarum forma, nova, et nitida; neque parva, ut Lectorum oculos non offendat, neque magna, ut Editionis moles non excrescat.

Procul aberunt floridi illi et inepti litterarum Characteres, visum perturbantes.

Unusquisque Corrector eliget Socium, quo audiente et vidente Editionis Specimina, singula ipse legat, et corrigat Errata; et postea alius Corrector servabit idem vicissim: ita facile fiet, ne ullum mendum typographicum eorum oculos effugiat.

Hæc ego perficerem per me ipsum, si recte valerem; sed, cum sim corpore infirmo, solummodo præscribere possum quæ censeo facienda.

Argumenta Præcipua et Generalia in certas distinctasque Clas-

ses distribuentur, quæ neque paucæ sint, neque nimis multæ: sic in omnium Operum Partitione, neque anxie diligens, neque nimius esse volo.

Vivis Vitam publici juris faciam, scriptam meliore modo quo potero: hæc si ita fiant, *Contenti erimus hoc Catone.*

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI
OMNIUM OPERUM ARGUMENTA PRÆCIPUA
et Generalia distributa in certas distinctasque Classes.

AD SAPIENTIAM INTRODUCTIO.

ROGATIVA AD DEUM.

EXcitationes Animi in Deum.
Præparatio Animi ad Orandum.
Preces et Meditationes Diurnæ.
Preces et Meditationes Generales.
Commentarius in Orationem Dominicam.
In Psalmos, quos vocant Pœnitentiæ, Meditationes Septem.

G*RAMMATICA.*

De Ratione Studii Puerilis, Pars prima.
Altera Pars de Ratione Studii Puerilis.
Exercitatio Linguæ Latinæ cum Interpretatione Petri Mottæ Complutensis, et Indice Latino Hispanico Joannis Ramirezii.
Joannis Thomæ Freigii Notæ eandem Exercitationem illustrantes.
Mathiæ Martini Notæ Philologicæ ac Morales ad eandem Exercitationem.

Hæc

Hæc postrema duo Opera Majansius desiderat: et Lectores benevolos rogat, ut, si ea apud se habent, communicare secum velint.

PHILOLOGICA.

In Allegorias Bucolicorum Vergilii Præfatio.
In Bucolica Vergilii Interpretatio.
Prælectio in Georgica Vergilii.
In Convivia Francisci Philelphi Prælectio.

RHETORICA.

In Quartum Rhetoricorum ad Herennium Prælectio.
De Ratione Dicendi Libri Tres.
De Consultatione Liber Unus.
De Conscribendis Epistolis.
Declamationes.
Veritas fucata, sive de Licentia Poetica.

PHILOSOPHICA.

De Initiis, Sectis, et Laudibus Philosophiæ Liber Unus.
In Aristotelis Opera Censura.
In Pseudo-Dialecticos.
De Disputatione Liber Unus.
De Instrumento Probabilitatis.
De Explanatione cujusque Essentiæ Liber Unus.
De Censura Veri in Enuntiatione Liber Primus.
De Censura Veri in Argumentatione Liber Secundus.
De Prima Philosophià, sive de Intimo Naturæ Opificio Libri Duo.
De Anima et Vita Libri Tres.

MO-

MORALIA.

Fabula de Homine.
Anima Senis, sive Prælectio in Librum Ciceronis de Senectute.
Sapiens.
Satellitium Animi.
De Subventione Pauperum cum Joannis Moyardi Cartusii Annotatiunculis.
De Concordia et Discordia Libri Quatuor.
De Institutione Feminæ Christianæ.
De Officio Mariti.

LEGALIA.

Ædes Legum.
In Leges Ciceronis.

POLITICA.

Isocratis Areopagitica Oratio, sive de Vetere Atheniensium Republica Oratio, Vive Interprete.
Isocratis Nicocles, sive Auxiliaris, eodem Vive Interprete.
Somnium, quæ est Præfatio in Somnium Scipionis Ciceroniani.
Vigilia in Somnium Scipionis.
De Conditione Vitæ Christianorum sub Turca.
De Pacificatione Liber Unus.
De Communione Rerum ad Germanos Inferiores.

HISTORICA.

De Bello Turcico.
De Gotis.
In Suetonium Quædam.
Descriptio Temporum et Rerum Romanarum, sub Joannis Warsenii nomine: qui Liber desideratur a Gregorio Majansio.

CRI-

CRITICA.

De Corruptis Artibus Libri Septem.
De Tradendis Disciplinis, sive de Doctrina Christiana, Libri quinque.
Vincentii Placii Animadversiones in Ludovici Vivis Libros de Causis corruptarum Artium.
Hic Liber a Majansio desideratur.

CHRISTIANA.

De Tempore quo natus est Christus.
Genethliacon Jesu-Christi.
Christi Jesu Triumphus.
Clypei Christi Descriptio.
Veritas Fucata in Triumphum Christi.
Virginis Dei Matris Ovatio.
De Sudore Domini Nostri.
Meditationes de Passione Christi.
De Veritate Fidei Christianæ Libri Quinque.

EPISTOLICA.

In quibus Vivis Epistolæ legentur, et aliorum ad Vivem, temporum ordine servato.

S. AURELIUS AUGUSTINUS

DE CIVITATE DEI.

Cum Commentariis Joannis Ludovici Vivis Valentini.

OPE-

OPERA VIVIS

IN HISPANAM LINGUAM TRANSLATA.

Instruccion de la Muger Christiana, Traducida por Juan Justiniano.

Introduccion, i Camino para la Sabiduría. Su Traductor, Francisco Cervantes de Salazar.

Introduccion a la Sabiduría, Traducida por Diego de Astudillo.

Dialogos de la Lengua Latina. Su Traductor, el Dotor Christoval Corèt i Peris.

Tratado del Socorro de los Pobres, Traducido por el Dotor Juan de Gonzalo, Nieto, Ivarra.

Si quis præter Vivis commemorata Opera habet aliquod aliud ejusdem Auctoris, optat Majansius ut sibi copiam faciat ad Lectorum gratiam uberius colligendam.

EPIS-

EPISTOLA NUNCUPATORIA
EDITIONI BASILEENSI PRÆFIXA.

DOCTRINA ET VIRTUTIBUS
PRÆSTANTISSIMO JUVENI
M. DANIELI WIELANDO,
VIRO CLARISSIMO,

D. HULDRICHI REIPUBLICÆ MULHUSANÆ
Protonotarii filio, amico ex animo dilecto suo

HULDRICHUS COCCIUS

S.

SIcut rerum naturalium in mundo hoc sublunari comparata conditio est, ut ad corruptionem interitumque assidue tendant, et novam in dies restaurationem proinde requirant: ita vel maxime in iis quæ hominum industria artificioque excogitata et elaborata, adque vitæ usum salubria et necessaria sunt, evenire experimur. Nam ut de monumentis illustribus in litteris et disciplinis melioribus dicamus, obscurum non est quot et quàm graves ruinæ inciderint: quæ etsi nec ignibus conflagrarint, nec aquarum illuvionibus, aut bellicis denique barbaricisque vastationibus, quales quamplures ab historicis luctuosissimæ commemorantur, absumpta sint; vetustate tamen ipsa, perque nimis obtinentem hominum circa hæc incuriam neglectumque, situ tamen pulveribusque ceu arrosa putrescentiaque periere: ut huc illud Poetæ vere competat:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis: vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

De-

Deplorant hanc cladem præstantissima quæque, humanæque incolumitatis studiosa ingenia, habitura luctum in diem et graviorem et acerbiorem, nisi manus sedulæ vel ad reliquiarum quæ supersunt Dei beneficio, conservationem certatim adhibeantur, sicut pridem Theophrastum post Aristotelem, et post hunc Neleum circa bibliothecas præclare instructas, fecisse refert Strabo lib. Geograph. 13. Quorum studium si posteri zelo pari, fideque sectati essent, lucerent passim ingentes, solertique huic seculo erudiendo accommodi majori in copia sapientiæ thesauri. Sed præter calamitates quas dixi, etiam hæc accesserunt mala, ut alii odio in litteras pro virili eas conculcarint: alii segnes ac inertes per contemptum habuerint, et ceu ad vitam infrugifera, planeque πόνιπλά studia neglexerint, et denique ut viriles animos dissolventia damnarint: alii vero suis inventionibus, iisque plerunque frivolis, delectati, veterum doctrinam ceu exoletam postposuerint. Atque inde factum est, ut in Artibus, Philosophia, Medicina, Jurisprudentia, et sacræ Theologiæ professione, tum oratoria, historiis, optima quæque scripta desideremus, et poetarum, tragicorum maxime, pars magna interierit.

Neque hi hostes minore clade Rempublicam litterariam affecerunt, quàm milites ii qui in bello Alexandrino millia septingenta voluminum combusserunt, sicut Gellius queritur. Neque graviora damna Barbari in Italiam aliasque Europæ nationes irruentes attulerunt Christianis, quorum bona deprædabantur, et corpora violabant, quàm hi sanæ mentis hominibus, quos privarunt monumentorum beneficio, quibuslibet censibus fortunisque ipsis optatiore et antiquiore, digni omnium mortalium odio et execratione, utpote in universam semel humanitatem, pietatemque injurii. Sed et indicium hoc certum indignationis Divinæ fuit, pecca-

catis ingratitudinique hominum debitæ, et eventus calamitatis tantæ, precium certe litterarum usumque probavit. Neque enim solæ litteræ collapsæ sunt, sed religionis puritas et morum disciplina simul interiit, inundante per proxima mox secula incredibili hominum in supremis etiam ordinibus cæcitate, vitiorumque obtinente dominatum: sicut id docent quæ de temporum procursu ex vero scribuntur historiæ.

At enim ubi ex alto iterum voluit suæ in nos miserationis viscera effundere, solemque justitiæ vitæque Christum Jesum patefacere miseris, dedit idem ut lucubrationes partusque ingeniorum vel ex parte haberemus cariosis in monumentis squalidisque inventos, et quoad fieri potuit ad splendorem pristinum propemodum detersos. Atque in hoc ipsum servivit plurimum calcographiæ reperta peritia omnibus retro seculis ignota. Stupendum profecto et singulare benignissimi Creatoris munus, ut quo ceu via strata est et præparata vehicula ad invulgandam, provehendam, dilatandam in omnes usque terrarum angulos recti verique notitiam. Et quanquam jacturam ingentem monumentorum deploramus, habenda tamen gratia Domino est, una cum litteris pietatem et sapientiam hodie restituenti, conatusque communis adversarii infringenti, quem id unum architectari certum est sine fine, ut bonarum artium, doctrinarumque studio vel pessundato penitus, vel corrupto saltem, in sinceram religionis doctrinam possit nemine resistente grassari. Sic etenim quum tenebras plusquam Ægyptiacas invexerit, si pro voto succedat, tum magna jucunditatis solatiique portione hominem in hac vita privaverit, certumque toti generi exitium pepererit.

Quamobrem, ut plurimorum sive supinitatem sive proterviam et injurias, circa litterarum monumenta merito dam-

namus; ita meritis laudibus prosequimur eorum studia, sedulitatem et fidem qui vel in veterum lucubrationibus restituendis laborant, easque in lucem curant evulgandas, et ceu a mortuis revocant, vel (quod locupletum est, et priscis Romanorum Ægyptiorumque Regibus usurpatum) precio quovis comparatas in bibliothecas referunt, vel etiam qui suas inventiones ad juvanda excitandaque discentium ingenia adjiciunt, quando nec hodie effœta est animorum industria et facultas ut non edant partus, eosque præstantes et utiles fovendæ eruditioni. Et solent esse non raro δεύτεραι φροντίδες ἀμείνονες. Neque enim parum bene de humano genere tales mereri agnoscendi sunt, quorum beneficentiam posteritas plenius indubie incorruptiusque et æstimabit et prædicabit. Porro eorum in numero non postremum locum Joannes Ludovicus Vives habet, cujus opuscula variis et locis et temporibus edita in manibus habentur, suo illa singulari genio illustria, quem Martialis in quovis victuro libro requirit. Licet autem publicata illa hinc inde extent, periculum tamen erat, ne dum frustulatim dissecta, nec in unum corpus redacta compactaque, varie distraherentur, eandem sortem haberent quam alia celebrium auctorum tum in sacris tum prophanis scripta, hoc est ut tandem vix superessent fragmenta mutila.

Neque enim ignoramus quid primariis æternitateque dignis historiis evenerit. Nam Titus Livius cum historiam contexuerit a Roma condita usque ad sua tempora, in quæ Augusti principatus incidit, minimam ejus partem reliquam esse docent Decades paucæ extantes, et Flori epitome. Trogus deinde Pompejus, cum libros quadraginta conscripserit non tam de peculiari gente, quàm orbe fere universo, totus interiit, et præter Justini compendium nihil invenitur reliqui: sicut de Polybii quadraginta libris, quinque solum re-

remanserunt. De librorum Aristotelicorum, Galeni, Origenis, Salomonis item De naturalib. conscriptorum, quorum 3. Regum 4. fit mentio, interitu, dicere supersedeo, quia nihil magnopere deplorando proficitur. Ceterum quod præsentem auctorem attinet, verbosus non ero, ut qui nihil opus habet hedera suspensa, per se abunde laudatus, et optimo cuique commendatissimus, meruit jam antea dum in vivis ageret, haud obscurum inter scriptores quamlibet eminentes locum. Certarunt enim in illo ingenii ad inveniendum promptitudo, judicii sanitas, et singularis denique omnia tradendi dexteritas et felicitas, id quod cuivis legenti facile patebit. His accessit studium assiduum, et labor indefessus, non in uno solum doctrinæ genere expoliendo, sed toto philosophiæ cursu absolvendo, non sine successu illustri, quibus, quod primum est, sacrorum meditationem piam assiduamque conjunxit.

Neque piguit interim virum altioribus natum, etiam ad minutissima et prima ceu elementa doctrinarum sese demittere, quo juventutem imbueret veræ sapientiæ pietatisque crepundiis: atque ex disciplinis a veteribus ad nos usque transmissis, præstantiora quæque usuique futura eligere, implicata atque infrugifera vitare docuit studiosos, quo apis instar ex omnis generis doctrinarum floribus succum non nisi exquisitissimum et saluberrimum, extrahant et hauriant; neque probavit perversam eorum in discendo ratione, qui quicquid alii dixerunt, sine discrimine prehendunt tenentque mordicus: sed judicium adhibendum fidele censuit, monuitque in disquirenda cujuslibet rei propositæ natura, causas effectusque considerare, tum quibus ex fontibus, per quæ media, et ad quos fines citra ambages perveniatur, notare, quo certa dicendi atque docendi constare methodus possit. Neque injuria vehementer improbavit receptum quibusdam mo-

rem, qui otiosis contemplationibus perpetuo occupantur, et in iis tamquam ad Syreneos scopulos consenescunt. Sed censuit, omnem acquisitam doctrinam ad nominis Dei gloriam proximique emolumentum referendam esse, quo universis vitæ actionibus idipsum exprimerent, quod rectum ipsi decensque studiorum usu didicerunt, atque aliis præscripserunt, sicut de Origene Adamantio Eusebius scribit.

Quia autem de singulis libris censuram assignare hic præliminaris Epistolæ brevitas non admittit, recitabo tantum clarissimi doctissimique viri Conradi Gesneri verba, quæ inter cetera, ubi Vivis in sua bibliotheca meminit, ita habent in genere: *Joannes Ludovicus Vives, Valentinus, natione Hispanus, intra annos paucos nobilissimas aliquot lucubrationes docte prorsus et accurate conscriptas edidit, in quibus eloquentiæ sapientiam ita conjunxit, ut nemo etiam eruditus non cum aliquo fructu earum se lectionem hausisse fateatur: obiit nuper (Brugis opinor in Germania inferiore) magno sui desiderio studiosis relicto, nec unquam famæ ejus gloria, idque merito quantum ad sapientiæ cultum, immortalis esse desinet.* Hæc ille. Cui sanctissimus vir Conradus Pellicanus in Præfatione v. tomi astipulatur. Nam cum studiosis commendasset multis nominibus libellum hujus auctoris quem Introductionem ad veram sapientiam vocat, de reliquis sic scribit: *Cujus viri optimi lucubrationes quas vidi, sic arrident probanturque, ut cupiam legi ab omnibus. Utinam sacrarum litterarum tractatio virum aliquando inveniat, qui sic prosit simplicioribus, ut eruditissimis quoque hominibus placere vehementer possit, stiloque neutiquam contemni: qui eruditioni absolutissimæ junxisse videatur Christianissimam pietatem.* Ac horum quidem duorum testimonio illustri (infinitos namque alios omitto) satis quisque litterarum amore

fla-

flagrans animus excitabitur, ut sibi ex hoc opere et digna et utilia cognitu polliceatur, plura reperturus in recessu, quàm promittantur in fronte.

Habes ergo et Tu Wielande carissime opus longe pulcherrimum, sedula ac diligenti Nicolai Episcopii Junioris opera impendiisque excusum, quod Tuo nomini dedicare visum est, ut in eo, quantum per reliqua studia aliasque occupationes licet, velut in prato variis odoriferisque referto floribus, non solum jucunde recreeris et reficiaris, sed animi judicium auctoris eminentissimi lectione formes, rerumque pulcherrimarum cognitione expleas, atque Te ipsum prudentia virtutibusque vincas, haud vulgare ornamentum patriæ futurus, et cumprimis Ecclesiæ Christi civis vera pietate zeloque Dei insignis. Sic et quod in Academia nostra bonarum liberaliumque artium et philosophiæ nomine testimonium consecutus es, virtutibus ipse Tuis constantique sedulitate amplifices. Ac recte, mea quidem sententia, feceris, si Juris civilis, cui Te nunc addixisti, studiis, hunc nostrum quem ad Te transmittimus, aliosque ejus generis notæ melioris auctores lectione assidua verses, ut quibus legum verus publicoque bono subserviens usus egregie solideque docetur. Per cetera mi Daniel, licet calcaribus non eges, ex amoris tamen abundantia Te hortor et precor, felici ut in cursu Tuo graviter pergendo satagas, et quam Tibi Servator Dominus liberalem sortem misericorditer concessit per animi fortunæque munera, sic agnosce, ut ea noveris ad ejus qui dedit nominis supremi sanctificationem, publicumque multorum emolumentum, referenda esse, rationem ab exacto brevi hujus vitæ spatio, dispensationis Tuæ redditurus. Erit Tua virtus constansque pietas et sedulitas cum amicis omnibus gratissima, tum maxime omnium parenti Tuo, viro prudentia auctoritateque præstanti, deque litteris et pie-

ta-

tate optime merito, nobisque omnibus unice colendo Huldricho Wielando, cujus senectutem haud levi ex parte sublevabis, si Te filium innocentia vitæ et sapientia vera excultum, refertumque ad se paulo post ex Galliis reducem excipiet: et quem Dominus illi dedit heredem facultatum, etiam virtutum possit cernere suarum imitatorem. Ego interim, quod unum queo, Te tuaque studia, assiduis ad Dominum interpellationibus juvare non intermittam. Vale in Christo Jesu. Ex Musæo nostro Basileæ, Calend. Septemb. Anno M. D. LV.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS TUMULUS, EX LIBRO Epicediorum Epitaphiorumque Conradi Lycosthenis.

Hoc tegitur Vives tumulo, subsiste viator,
Et presso pacis verba precare gradu.
Quin etiam costum, violas et thuris honores,
Vivi da prompta debita dona manu.
Qui dum sic verbis, rebusque exornat ad unguem
Per non tentatas maxima quæque vias.
Nostra ætas vincit veteres, atque omnibus illis
Vivem, quem contra ponere possit, habet.

ALIUD.

Parca ferox Vivi vellet dum scindere filum,
Hos capiti assistens edidit ore sonos.
Corpore te solvam, tua sed monimenta manebunt,
Namque horum potui juris habere nihil.

ALIUD.

¿Quis jacet hic? Vives, heu, heu, fata aspera, ¿tantum
De tanto his etiam sumere Vive, licet?

ALIUD.

Doctrinæ columen, decusque vitæ
Vivem, ne tumulo hoc puta viator
Condi, sed tenues soli favillas.
Nam non mors violenta, non edaces
Ignes, non series vetusta secli,
Non vires chalybis licet potentis,
Non fluctus pelagi licet ferocis,
De vita poterunt tulisse Vivem,
Doctrinæ columen, decusque vitæ.

PRÆ-

PRÆCLARISSIMORUM AUCTORUM hodie extantium, quorum testimoniis Ludovicus Vives in hoc opere usus est, catalogus.

A

Acron.
Acronius.
D. Acciajolus.
Actius Samazarius.
Accursius.
Adam Godam.
Adrianus Amerotius.
P. Ægineta.
Ægnatius.
Æsopus.
Ægesippus.
Agapetus.
Agathias.
R. Agricola.
Agython.
Albericus.
Albertus Magnus.
Albertus Grotus.
Albertus Crantzus.
Albertus Saxo.
Alciatus.
Alcoranus.
Alcuinus.
Aldus.
Aleander.
Alex. Deivillanus.
Alex. Aphrodiseus.
Alex. Tonstallus.
Almenius.
Amadisus.
Ambrosius.
Ammianus Marcellin.
Ammonius.
Angelus Politianus.
Annius Viterbiensis.
Anton. Florẽ. Archiep.
Antonius Panorm.
Aphtonius.
Appianus Alexander.
Appollonius Rhodius.
S. Apollinaris.
L. Apulejus.
Arator.
Aratus.
Archilochus.
Archimedes.
L. Aretinus.
Argyropolus.
G. Ariminensis.
Arrianus.
Aristides.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Asconius Pædianus.
Asinius Pollio.
Asper.
Athenæus.
A. Augustinus.
Avicenna.
Ausonius.

B

Baldus.
Baptista Pius.
Baptista Ægnatius.
Baptista Mantuanus.
Bartholus.
Basilius.
Beatus Rhenanus.
Beda Presbyter.
P. Bembus.
Bergomatus Episcop.
Berosus.
Biblia.
F. Blondus.
Jo. Boccatius.
Boethius.
Boethus.
Bokinkam.
Brachylogus.
Brito.
Brixius.
Budæus.
Jo. Buridanus.

C

P. Cæcilius.
Cæcilius Plinius.
L. Cælius.
C. J. Cæsar.

Ca-

Calentius.
Calepinus.
Campanus.
Cantiuncula.
Jo. Cantuariensis.
M. Capella.
Caper.
Capito.
Jo. Capnion.
Carolus Bovillus.
Carolus Virulus.
Cassiodorus.
Cassius Severus.
Catalanus.
Cato Censorinus.
Cato Sempronius.
Catholicon.
Catullus.
Cebes.
Chalcidius.
Chlichtovæus.
Chrysippus.
Chrysostomus.
Cicero.
Claudianus.
Cleanthes.
Codrus Urceus.
Columella.
G. Copus.
Corinthius.
Cornelius Vitellius.
P. Crinitus.
Cyprianus.
Cudbertus Tonstalus.
Q. Curtius.
Cusanus.

D

Dares Phrygius.
Demetrius Phaleræus.
Demosthenes.
Despauterius.
Dictis.
Diodorus Siculus.
Diogenes.
Diomedes.
Dion Prussiensis.
Dion Cassius.
Dionysius.
Dionysius Halicarnass.
Dioscorides.
Domitius Calderinus.
Donatus.
Dorothæus.

E

Eccius.
Eginhardus.
Emmanuel Chrysolor.
Episcopus.
D. Erasmus Roterod.
Erotianus.
Euclides.
Euripides.
Eusebius.
Eusebius Emysenus.
Eustathius.
Eutropius.

F

Jo. Faber.
Faustus Victor.
Fenestella.
Ferabrich.
Festus Pompejus.
Festus.
M. Ficinus.
Florisandus.
L. Florus.
Franciscus Patritius.
Franciscus Capuanus.
Franciscus Barbarus.
Franciscus Sylvius.
Frosardus.

G

Gaguinus.
Galenus.
Gasparinus.
Th. Gaza.
A. Gellius.
Gennadius.
Georgius Trapezont.
Jo. Gerson.
Græcismus.
Grapaldus.
Gregorius Mag.
Gulielmus Hentishari.

H

Hadrianus.
Hammonius.
Jo. Hantuilensis.
Hector Boethius.
Heinricus rex Angliæ.
Hentisber.
Hermannus Contract.
Hermogenes.

Her-

Hermolaus.
Herodianus.
Herodotus.
Hesiodus.
Hesichius.
Hieronymus.
Hieronymus Alexand.
Hieronymus Vida.
Higinius.
Hilarius.
Hippocrates.
P. Hispanus.
Holcotus.
Homerus.
Horatius.
Hugo.
Hugo S. Victoris.
Hugutio.

I et J

Jacobus Faber.
Jacobus Forliviensis.
Jamblichus.
Jason.
Joannes Alariensis.
Joannes de Garlandia.
Joannes Grammaticus
Joannes a Sacrobusco.
Jordanes Castalio.
Jordanes Nemorarius.
Fl. Josephus.
Isidorus.
Isidorus Hispaliensis.
Isocrates.
Julius Frontinus.
Julius Pollux.
Justinus.
Justinianus Cæsar.
Justinus Martyr.
Juvenalis.
Juvencus.

L

Lactantius.
P. Lætus.
Lambertus.
Lampridius.
Lancillotus.
Landinus.
C. Lascaris.
Latomus.
Laurẽtius Laurẽtianus.
Legenda aurea.
Leo Albertus.
Leonardus.
Leonardus Brunus.
N. Leonicenus.
Libanius.
Th. Linacer.
T. Livius.
P. Lombardus.
C. Longolius.
A. Lucanus.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.
M. Lutherus.
Lyranus.

M

Macrobius.
Magister sentẽtiarum.
Manardus.
Mancinellus.
Mangenetes.
Manilius.
Manthon.
Mantuanus.
A. Marcellinus.
Marcellus.
Margarita philosoph.
Maria Siculus.
Marsilius Ficinus.
Martianus.
Martialis.
Martinus Magister.
Marullus.
Matthæus Palmerius.
Matthias Palmerius.
Pomp. Mela.
Mensa rotũda Gallica.
Mercurius Trismegist.
Metasthenes.
Michael Ricius.
Modestinus.
Monstreletus.

N

Nauclerus.
G. Nazianzenus.
Nebrissensis.
C. Nepos.
Nestor.
Nicolaus Beraldus.
Ninivita.
Nonius Marcellus.
G. Nyssenus.



Ochas.

O

Ochas.
J. Oecolampadius.
Oppianus.
Origenes.
Ottho Phrysingensis.
Ovidius.

P

Pacuvius.
Paladius.
Palæphatus.
Papinianus.
Papias.
Pardus.
Parrhasius.
Paterculus Vellejus.
Paulinus.
Paulus Orosius.
Paulus Æmylius.
Paulus Vergerius.
Paulus Varnefridus.
Pausanias.
N. Perottus.
Persius.
F. Petrarcha.
Petrus Appianus.
Petrus Crinitus.
Petrus Ciruelus.
Petrus Crescentianus.
Petrus Aliacensis.
Petrus Mantuanus.
Petrus Martyr.
Petrus Marsus.
Petrus Mosellanus.
Petrus Provincialis.
Petrus Ravennates.
Pherecides Syrus.
Philelphus.
Philippus Melãchthõ.
Philippus Beroaldus.
Philippus Cominius.
Philo.
Jo. Philoponus.
Philolaus.
Philostratus.
Phoca.
Phocilides.
Jo. Picus.
Jo. Pierius.
Pindarus.
Pius Papa.
Pius Pontifex.
Platina.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plinius Secundus.
Plinius Junior.
Plotinus.
Plutarchus.
Julius Pollux.
Poggius.
Treb. Pollio.
Pollybius.
Polydorus Vergilius.
Pontanus.
Porphyrion.
Gil. Porrectanus.
Portius Latro.
Priscianus.
Probus.
Procopius.
Prosper.
Proclus Diadochus.
Jo. Problatio.
Prodicus.
Propertius.
Prosper Aquitanicus.
Prudentius.
Psellus.
Publius Mimopraphus
G. Purbachius.

Q

Quintius Calaber.
M. F. Quintilianus.

R

Rabanus.
Rabini.
Rasis.
Raphael Volateranus.
Rhegino.
Ricardus S. Victoris.
Robertus Tincensis.
Rodeucus Toletanus.
Roffensis.
Rolando.
Rom. gesta moralizata.
Ruellius.
Rugerus Suicetus.
Ruseus.
Rutilius Lupus.

S

Sabellicus.

Jo.

ELEN-

ELENCHUS

TRACTATUUM, QUI IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

INTRODUCTIO AD SAPIENTIAM.

ROGATIVA AD DEUM.

Ad-

Præ-

GRAMMATICA.

JOAN-

GENEALOGIA
JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI.

COgitatò decrevi verba nunc facere de Familia Vivia Viridarii (Vives del Vergel) ex qua ortum duxit Joannes Ludovicus noster, cum, ut Divus Ambrosius egregie dixit, *primus discendi ardor nobilitas sit magistri*, in superque concepta de eo preclara existimatio; idcirco nos animo simplici, bonaque fide adimere nullo pacto debemus Vivi nostro ornamenta gentilitia, neque ejus propinquis, cum tantum et splendoris, et gloriæ obvenerit et illi, et iis: sufficiat hæc adumbrasse in gratiam Ludovici, non destituti imaginibus clarorum majorum, eorum tamen omnium stemmata non est nostri adnectere, et connectere.

In eo igitur Regni Vàlentini Tractu, quem Contestani olim tenuere, positum est Dianium, ad Balearicum mare oppidum, priscis temporibus Dianæ fano celeberrimum, (unde nomen *Dianium*, nunc *Denia*) inter Carthaginem novam, et Sucronem amnem; in agro Dianiensi lòcata est Xabea, posterioribus his sæculis condita a piscatoribus Genuensibus, quidquid nitantur qui contrà sentiunt; ei natales suos debuit.

I.

Bartholomæus, princeps familiæ Viviorum Viridarii (*Vives del Vergel*) qui lares fixit Valentiæ, et uxorem duxit Beatricem Corts, et Macip, in vivis adhuc erat anno 1507. et occisus fuit infelici prælio ad Gerbem insulam (Meninx seu Lotophagitis ab antiquis dicta) anno 1510. nam de illo credo loqui Hieronymum Zuritam, *Lib. 9. cap. 19. de rebus Ferdinandi Regis Catholici*, hisce prudentibus verbis: »No fue menor fatiga de las que alli se pasaron, »ver que aun despues de averse embarcado, con la falta que avia »en las naos de agua i de bastimentos, moria mucha gente; de »suerte, que en esta jornada se puede decir que todo faltò a los

¶¶¶¶¶ »nues-

„ nuestros juntamente, seso, esfuerzo, i buena ventura: murieron „ en ella, demas de los cavalleros que se hallaron con Don Gar- „ cia (Toletano, famosi Albani Ducis parente), „ de personas de „ cuenta, Don Alonso de Andrada, Santangel, Melchior Gonza- „ lez, hijo de Luis Gonzalez, Conservador de Aragon, i los Ca- „ pitanes Saavedra, i Sotelo, i un hijo de Gaspar de la Cavalleria „ Godoi, BIVAS DE DENIA, i algunos gentiles hombres de Don „ Garcia. „

Ex Bartholomæo Vive, et Beatrice Corts et Macip, nati fuerunt.

(*A*) Balthasar.	(*B*) Ludovicus.	(*C*) Franciscus.
(*D*) Salvator.	(*E*) Beatrix.	(*F*) Elisabeth.

II. *A*.

Balthasar Vives, Toparcha oppidi Viridarii (*del Vergel*) in agro Dianiensi: insignis est hujus clarissimi viri mentio facta a Martino Viciana, *quarta parte Chronici Regni Valentiæ*, *fol.* 26. 41. 71. 128. quippe qui cadentem patriam fide, fortunis, ærumnisque sustinuit adversus seditionem illam plebejam, *Fraternitatis* nomine (*la Germania*) insignitam cum valde aliena fuerit a fœdere fraterno: Balthasar uxorem habuit Angelam Candel, filiam Balthasaris Andreæ Candel, Dynastæ oppidi Rafol, in agro Dianiensi, ex eâque suscepit Bartholomæum Joannem.

III.

Bartholomæus Joannes Vives fideicomissum familiare instituit, quod hodie possidet Excellentissima Domina Comitissa Cervellionis, in quo, inter alia, sunt magnificæ illæ ædes, quæ visuntur in platea nobilis Villærasæ (*de Mossen Vilarasa*), in cujus limine supero extant insignia gentilitia familiæ Viviæ Viridarii: nos tempus deficiet ad indicandas necessitudines et affinitates præcipuarum familiarum Valentini Regni cum gente Vivia, sed ad metam properantes aliqua tantum delibabo: Bartholomæus uxorem duxit Ursulam Llacer et Almunia, ex qua natus fuit::::

IV.

GENEALOGIA.

IV.

Joannes Hieronymus Vives, qui habuit uxorem Vincentiam Ferrer; Hieronymi meminit Viciana, in secunda parte Chronici Regni Valentiæ, in familia Sandoval. Horum fuit filius::::

V.

Joannes Josephus Vives, Eques Alcantarensis, qui in matrimonium habuit Mariam Vich et Laram, eisque fuere gnatæ, Elisabeth, quæ nupsit Joanni Vives de Cañamàs, Baroni de Benifayò, (de quibus segmento sequenti) et Anna Maria, quæ nupsit Gerardo Cervellono, et Mercadero, primo Comiti Cervelloni: Consule Ludovicum Salazarem a Castro, in *vol. 2. Historiæ domus Larensis, pag. 362.*

Hujusce Joannis Vivis meminit Lupus Felix a Vega Carpio, in *Festis Dianiensibus, cantu* 1. hisce versibus suo more, modoque tornatis:

El Maestre de Campo, i el Sargento,
La plaza miden, acudiendo a todo,
I entre ellos Don Juan Vives, siempre atento,
Qual Clicie al Sol, a nuestro augusto Godo,
A cuyo sin igual entendimiento
De tantas Fiestas se atribuye el modo.

Gotthus iste erat Dux Lermensis, et Marchio Dianiensis, qui apud Philippum tertium magna erat gratia, et favore, sed a simplicitate Gotthica longe alienus.

VI.

Elisabeth Vives del Vergel, et Vich, quæ nupsit Joanni Vives de Cañamàs, Baroni de Benifayò, et Comiti Fauræ: amplissima gens Vivia de Cañamàs, e Municipio Saguntino oriunda, alia est a Vivia Viridarii (*Vives del Vergel*) e Municipio Dianiensi, ideoque Insigniis gentilitiis non eodem modo utuntur; Jacobus

¶¶¶¶¶ 2 pri-

primus Aragonum Rex, cognomento Expugnator, ditionibus illam locupletavit, in agro Saguntino, quibus hodienum gaudet, quod relinquendum est iis qui otii plusculum nacti sunt, nobis sufficiat hæc indicasse: ex Elisabetha, et Joanne, tertio Fauræ Comite, natus fuit::::

VII.

Joannes Vives de Cañamàs, Baro de Benifayò, et quartus Comes Fauræ, qui Cæsaraugustæ uxorem duxit Annam Frances de Urrutigoyti et Suelves, ex quibus ortus fuit::::

VIII.

Josephus Vives de Cañamàs, quintus Comes Fauræ, habuitque uxorem Vincentiam Ferrer, et Escorcia: ex ea filius susceptus::::

IX.

Josephus Philippus Vives de Cañamàs et Ferrer, qui nupsit Mariæ Thæresiæ Mesan et Martu, ex quibus orta::::

X.

Josepha Theresia Vives de Cañamàs, Mesan et Martu, quæ nupsit Michaëli Majansio, et Paschali, Gregorii filio: eis natus::::

XI.

Gregorius Majansius, secundus, Vives de Cañamàs, quem ut Deus Opt. Max. cum omni familia Vivianæ stirpis diutissime servet, fortunetque, votis omnibus cupio.

II. *B.*

Ludovicus Vives, filius Bartholomæi conditoris familiæ Viviæ Viridarii, Valentiam, urbem Regni metropolim commigravit, ibique Blancam Marcham uxorem duxit, ex quibus natus fuit JOANNES LUDOVICUS NOSTER: filius nomen Patris litteris consignavit *Lib. 2. de Institutione Feminæ Christianæ, cap. de Concordia Conjugum*, editionis

nis principis Antuerpiensis anni 1524. quod desideratur in posterioribus, et reviviscit in hac postrema Valentina, omnium exactissima, et publico profectu adornata.

III.

Joannes Ludovicus Vives noster, natus fuit Valentiæ in Hedetanis, anno 1492. Brugis in Belgio duxit in matrimonium Margaretam Valdauram, rarâ pudicitiâ, omnibusque animi dotibus marito simillimam; Joannes Ludovicus vixit annos 48. menses 2. denatus etiam Brugis pridie nonas Martii anno 1540. Margareta vixit annos 47. menses 9. obiitque pridie idus Octobris anni 1552. ambo Brugis itidem nullis liberis susceptis obiere, eâdemque in urbe humati fuere monumento posito a Valdaura gente.

II. *C.*

Franciscus Vives, Civis Valentinus, Bartholomæi satoris familiæ filius, habuit ex uxore Leonoria Villanova Angelam Annam.

III.

Angela Anna Vives, et Villanova, nupsit Michaëli Hieronymo Vives de Cañamàs, domino castri Montis Cervi, ejusque Baroniæ, et oppidulorum Micudiente, et Rafalet; ab illis originem ducit non solum nobilissimus eorum successor in fideicommisso Paschalis Mercaderius, contubernio stipatorum Regis Præfectus, et Alæ equitum honorarius, verum et etiam Marchio Bovillii, et Ceritaniolæ, aliique viri clarissimi.

II. *D.*

Salvator Vives, filius Bartholomæi familiæ principis, aurâ fruebatur vitali anno 1492. ut in vetustis tabulis legitur, in eisque laudatur etiam tamquam Joanni Ludovici nostri patruus.

II. *E.*

II. *E.*

Beatrix Vives, Corts et Macip, filia fuit Bartholomæi familiæ conditoris, et Beatricis Corts, et Macip, quæ Beatricem gnatam delegit ea conditione, ut fideicommissum electivum cum nominibus maternis haberet, posterisque suis transmitteret; Beatrix igitur filia, heresque, nupsit cum Hieronymo Dixar, ad Jacobum Regem cognomento Expugnatorem originem suam referente, cujus meminit Joannes Ludovicus noster, litteris ad Honoratum Joannium datis, hisce verbis: „De Stranei nostri morte quantum dolorem ceperim, „nihil attinet commemorare; major est res narratione omni, ac fi„de; sed nescio clavus'ne sit exclusus clavo, an potius vulnus addi„tum vulneri audita morte Dixaris Amitæ meæ viri: ¿quid facias? „Hæc sunt quotidie audienda, et videnda; nam et Herdaram et Na„jarium octo diebus amisimus, illum gravi, et diuturno morbo, „hunc senio, qui et morbus est incurabilis; non dubito quin per„magna sit in familia nostra solitudo, amisso viro, quem tu meri„to columen familiæ illius nominasti."

Puto Najarium fuisse Dynastam oppidi Naqueræ, deque eo loqui Vivem; et de lite hujus ditionis intelligendus Jacobus Falcò in satira *De vitiis Fori*, in qua ait:

Accipe nunc gemitus, suspiriaque alta Patroni,
Cum jam naufragium miseranda Alcantara fecit,
Et deplorata migravit Nacara lite;
Radere quod superest optant, fractosque clientes
In jus adducunt, et de mercede laborum
Litem agitant; Alii rident, et suaviter ajunt:
¿Cur ego rus plorem? Nos demum, fruge recepta,
Perdidimus causam; ploret qui perdidit agrum.

Hujus Hieronymi Dixaris meminit etiam historicus noster Escolanus, *Lib.* 10. *cap.* 32. ad hunc modum: „Otro desafio tuvo Don „Hieronymo de Ixar su hijo (Hieronymo fuit pater Jacobus) „con „mossen Francin Crespì de Valdaura, delante del Rei Catholico, en

Bur-

„ Burgos, el año mil quinientos i quince, i aviendo metido el Di-
„ xar la lanza por la boca del cavallo del Crespì, mandò el Rei que
„ cessàra el combate.

Comites Alcudiæ, et hodiernus Carletensis, sunt ex Regia hac stirpe Ixarensi: Consule Franciscum Didacum, *Lib.* 7. *Annalium Regni Valentiæ, cap.* 54.

Sororum suarum meminit Ludovicus noster in Dialogo *Leges Ludi*, et in epistola ad Joannium dixit: *Sororem meam ad me accersam, nam hîc*, (Brugis, ni fallor) *ut spero, commodius, vel nubet, vel apud me vivet cœlebs.*

II. *F.*

Elisabeth, gnata Bartholomæi principis familiæ Viviæ Viridarii, nupsit Misser Joanni March de Bas, utriusque Juris Doctori; hoc nomen honoris *Misser* tribuebatur tunc temporis caussarum patronis: Baleares hunc modum loquendi adhuc tenent: videtur vocabulum etymon habere ab Italico *Messere*, quod simul cum juris professoribus Bononiensibus ad nostrates perlatum fuit; *Messere*, idem est, ac *mio sire*, dominus meus; itali Presbyteris simplicibus tribuunt titulum *Sere*, quemadmodum Valentini *Mossen*: quæ vox etiam est in usu in Aquitania, Occitania, Vasconia, Benearno, et alibi: estque nomen compositum ex *Mos*, et *Sen*, quasi diceres *Meus Senior*, quod Francis idem est ac *Messire*, uti observat doctissimus Petrus de Marca, *Lib.* 3. *cap.* 9. *Marcæ Hispanicæ, col.* 261.

Hujusce gentis Basiæ meminit Ludovicus noster in Dialogo *Leges Ludi,* in quo partes suas agens nobilissimus Cabanillius, ait: *Hac inde ad sphæristerium Basii*: nam ita legendum ablato errato typorum: Joanni fuit filius, justus heres, et successor::::

III.

Misser Michaël Angelus March de Bas, Consiliarius Regius, cui filia heresque fuit::::

IV.

IV.

Elisabeth March de Bas, et Vives, in lucem edita die 17. mensis Martii anni 1561. quæ nupsit Philippo a Cardona, Marchioni de Guadalest, Aragonum Architalasso: ex quibus toparchis originem ducunt Excellentissimi Domini Marchiones Harizæ, quorum notissimum stemma sufficit indicare: Hæc de Vivis Genealogia, nunc ad Vitam.



JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI
VITA.

SCRIPTORE

GREGORIO MAJANSIO,

GENER. VALENT. DUODECEMVIRO HONORARIO

STLITIBUS JUDICANDIS IN AULA URBEQUE REGIA.

OPUS POSTHUMUM.

JOANNES ANTONIUS MAJANSIUS
LECTORI
S.

CUM Gregorius Majansius, Frater meus, fere ad umbilicum adduceret promissam Vitam Joannis Ludovici Vivis, dira apoplexia correptus, placida morte quievit, magno bonorum omnium luctu, die XXI. Decembris anni M.DCC.LXXXI. atque ita defuit scripto ultima lima. Tu vero, Lector benevole, in ea legenda æqui, bonique consule, et Vale.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

VITA.



OANNES LUDOVICUS VIVES, ex antiqua Vivium Familia, natus fuit Valentiæ Hedetanorum pridie nonas Martii anni 1492. Ædes in quibus ortus fuit ipse designavit in Dialogo *Leges Ludi*, in quo varia dixit de Urbe Valentia, sub persona nobilissimorum virorum, inter quos ait *Borgia. Eamus hac igitur per Divi Joannis Hospitalis ad Vicum Marinum. Cabanillius. Spectabimus obiter decoras formas. Borgia. Apage, pedestres erit dedecori. Scintilla. Majori est, mea sententia, dedecori, viros pendere de judicio puellarum rudium atque ineptarum. Cabanillius. ¿Visne ut recta eamus per plateam ficus, et Divæ Teclæ? Scintilla. Non, sed per vicum Tabernæ Gallinacei; nam in eo vico cupio videre ædes, in quibus natus est Vives meus, sunt enim, ut accepi, descendentibus ad sinistram postremæ in vico; et invisam eadem opera sorores ejus.* De vico Tabernæ Gallinacei operæpretium est ob oculos habere Edictum Civitatis Valentiæ in quo, anno 1538. indixit Pompam tertiæ centuriæ ab expugnatione per Regem Jacobum facta, ubi sic legitur: *Exirà per lo Portal de la Plaza de la lenya, irà per davant lo Palau del Rev.m Senyor Archebisbe, per lo carrer de les Avellanes, girarà per lo Carrer de la Taberna del Gall, girarà a ma squerra, per la Plaza de Mosen Vilarasa, per Sanct Andreu, per casa de Mosen Alpont, tirarà dret a la casa del benaventurat Martir, e Cavaller Mosenyer Sanct Jordi, e aqui, fetes les gracies acostumades, irà per lo carrer de Barcelonina a la Plaza del glorios Sanct Francesch, entrarà en la Sglesia del dit Monestir, exirà per la porta del Espital de la Reina, per lo carrer de Sanct Vicent, irà, dreta via, a la casa del Monestir del dit glorios Sanct, a la qual en semblant dia de Cap de Centenerar de anys es acostumàt anàr: tornarà per lo mateix cami, entra-*

trarà en Sanct Agòsti, per la Mercè, per lo Mercàt, per lo carrer de Cavallers, per la porta dels Apostols, &c.

Sufficiat hæc indicasse de ædibus in quibus natus fuit Ludovicus, qui Patrem habuit ejusdem nominis Ludovici et Matrem Blancam March. Parentes filius, pio animo, laudavit in egregio opere *De Institutione Feminæ Christianæ, Lib. 2. cap. de Concordia Conjugum*, editionis principis Antuerpiensis, apud Michaelem Hillenium Hoochstratanum, ano 1524. in 4. ubi ita scripsit: *Discordia et dissensio nulla esse inter eos poterit, in quibus idem est cor non diversa cupiens, eadem sententia non diversa sentiens. Blanca, Mater mea, quum in conjugio quindecim egisset annos, nunquam a me visa est litigare cum Patre. Duo solebat in ore frequentia habere, ceu proverbia. Cum vellet significare se aliquid credere, ajebat*: Tamquam si dixisset Lodovicus Vives. *Cum se velle*: Tamquam si vellet Lodovicus Vives. *Eum ego Lodovicum Vivem, Patrem meum, et alias sæpe audivi dicentem; et cum illud referret quidam, seu Scipionis Africani minoris, seu Pomponii Attici, credo utriusque, quod* nunquam in gratiam rediisset cum Matre; nec se, quod difficilius esset, cum uxore: *Reliquis id verbum admiratis, cum pæne in proverbium venisset Concordia Vivis, et Blancæ, respondit*: ut Scipio cum Matre, cujus gratiam nunquam exierat, ideo nec rediit. *Sed de sanctissima Matre mea, quam ego nil dubito in cœlis fructum integerrimæ actæ vitæ jam percipere, non est in alieno copiosius loquendum opere, cum destinatus sit nobis de illius Actis, Vitaque liber.* Primus, qui calamo expressit nomen Ludovici Vivis Patris nostri Joannis Ludovici, fuit Vincentius Ximenius, in *Scriptoribus Valentinis, tom. 2. pag.* 357. admonitus ab Augustino Salesio, probo et docto viro.

Hi tres libri *De Institutione Feminæ Christianæ* recusi fuerunt Basileæ anno 1538. per Robertum Winter, et omissa fuit mentio Ludovici Vivis Patris; quod fortasse in causa fuit ut idem facinus patraretur in editione Basileensi Episcopii, tom. 2. pag. 712. Et licet in fronte editionis Basileensis anni 1538. trium librorum *De Institutione Feminæ Christianæ*, legatur: *Ab auctore ipso recogniti, aucti, et reconcinnati*, minime credendum est decurtasse Joannem Ludovicum Vivem egregium testimonium suæ pietatis erga Patrem, sed tribuendum est id rigidis censoribus, qui ægre fe-

ferebant laudes parentum, et affinium Vivis nostri, de quo illum monuit Desiderius Erasmus, cui modeste admodum rescripsit his verbis, in epistola scripta Brugis festo Margaretæ 1527: *¿Quotusquisque non facit? ¿An non Seneca? ¿non Quintilianus? ¿non Cæcilius? Tacitus etiam Soceri Vitæ justum volumen dicavit. Ter omnino, ut arbitror, meorum memini, bis matris, semel socrus; sed nec socrum dico esse, neque tum adhuc erat: in hac, veritate sum adductus, et, mea sententia, digna historia, non minus quam permultæ, quæ ab aliis memoriæ sunt traditæ; in Matre excusat pietas; et id feci modice, veritus invidiam, et non ignarus hominum fere ingenia libentius maledicentiam audire, quam laudes.*

Etiam Joannes Justinianus, Ducis Calabriæ, et Pro-Regis Valentiæ familiaris, silentio pressit nomen Ludovici Patris in versione hispana hujus operis; qua in re minime culpandus, quia in hac translatione, judicio suo, alia textui addit, et alia silentio pressit; ad hæc, fortasse in editione latina qua usus fuit jam non exstabat inclyti Ludovici nomen, uti in excusa Basileæ anno 1538.

Blanca March, uxor Ludovici Vivis, fuit Mater Joannis Ludovici; tanta erat filii erga Matrem pietas ut in libro *De Officio Mariti*, *cap. De Disciplina Feminæ*, non dubitarit recensere eam inter præclarissimas feminas omnis ævi: *Nec solum*, inquit, *adducentur vetera illa nomina, et ævo consecrata, Sara, et Rebecca, tum Penelope, Andromache, Lucretia, Cleobulina, Hipparchia, Porcia, Sulpicia, Cornelia, et nostræ Divæ, Agnetes, Catharinæ, Agathæ, Margaritæ, Godolinæ, Barbaræ, Monicæ, Apolloniæ; sed recentiores quoque, Catharina Angliæ Regina, Clara Cerventa Valdauræ uxor, Blanca Marcha; tametsi vereor ne Matris meæ nomen quibusdam videar ambitiosius usurpare, et pietati nimium indulgere: multum equidem pietati tribuo, sed multo plus veritati.* Et lib. XII. cap. 20. Commentariorum in Civitatem Dei Augustini: *Puerulo mihi Blanca mater, matronarum omnium, nisi me pietas fallit, pudicissima.*

Licet nomen *Blanca* sermone vernaculo idem significet ac *Candida*, puto tamen deduci debere a *Blancardo*, Gallis *Blanchart*, inter sanctos sæculi VII. relato, cujus memoria colitur die 10. mensis Martii. *Blancæ* nomen illustre fuit apud majores, et in Matre Vi-

Vivis non obliterabitur: quæ habuit fratrem Henricum, cujus Vives meminit in Commentariis ad Augustinum *De Civitate Dei, Lib. XIX. cap.* 21. ubi ita scripsit: *Id quod puer audisse me de Henrico Marcho, Avunculo meo, memini, cum acutissimus ille Jurisperitus, Justiniani Cæsaris Institutiones in patria mihi prælegeret.* Credo hunc Avunculum, Jurisperitum, esse illum ipsum, cujus Lusius (Luïsius scilicet, aut Ludovicus) meminit in Dialogo *Lectio*: *Avunculus meus, qui aliquando dedit operam litteris Bononiæ, docuit me melius memoriæ infigi quæ velis, si altius pronunties, idque confirmari auctoritate nescio cujus Plinii.*

Joannes Ludovicus Vives Sorores habuit, quarum meminit in Dialogo *Leges Ludi*, ubi varia de Urbe Valentia, sed in epistola ad Honoratum Joannium unam tantum sororem virginem ei commendat.

Freherus in *Theatro Virorum Eruditione Clarorum* scripsit Joannem Ludovicum habuisse fratrem Alphonsum Vivem, qui in exercitu Imperatoris Caroli V. adversus Protestantes Germanos Principes, bellum gerentis, Tribuni Militaris (*Maesse de Campo*) functus est officio; eique, Joannes Fridericus, Elector Saxoniæ, et Ernestus, Dux Brunsvici, prope Mulbergam, in prælio capti, ab Imperatore custodiendi fuere traditi anno 1547. Hic Alphonsus Vives, ad expugnandam Urbem Constantiam missus, ictu sclopeti transverberatus, obiit, anno 1548. testibus Sleydano, et Thuano qui Lib. V. Historiarum sui temporis ait Alphonsum fuisse Neapolitanum, sed Hispania oriundum: verum major fides adhibenda est Martino Vicianæ scribenti in *Chronico Valentino vol.* 3. *fol.* 165. Alphonsum fuisse Oriolanum, et Tribunum Legionis Neapolitanæ, (*Maestro de Campo del Tercio de Napoles*) unde apparet origo errationis Thuani. Licet supervacaneum sit confirmare Patriam Alphonsi Vivis testimonio Casparis Garciæ, id hic adducere volo, ut obiter moneam Garciam non fuisse Olivensem, uti scripserunt Escolanus, et Rodriguesius, sed Oriolanum, uti animadvertit Ximenius in *Scriptoribus Valentinis*, a me monitus: Garcia sedem fixerat Olivæ, ubi vestes consuebat, et carmina pangebat, quæ in Certaminibus Poeticis sui ævi legebantur Valentiæ, sub nomine *Sartoris Olivensis.*

Vi-

Vivia gens multiplex fuit, et licet temporis succesu inter se coaluerint, tamen earum origo fuit distincta; Stemmata Gentilitia, quibus usi fuerunt, conferunt ad earumdem originem assequendam; Stemma Viviorum Viridarii (*Vives del Vergel*) est quadrum viridarii, et in eo planta florum heliochrysorum coloris aurei, qui sermone vernaculo *Perpetuas*, aut *Siempre Vivas* nuncupantur, cum hoc lemmate, SEMPER VIVAS: Ad illud respiciens Joannes Baptista Agnesius, vir pius, et doctus, sic scripsit: *Pro immortali bonarum litterarum patrono, Lodovico Vive, Valentinate nostro, ejusdem Joannis Baptistæ Agnesii ad Urbem Valentiam*, SEMPER VIVÆ serto coronatam, id est, ipso Vive.

VIVES, æternos, et SEMPERVIVA per annos,
Nomine florebis VIVIS ubique virens.

Epigrammata quæ Agnesius panxit in laudem Vivis inveniuntur ad calcem *Apologiæ in defensionem Virorum illustrium, Equestrium, bonorumque Civium Valentinorum. In civilem Valentini populi seditionem, quam vulgo* Germaniam *olim appellarunt. Secunda Apologia, in laudem Illustriss. magnanimique Domini Rhoderici, Zeneti quondam Marchionis, inque laudem omnium Equitum Valentinorum. Apologia in Venatores, pro Avibus, ad Illustrem Olivæ Comitem, cum expositione multarum Avium, sermone Græco, Latino, atque Valentino. Et alia non injucunda lectu, quæ in Indice prænotantur. Valentiæ: Apud sacram Divi Thomæ Apostoli ædem, per Joannem Baldovinum, et Joannem Mey, socios, natione Germanos. Quinto Februarii. Anno a Christi natali*, 1543. 4.

In exemplari, quod habeo, modestus auctor sua manu scripsit:

Joan. Bapt. Agnesius
Nobili Seraphino a Scintillis.
Ne temnas, Seraphine, meos, generose, libellos.
Possunt hæc, quanquam parva, juvare: Vale.

Qui magno fastidio hæc et similia rejiciunt, perpendere debent quam utilia sint rebus patriis illustrandis.

De Herbis istis, quas Valentini, et Castellani *Siempre Vivas* appellarunt, sic scripsit Joannes Caramuel, vir magni ingenii in

Rhyth-

Rhythmicis pag. 72. Ambrosia a PERPETUITATE nomen habet; dicitur enim Graece Ambrosia, a BROTOS, mortalis, addita particula A, privativa, et inter posita M, euphoniæ gratia. ¿Si interroges, quæ sit herba, cui respondet hoc nomen? hoc responso dimitteris a Plinio, (Lib. 27. cap. 4.) *Herbam esse vagi nominis, et circa diversas plantas fluctuantis; illam Hispani vocant, SIEMPRE VIVA, Germani, S. Joans Kraut, hoc est, Herbam S. Joannis.*

De Genealogia Joannis Ludovici Vivis nostri, alio loco commodiore tractabimus, ne lectoribus litterarias res scire cupientibus fastidiosus sim; sufficiat hîc indicare gentem Viviorum Viridarii sedes fixisse Arthemisii, sive Dianii, oppidi ob antiquitatem, et loci commoditatem in his oris maritimis valde celebris.

Ad Gentem Marcham quod attinet, ex qua Blanca, Mater Joannis Ludovici Vivis, scire oportet eam ab eo tempore quo Jacobus, Aragonum Rex, hujus nominis primus, cognomento Debellator, Valentinum Regnum acquisivit, sedem fixisse Gandiæ, quatuor leucis Hispanicis a Dianio distantis, non procul a mare, ad ripam Alcodii fluminis, uti cecinit Nobilis Jacobus Febrerius, Poëta Valentinus, Genealogicorum Scriptorum Hispanorum antiquissimus, cujus scripta, nondum in lucem edita, in Bibliotheca nostra asservantur, his versibus:

Lo March ab ques pesen
Les coses precioses,
Pinta Jacme March
En lo camp de blau,
Ab ques val del nom.
Les accions glorioses
Fetes en la guerra,
E en les cenagoses
Terras de Cullera,
Senyor, no ignorau,
Perque vostron pare



Les ha referides
Alguna vegada
En presencia mia;
Pera que per Vos
Fossen agrahides
A Guillem son fill,
Si de les ferides
Quen Biàr rebè,
Son pare morìa,
Vos lo acomanà.
Viu ara en Gandia.

Marchi in Campo Gandiensi fuerunt Toparchæ oppidi Beniarjò, ad ripam Alcodii fluminis, in cujus Ecclesia Parœciali Divo Mar-

co

eo dicata, conspiciuntur in fornicibus Stemmata Gentilitia Marchorum.

Ex hac Gente, velut ex equo Trojano, in lucem publicam prosilierunt nobilissimi Poëtæ. Primus fuit *Dominus Petrus March, senior, Eques strenuus, et nobilis, qui gessit res nobiles: et inter alia, scripsit Proverbia valde moralia.* Hujus scripti notitiam debemus celeberrimo Enneco Lupi a Mendoza, Marchioni Sanctæ Julianæ, in illa epistola, nunquam satis laudata, ad Petrum Comitem Stabuli Portugalensis, de Origine Poëseos vulgaris, quam edidit, notisque eruditis ornavit Thomas Antonius Sanctius; Marchio Sanctæ Julianæ *Seniorem* cognominavit Petrum, ut eum distingueret, non ab alio Petro March, ejusdem nominis proprii, et cognominis, sed a filio Ausiasio, sive Osea March, Valentinorum Poëtarum Principe: qui calleat linguam Valentinam, pro certo id habebit, apud quos *March lo vell* solet indigitare Petrum March, et *March lo jove* Ausiasium filium, cujus poëmata, etsi valde rara, semper in magno pretio haberi debent.

Ejusdem Gentis fuit Jacobus March, Poëta sæculi decimi quarti, de quo præclaro scriptore qui plura scire cupiat adeat laudatum Sanctium, et eruditum amicum meum Franciscum Cerdanum, in Notis ad Cantum Turiæ Casparis Gilii Poli; itaque connexæ inter se fuerunt Gentes in Poëticis, et in Criticis rebus principatum habentes inter nostrates.

Ea est generis humani conditio ut in liberorum educatione plus debeatur Matribus, quam Patribus, id evenisse in Vive nostro colligi potest ex *libro 2. Feminæ Christianæ, cap. De Liberis et quæ circa illos cura* ubi sapienter scripsit in hunc modum: *Venatores illum fore optimum canem præsciunt, cujus fœta maximam gerit curam, pro quo, ante alios, est sollicita, quem primum refert in cubile; in hominum genere illum fere scias esse vilissimum, et despicatissimum, quem mater amat tenerrime. ¿Vultis vere ab eis amari, ea præsertim ætate, qua sciunt jam quid sit vere, et sancte amare? efficite ne vos admodum ament cum quid sit amor adhuc ignorant, et parentibus placentam, aut favum, aut saccarum præferunt. Nullum Filium Mater tenerius amavit quam mea me, nullus unquam minus se a Matre sensit diligi, nunquam fere mihi arrisit, nunquam indulsit; et tamen cum domo tribus,*

aut

aut quatuor diebus, ea ubi essem inscia, abfuissem, pæne in gravissimum incidit morbum; reversus, desideratum me ab ea non intellexi: ita neminem magis fugiebam, magis aversabar, quam Matrem puer, nullum mortalem magis in oculis tuli, adolescens, cujus mihi nunc memoria sacratissima est, et quoties occurrit, quam corpore non possum, animo, et cogitatione dulcissima complector. Adeo verum est quod Vives paullo ante, in eodem capite, scripserat: *Plus est in Matre ad effingendos puerorum mores positum, quam quis putet; illa vel optimum facere potest, vel pessimum; ut optimum faciat, paucula præcepta in brevia conferemus: Det operam, ne, saltem Filiorum causa, rustice loquatur, ne idem sermo in teneris puerorum animis infixus simul adolescat cum ætate, et ubi invaluerit, dediscere vix possint: Nullum sermonem melius aut tenacius discunt Pueri, nullum expressius quam maternum; illum cum vitiis ipsis aut virtutibus, si quid horum habet, reddunt. In Valentiam meam a Jacobo Aragoniæ Rege, ex Agarenorum impuritate vindicatam (quo nomine fausta est nobis semper illius viri memoria) in eam ergo, his pulsis, immigrare jussi sunt viri Aragonii, et mulieres Ilerdenses, a quibus incoleretur: ex utrisque nati filii, sermonem matrum tenuerunt, eum quem jam per plures quam ducentos, et quinquaginta annos loquimur.* Scilicet, ducentos octuaginta quinque, nam Jacobus Rex Valentiam expugnavit anno 1238. et Ludovicus Vives scribebat hos libros *De Femina Christiana*, anno 1523.

Temperare mihi non possum quin exornem narrationem Joannis Ludovici Vivis, ut quantum in me est testificer quam fausta sit mihi inclyti Regis memoria. In Bibliotheca Regia Escurialensi extat iij. Y. S. codex M. S. absque titulo, sed manu recenti legitur, ut ait Franciscus Perezius Bayerius, cujus exotica eruditio omnibus nota est: *Historia de España, i particularmente de la Corona de Aragon, hasta el Rei Don Alonso Quinto, sin nombre de Autor, en Lengua Lemosina.* Eam legerunt, et notatiunculas addiderunt Hieronymus Zurita, et Joannes Baptista Perezius, rerum Hispanicarum cognitione facile principes. In ea de Rege Jacobo sic loquitur: *Amprès la Conquèsta del Regne de Valencia, ab ajùda dels tres Brazos de Aragò, la qual en breu temps aguè, e la major part del Regne, en la qual feu venir mil donzelles de Leida, e d' Urgell, a les quals donà alli marit. E fet asò, lo Rei feu Furs, e Leis, ab los quals se re-*

geix hui en dia. E ereïxquè a la Fé Crestiana M.CC. Esglesies. Aquest son maravellòs Rei, qui jamès feu res desplaent a la terra, car jamès feu alguna cosa que no la fés ab consell de la terra. Adeundi sunt Beuterus, Lib. 2. cap. 40. Miedes, Lib. 12. cap. 6. et Escolanus, Lib. 1. cap. 20.

Grammaticæ Latinæ prima rudimenta accepit Ludovicus Vives a Hieronymo Amigueto, in Gymnasio Valentino recenter instaurato ab Alexandro VI. anno 1500. et a Ferdinando Catholico anno 1502. Amiguetus fuit homo insigniter barbarus, ut testantur ejus scripta, nunc rarissima, et ob raritatem pretiosissima; idcirco lubet apponere sequentem titulum:

„ Sinonima variationum sententiarum eleganti stilo construc-
„ ta, ex Italico sermone in Valentinum per Hieronymum Ami-
„ guetum, Dertusensem, redacta, fœlici numine inchoant; qui-
„ bus adolescentes eloquentiam assequi parvo tempore valebunt.
„ Continet liber iste sex Partes: Primo, Sinonima exordiorum:
„ Secundo, narrationum: Tertio, divisionum: Quarto, confir-
„ mationum: Quinto, confutationum: Sexto, conclusionum, cum
„ aliquibus additionibus, et Tabula, per ordinem alphabeti or-
„ dinata ad hoc ut faciliter Sinonima cujuslibet partis reperiantur.

Ad calcem operis annotatur.

„ Expliciunt Sinonima Stephani Flisci, Oratoris clarissimi, ex
„ Italico sermone in Valentinum, per Hieronymum Amiguetum
„ redacta, cum titulis unicuique ordini personarum ascribendis,
„ superscriptionibus, salutationibus, exitibus in epistolis ponendis,
„ et kalendis, nonis, et idibus per dictum Hieronymum additis.
„ Impressum in insigni Civitate Valentiæ, per Christoforum Kof-
„ fman. Decimo quarto Kalendas Decembrias. Anni M. D. se-
„ cundi: 4.

Extat etiam memoria Amigueti ad finem cujusdam voluminis in fol. in quo legitur: *Explicit Mathematicarum opus in quo continentur Thomæ Bravardini Arithmetica, Geometriaque, nec non Perspectiva Pissani Carturiensis, una cum Questionibus Enrici de Assia, in sacra Theologia Magistri. Impressum Valentiæ, per Joannem Jofre, et expensis Hieronymi Amigueti XIX. Octobris Anni M.D. tertii: fol.*

Cum

Cum Hieronymi Amigueti scripta lego, veniunt mihi in mentem ea quæ scripsit Franciscus Joannes Bardaxinus Juratis Valentinis, et Rectori Gymnasii, loquens de temporibus quibus Vives Grammaticæ Latinæ operam dabat: *Illa vero Ars, quæ plus cæteris laborabat, erat Grammatica, prima quidem omnium, quæ nisi candide, et perfecte traditur, adeo puerorum corrumpit ingenia, ut ad cæteras perdiscendas infirmi, plane hebetes, et imbecilli reddantur. Et cum Grammaticam dico, Oratoriam facultatem eodem nomine comprehendi existimate; nam sermo Latinus, cum Arte bene dicendi, usque adeo erat colluvione quadam vocum ineptarum fœdatus, ut vel hi qui politius videbantur loqui tritis, et delicatis quorumvis Latinorum auribus non essent tolerabiles.* Et Franciscus Sanctius Brocensis in epistola nuncupatoria Inclytæ Salmanticensi Academiæ, præfixa Minervæ editæ anno 1587. ei dixit: *Cum pestis Barbariei pæne totum orbem occupaverit, Tu sola hac nota inureris, et innocens apud exteros accusaris: quasi nullam possimus Academiam reperire, ubi vera, puræque Latinitatis indagatrix Grammatica doceatur.*

Academiæ Hispanienses grates agere debent Antonio Nebrissensi, ob enarrationem auctorum Clasicorum Latinorum; nam ante eum eveniebat quod scripsit Lucius Marineus Siculus, *Lib. De laudibus Hispaniæ, cap.* 25. *Salmanticæ libros Latinos profiteri cœpit, a quibus Hispani fere omnes adeo abhorrebant, ut ad eos non facilius converti potuerint, quam ad Christi Fidem praviores, senioresque Judæi; ille autem, summa constantia, veluti nomen olim Christi prædicantibus assimilis, paullatim duras illorum mentes Latini sermonis dulcedine molliebat.*

Ad Academiam Valentinam quod attinet, debuit hoc singulare beneficium Andreæ Semperio, qui in Epistola nuncupatoria Institutionis Grammaticæ Latinæ, sic de se scripsit: *Postremo* (*si per Vos* (scilicet, Consules Valentinos) *mihi licet loqui tam magnifice*) *¿cui nota non sunt beneficia mea in Ludum Litterarium Valentinum ab anno tricessimo nono in hunc diem* (nempe x. Kal. Augusti, ann. a Christo nato 1570.) *plane singularia? Nam declaratus initio Præfectus primæ Classis* (Franciscus Joannes Bardaxinus fuit Præpositus secundæ Classis) *barbariem apud nos tam inveteratam, et omnia devastantem repente delevi: Grammaticos, ad prælegendos optimos auctores,*

Terentium, Vergilium, Cæsarem, et Ciceronem, a quibus erant alienissimi, compuli: eos denique qui Rhetoricam, Ciceroni Rhethorum Principi infensissimi, docebant, ad illum imitandum, incredibili difficultate traduxi. Verum tanto cum fructu, ut Alphonsus Garcia Matamorus in opusculo *De asserenda Hispanorum eruditione* scripserit anno 1553. *Ne hoc quidem alumno* (Joanne Ludovico Vive) *solum gloriari Valentia potest, quoniam multorum tum Oratorum, tum Philosophorum edito ab hinc annis viginti beatissimo partu, susceptam priscis temporibus barbariæ maculam non delere solum suis viribus, sed aliis quoque Hispaniæ civitatibus eloquentiæ, et artium omnium, ac disciplinarum lumen inferre valet.*

Caspar Escolanus, Lib. 5. Historiæ Valentinæ, cap. 23. narrat Antonium Nebrissensem transtulisse humaniores litteras ab Italia in Hispaniam, ejusque Artem Grammaticæ Latinæ invectam fuisse in Academiam Valentinam anno millesimo quingentesimo septimo (ætatis Vivis decimo quinto) multum reluctante Amigueto, qui perverse abusus fuit acumine ingenii discipuli sui, et in caussa fuerit ut alumnus scriberet, declamaretque in Antonium Nebrissensem: sed Vives, quo erat judicio prædiius, cito resipuit, malitiam agnovit, et meliorem partem amplexus fuit.

Hæc historiola Escolani meretur ut elucidetur, ut lectori possit esse instructioni, et fructui: notæ sunt eruditissimis viris Antonii Nebrissensis Introductiones Latinæ, cum Commentariis doctissimis, quæ sunt valde raræ, quia eas scripsit potius eruditis, quam erudiendis: hoc opus utilissimum recusum fuit Valentiæ, cum eleganti epistola Petri Badiæ, in qua vere, et sollerter ait Latinas Litteras, ab Italia exulasse donec ab Alphonso Aragonum Rege, non tam Regni amplitudine, quam ingenii gloria celebri, restitutæ fuere natali solo. In hac editione verba, quæ in aliis erant Castellano sermone expressa, Petrus Badia transtulit in Lemovicensi, ediditque Valentiæ apud Nicolaum Spindeler, Germanum, die XVIII. mensis Octobris, anno salutis millesimo quingentesimo quinto. Itaque certa est epocha quam assignavit Escolanus admisioni Introductionum Artis Grammaticæ Latinæ Antonii Nebrissensis in Academiam Valentinam anno millesimo quingentesimo septimo; et Petrus Badia sua laude non fraudandus

est,

est ob facinus præclarum, in quo patrando, multa acerba, et iniqua perpessum fuisse credere debemus, cum bona pars Declamationum, seu Insectationum Vivis, non in Nebrissensem, sed in Badiam, rivalem Amigueti, cecidisse videatur.

Tam altas radices egerat Ars Grammaticæ Latinæ Nebrissensis in Academia Valentina, ut Andreas Semperius, cujus merita in studia publica erant singularia, editis libris Institutionis Grammaticæ Latinæ, plausuque receptis Callari urbe Sardiniæ, Beatiæ in Betica, et Palmæ in Baleari Majori, a Consulibus Valentinis Academiæ parentibus ejus exilium exorare non ausus fuerit, sed his verbis aperuerit mentem suam: *Deinde, si videmus Introductiones Grammaticas Antonii Nebrissensis, hominis quidem doctissimi, bonarumque litterarum in Hispania parentis, sed tamen externi, semper dignas habitas fuisse suo jure, quæ, cum in aliis omnibus Academiis, tum in hac nostra florerent, cum primum editæ fuerunt*: (Valentiæ, curante Badia) *¿cur hæc Institutio mea, qui Valentinus sum, a tot nationibus* (Sardoa, Bætica, et Balearica) *jam quatuor et viginti annos recepta, a meis Valentinis expelletur, exterminabitur, ejicietur? Fateor equidem, fateor, me nec cum Antonio Nebrissensi, viro summo, nostroque omnium præceptore, conferendum esse*, (minus modeste se gessit Laurentius Palmyrenus in Oratione in laudem Classium habita in Academia Valentina XIV. Kalendas Novembris, 1561. in qua dixit inscite: *Abeant ergo qui negant nostra ætate Antonios Nebrissenses reperiri posse, vel posse nos majorum industriam adumbrare*) *nec ita delirare, ut cupiam illum excludi, me vero solum recipi: sed ut illi, illi tota Schola Valentina pateat, mihi autem tantum obscurus aliquis angulus aliquando relinquatur.* Hactenus doctus Medicus Semperius.

Petrus Augustinus Morla, Jureconsultus Valentinus, ait Ludovicum Vivem scripsisse *Declamationes in Antonium Nebrissensem*; sed puto easdem fuisse quarum Escolanus meminit, quæ, una cum auditorio Amigueti, evanuerunt; nam cum Hieronymus Amiguetus esset barbarus, velletque discipulum Vivem exerceri in loquentia, inter alia argumenta jussit eum invehi in Antonium Nebrissensem, teste Escolano, qui initio sæculi decimi sexti solus erat in Hispania adhibita magna animi contentione agens

in

in Academiis de barbarie ab eis eliminanda; sed Invectio illa non comparet, nec ullus eam legit, debeturque eam non desiderari: scimus vero Joannem Ludovicum Vivem per omnem vitæ suæ cursum plurimi fecisse Nebrissensem, cujus dotes debitis laudibus celebravit; nimirum in *Epistola* 1. *de Ratione Studii Puerilis, cap.* 10. *de Vocabulis*, ait: *Vocabulorum veræ et propriæ significantiæ explanabuntur, ne improprie utatur; tum differentiam inter illa, quæ similia videntur; et congruentiam inter ea, quæ dissimilia. In hoc proderit non totum Vallam enarrare, sed quædam ab illo excerpta, qualia Nebrissensis collegit, et Antonius Mancinellus.* Designavit his verbis Ludovicus Vives *Differentias excerptas ex Laurentio Valla ab Antonio Nebrissensi*, extantes in ejus Grammatica. *In Epistola II. de Ratione Studii Puerilis cap.* 18. loquens Vives *de Grammaticis*, Nebrissensem enumerat inter præcipuos Artis Grammaticæ scriptores, itaque mirum non est, si *libro* 3. *de Tradendis Disciplinis* scripserit: *Ad formulas primorum rudimentorum habet Institutor ex veteribus Donatum, novos autem Nicolaum Perottum, Sulpitium Verulanum, Antonium Nebrissensem, Philippum Melanchthonem; sumet quem volet, pares esse in tradendo video.* Et paullo post: *Expediet in quaque etiam vulgari lingua; geminum pueris tradi* (Dictionarium) *unum, quo Latina verba reddantur vulgaribus; alterum, quo vice versa, vulgaria Latinis, quod in nostro sermone Antonius Nebrissensis fecit, opus non satis exactum, tironibus magis, quam provectioribus utile.* Neque aliud erat judicium ipsius Nebrissensis de Dictionario suo, uti narrat Franciscus Sanctius Brocensis in *Minervæ Dedicatione* ubi ait de Antonio loquens: *Dum ille in patria mea Brocis, ubi Dictionarium et Artem adornabat, febricitans decumberet domi Marcelli Nebrissensis filii, Cruce Alcantarensis Ordinis insigniti* (Commendatarii de la Puebla, de quo Alphonsus de la Torre, vol. 2. pag. 643. Chronici Equitum Alcantarensium) *subinde suspirans* (*ut patrem meum sæpe dicere audivi*) *conquerebatur, Artem sibi et Dictionarium imperfecta relinqui.* De hoc argumento silere satius duco, quam pauca dicere; hoc tantum dico in illo esse multa unde provectiores proficere possint; et ut aliquo modo temperem censuras Vivis, et Sanctii, adducam sententiam Arii Barbosæ, Lusitani, in Epigrammate quod legitur in editione *Dictionarii* quam accuravit Joannes a Molina,

na,

na Carpetanus, natus Mirobrigæ, sive Civitate Ruderici, Valentiæ anno 1533. apud Franciscum Diaz Roman. Iste Molina notior est titulo *Bachalaurei* apud Escolanum, aliosque: en Carmen, quod si lector hic non legerit, fortasse nullibi.

AD ANTONIUM NEBRISSENSEM ARII LUSITANI

EPIGRAMMA,

Quo illum hortatur ut suum Lexicon edat.

¿Cur opus, Antoni, clarum, atque insigne recondis?
¿Cur negat ipse suum pulcher Apollo jubar?
Ille liber, Phœbo similis, fulgebit in Orbe,
Altior illustrans quæ latuere diu.
Quidquid enim in mundo rerum natura paravit,
Ordine perspicuo conspicienda patent.
Nec genus, aut quæ sunt tantum communia monstrat,
Sed specie in propria quidquid in Orbe fuit.
¿Quis putet hoc ipsum cunctos potuisse, quod unus
Hispanus Varro præstitit, et Figulus?
Nam Latias voces nostris, et Græca Latinis,
Et rebus voces reddere difficile est.
Durus uterque labor. Res nulli tacta priorum.
Ars tamen, et virtus ardua quæque petunt.
¡O vis excellens animi! respublica, nostræ
Hunc Academiæ, Discipulique petunt.
Flagitat hunc Medicus, Vates, Jurisque peritus,
Theologus, Orator, Philosophusque simul.
¿Quis non cunctarum rerum sibi nomina aperte
Sermonem in patrium versa videre velit?
¿Denique librorum silvam diffusa per omnem
Ad nutum propriis quæque notata locis?
Vera cano; nec dulcis amor sic judicat, imo
Ex hoc judicio defluit auctus amor.

Et satis hæc dicta sunto de Dictionario Nebrissensis. Etiam ad lau-

laudes hujus viri a Vive illi collatas adferri debet illud libri 3. *de Tradendis Disciplinis*: *Ipse per se discipulus, post prima illa rudimenta ubi clarius aliquid ceperit in litteris cernere, privato suo studio hos leget: in Arte Grammatica Thomam Linacrum, a quo multa sunt Latinæ linguæ mysteria ostensa, ac sine impietate, prodita: tum duos Antonios, Nebrissensem, et Mancinellum.* Et in *libro 2. cap. 6. Commentariorum in Civitatem Dei D. Augustini*: *Sic legit Antonius Nebrissensis noster, Grammaticus diligentissimus.* In *Exercitatione Linguæ Latinæ* in Dialogo *Scriptio*, cum Scholam principem designare vellet sic orsus est (Rudericus Manricus Alphonsi filius) *Manricus. ¿Adfuistin' hodie, quum ille haberet orationem de utilitatibus scribendi? Mendoza. ¡Ubinam? Manricus. In auditorio Antonii Nebrissensis.* Ex eo prodiit germana et vera Ortographia, et sapiens Grammatica Castellanæ linguæ, ut prætereram præclara ejus merita in promovendis litteris Hispanicis, Latinis, Græcis, et Hebraicis.

Nec solum veneratus est Vives Nebrissensem ut virum Humanissimum, sed Jurisperitissimum etiam, et idcirco cum ageret de inscientia Græcitatis, et Latini sermonis in Jure Civili dicendo, scripsit, *Lib. 7. de Caussis Corruptarum Artium*: *Ad hæc, Historiam, et temporum rationem oblivio oppressit; quibus ex caussis pro cœlo exposuerunt cucurbitam,* (Hinc certe manavit proverbium illud vulgare: *Hacer del Cielo Cebolla.*) *et Historias confixerunt, cum veras ignorarent; quorum omnium fuse adferrem exempla, nisi ea nota essent jam vel mediocriter doctis facta ex libris eorum qui peritiam Juris aggressi sunt illustrare adjuti linguis, et cognitione antiquitatis, Budæi, Alciati, Zasii, Salomonii, Nebrissensis.* Ælium Antonium Nebrissensem fuisse Grammaticum nemo est qui nesciat, cum ejus nomen præferat Ars vulgaris Linguæ Latinæ consarcinata a Joanne Ludovico de la Cerda, jussu Regii Castellæ Senatus, licet fere nullus viderit ejusdem opus germanum de Grammatica Latina elaboratissimum, cujus patrocinium apud nostrates Petrus Badia suscepit; sed fuisse Criticum, Philosophum, Cosmographum, Medicum, Historicum, et Theologum: vix tres aut quatuor viros doctos reperies, qui viderint et oculis lustraverint scripta ejus valde rara, et auro contra non cara.

In *Quinquagenis* Theologum se ostendit Nebrissensis, de qui-

bus

bus Vives adeo æquo animo judicavit, ut de eis scripserit ad calcem *Libri tertii De Tradendis Disciplinis*: *Multa in auctoribus enucleant Hermolaus Barbarus, Plinium, ac Melam annotans; Angelus Politianus in Centuriis; Budæus, Alciatus, Sabellicus, Beroaldus, Ægnatius, opere cui titulum fecerunt Annotationes Auctorum; tum Ludovicus Cælius, Antonius Nebrissensis in Quinquagenis.* Sed quale fuerit fatum hujus operis, et judicium censorum Hispanorum res est lippis et tonsoribus nota.

Credo de *Quinquagenis* loqui Ælium Antonium Nebrissensem scribentem Joanni Sobrario lib. 3. Epistolarum Lucii Marinei Siculi, his verbis: *Ego vero maneo apud Cantabros*, (Lucronii ut puto) *atque adhuc morabor ad medium septembrem jussu Præsulis mei Cardinalis Hispaniæ*, (Francisci Ximenezii a Cisneros) *doque operam quemadmodum ex impressione excudatur opus quoddam in utriusque Testamenti Sacras Litteras elaboratum partim meo, partim ipsius Domini Cardinalis ingenio.*

Merito ergo Ælius in *Apologia Quinquagenarum* elegit Æditicium Judicem (*por Juez Inapelable*) Fratrem Franciscum Simonidem, Toletanum Præsulem, atque totius Hispaniæ Protomysten, apud quem respondit objectis, quæ a criminatoribus suis objiciebantur, quæ originem ducebant a censura Didaci Deza Dominicani, hæreticæ impietatis in Hispania Quæstoris Maximi: qui hanc historiolam internoscere cupiat adeat *Specimen Bibliothecæ Hispano-Majansianæ.*

Ælium Antonium Nebrissensem tamquam purum Grammaticum solum agnosci apud nostrates mirum non est, cum idem tanti fecerit hujus nominis quanti docet idem Vives *Lib. 2. De Causis corruptarum Artium*: *Ergo Grammaticorum nomen prisci affectarunt complures; nec ætate nostra defuerunt doctissimi, qui ornari se appellatione ejusmodi arbitrati sunt, inter quos Angelus Politianus, et Hispanus noster Antonius Nebrissensis*, (his nominibus notior quam nativis, *Antonio Calà, Harana del Ojo*) *qui, pro varia et late patenti eruditione, quum esset diligenter in omni Scriptorum genere versatus potuisset quodcumque nomen usurpare, non solum cum bona Professorum ejusce Artis venia, sed cum magna etiam lætitia, quod non parum gloriæ professioni suæ accessurum ex hujusmodi hominis splen-*

dore, et nominis celebritate existimassent; nihil tamen dici et haberi maluit quam Grammaticus.

Lucius Marineus Siculus in epistola ad Arium Barbosam Lib. xi. scripsit ei: *Video enim te, parvi quæstus amore captum, commodum honesto prætulisse, quod te virum perdoctum, ac pæne Stoicum, mea certe sententia, non decuit; qua in re miror tuæ Minervæ oculos caligatos; nam etsi Grammaticæ professionem istam te consecuturum exploratum tibi fuisset, nulla tamen ratione te tam parva stipendii accessio movere debuerat, ut relicta in Gymnasio pulcherrimo Rhetorices lectione, in spurcissimis haris Grammaticen profitereris, non quia professio Grammatices honorifica non sit, sed quia apud Hispanos non solum in honore non est, sed etiam ludibrio habeatur.* Sed Arius ut vir probus ei rescripsit: *Non enim me stipendii majoris accessio tantum movit quantum publicæ utilitatis gratia, inque Academiam hanc nostram, quam ego patriæ antepono, amor meus incredibilis; videbam sane jam tunc quod nunc video, ob inscitiam, ne dicam barbariem Præceptorum, qui primæ litteraturæ fundamenta sine calce jaciebant, hoc est, sine ullo Romanæ linguæ candore, vix duos, tresve Salmanticæ inveniri qui Latine loquerentur, plures qui Hispane, quamplurimos qui barbare.*

Ad hoc nomen *Grammatici*, quo tantopere Ælius Antonius Nebrissensis gloriabatur, alludit idem Arius Barbosa, Lusitanus, versiculis duriusculis infine Lexici hoc epigrammate ad Antonium:

Grammatici officium gyro male clausit iniquo
Nostra ætas quantum nescia fulcit onus.
Nam quicumque docet modo prima elementa, solemus
Nomine non proprio, dicere Grammaticum.
Cautior at multo veterum, et sapientior usus,
Hæc solum Criticis nomina tanta dedit,
Quorum aperire fuit cunctorum sensa librorum,
Quos pænes, arbitrium, judiciumque fuit.
Maximus ille vir est, molem qui nominis hujus
Sustinet, et nigro rarior ille cygno.
Grammaticos vidit paucos veneranda vetustas,
Qualis Aristarchus, Didymus, Antigonus;
Tempore sed nostro florens Antonius, unus

Lau-

Laude vir insigni, secula nostra novat:
Doctarum hunc tantum non diligit una Sororum,
Diligit hunc studio sed Dea quæque pari.

Antonius Nebrissensis, qui fuit Græcæ et Latinæ linguæ inter Hispanos instaurator, voluit etiam renovare notionem pristinæ significationis vocabuli Grammatici, Græcos inter Latinosque: ego de Arte Grammatica repetam quod Laurentius Palmyrenus diserte dixit in Oratione habita Valentiæ anno 1561. et excussa in Campis Eloquentiæ: *Nemo hanc facultatem vituperat, nisi aut imperitus, aut invidus, aut improbus sit; imperitis, si non sunt malitiosi, ignoscendum est; invidi, quoniam judicio malo et corrupto sunt, plane non curandi; improbi vero, qui mendacio delectantur, et nocent calumnia, pœna publica essent coërcendi.*

Relatis jam elogiis a Joanne Ludovico Vive in Nebrissensem collatis, quibus abunde compensavit Invectiones, quæ instigante Hieronymo Amigueto Præceptore suo cuderat, lubet mihi apponere laudem quam Ælio Antonio contulit Desiderius Erasmus Roterodamus in epistola ad Ludovicum Vivem: *Academia Complutensis non aliunde celebritatem nominis auspicata est, quàm a complectendo linguas, ac bonas litteras; cujus præcipuum ornamentum est egregius ille senex, planeque dignus, qui multos vincat Nestoras, Antonius Nebrissensis.*

Præter Hieronymum Amiguetum habuit etiam Ludovicus Vives Institutorem in Grammatica Latina Danielem Sisò; Ludovicus scripsit Parisiis mense Aprili anno M.D.XIV. *Triumphum Christi*; Virgini vero Jesu Parenti minor Triumphus contigit, quem Ovationem Romani dixerunt; in ea Petrus Ivorra, Vivis condiscipulus, et conterraneus, Philosophus sane quam acutus, Orationem habuit de Virginis Ovatione, et in ejus fine adjunxit: *Hæc habui De Virginis Ovatione quæ dicerem, facturus finem, nisi viderentur mihi referenda nunc vobis quæ Valentiæ in novo Gymnasio Præceptor olim in Grammatica tuus, Ludovice, Daniel Sisò de hac ipsa re disseruit.* Novum appellat Ivorra Gymnasium quia anno 1500. erectum fuerat ab Alexandro VI. Pont. Max. et a Ferdinando Rege Privilegio munitum Hispali die 16. Februarii anni 1502. Se-

natusque Urbis Valentiæ sabbato die 8. mensis Octobris per præconem denuntiavit Civibus Bullas, et Privilegia Gymnasii Generalis, ut constat ex libro Manuali hujusce anni.

Huic tanto negotio Jurati Valentini animos intendebant ut esset commodum ædificium Magistris, et Discipulis: qualis erat structura ædificii hujus Gymnasii describit Ivorra hisce verbis: *Locus est in primo Scholarum aditu, qui facile pluvia, pulvere, frequentiaque Scholasticorum fit cœnosus; eum ubi paululum superaveris, altas offendes scalas, quæ ad ornata cubicula, aulasque ferunt, in quibus docetur: paratissimum certe optimis Institutoribus, uti spero, venturis locum: vestibulum est sæpe subobscurum, at porticus non inamœnæ, lapis ingens est sub schalas ceruleus, ad quem interpolæ plerique, si quid novi habent, confluunt, ut libros, tamquam servos, de lapide vendant.*

Sed Mencia a Mendoza, excelsi animi et doctrinæ Princeps, hoc non contenta ædificio aliud magnificentius struxit, de quo audire debemus Hieronymum Ledesmam in epistola nuncupatoria præfixa *Compendio Græcarum Institutionum*, edito anno 1545. quinto post mortem Vivis, ubi sic scribit Menciæ a Mendoza, Calabriæ Duci: *Sunt enim in Te cum eruditione ipsa, quod in femina rarissimum est, veluti per manus litterarum tradita patrocinia:::: Atque ut certius sit ac firmius, Gymnasium celeberrimum in nostra hac Urbe construere machinaris, in quo politiores litteræ floreant, exulantibus scilicet nugis, ac sophismatibus, in hoc usque tempus cuncta tyrannide sua opprimentibus:::: Ad eorum tamen stabiliendos ac firmandos animos, cum primum rem aggrediebantur, non parum meæ sine ulla intermissione et preces, et adhortationes profuere, præsagiens, scilicet, Te bonorum studiorum amatoribus maxime profuturam, in libertatemque eorum aliquando animos asserturam: quod jam ita esse sole clarius, quæsito nimirum ad Gymnasii structuram aptissimo loco, cernimus: de quo negotio cum mihi, et Petro Joannio* (Honorati, discipuli Vivis fratri) *Patritio Valentino, viro, et raris moribus, et litteris tum Latinis, tum Græcis præclaro, Celsitudinique tuæ non mediocriter caro, sermo, ut solet, incidisset, obstupui audiens liberalissimam illam tuam largitionem, qua nunc primum nascentem Academiam donare dignata es. Jam animo volvo ædium singularem majestatem, Professorum doctrinam incomparabilem, audientium ingentem confluxum, conditiones honorificas,* dis-

discentium profectum maximum, vivendi leges sanctissimas, insignem morum probitatem; quæ omnia Gymnasium reddent illustre, et nomen tuum indelebile. Ob quod egregium facinus, invita barbarie, cœlum Tibi proculdubio paratum, qui bonas litteras amamus, credimus: quin et quinque illos annos, quos ad tantæ molis structuram incipiendam merito assumsisti, in quinque menses, atque adeo in quinque dies. ¿Quid dixi dies? imo, et in horas quinque, vel copiosissima nostri sanguinis profusione redigeremus.

Hactenus Michaël Hieronymus Ledesma, de quo scriptore Andreas Schottus in *Bibliotheca Hispaniæ* ait Hieronymi Ledesmæ fuisse filium, *ejus qui civili secessione* (en la guerra de la Germania) *anno* 1520. *quod Regis partibus studeret a plebe pæne occisus est*, quod transtulit Nicolaus Antonius, ejus vestigia premens, quia non temere credebat Schottum diligenter commentatum fuisse quæ exaravit de scriptoribus Valentinis, utpote ex vicina Antonii Augustini Præsulis Tarraconensis aula, in qua aliquot annos transegit; sed Franciscus Ortinus, oscitanter his lectis, retulit in *Memoriis Historicis Universitatis Valentiæ* Hieronymum Ledesmam, Michaëlis patrem, a plebe occissum: verum audire oportet Joannem Baptistam Agnesium testem oculatum, in *Apologia pro Equitibus Valentinis*: *Sed nec silentio prætereundum dignum fecerim quantum fidei, quantum animi ubique Hieronymus quidam Ledesma ostendit, qui ante annos aliquot, quum singulari duello Vincentium Peres vulneratum vicisset, semper hostilissimum habuit; quare, et eodem die quo a perfidis, Valentiæ, Franciscus Salinas ad mortem ab iisdem conjuratis quæsitus, domo relicta, et parvulo nato Hieronymo Ledesma, qui nunc nostræ hujus Urbis litteris tam Latinis, quam Græcis inter Poëtas, Philosophos, atque Medicos est ornamentum eximium, ad Ducem* (Segorbiensem) *Alphonsum* (Aragonium) *confugit; quem ubique secutus, integerrimæ fidei, atque integritatis inde inter Cives fidos, ut soli illi Valentiæ custodia capitalium conjuratorum credita fuerit.* Hactenus Agnesius de Ledesma patre.

Eodem anno 1545. quo Ledesma hæc scripsit de Gymnasio Valentino, Agnesius edidit nonnulla carmina pietatem ejus testantia, et inter alia unum ad Excellentissimam Dominam Menciam Calabriæ Ducem de Vita, et Laudibus Divi Martini, in quo inter alia cecinit: *Vir-*

Virtutem quæ amplexa foves, ita prodiga doctos,
Pieridum divis docta faves choris.
Extorres revocas, Reduces placida excipis hospes,
Induis, et vacuas pascis alumna bonis,
Atque altas illis Ædes, ne deinde vagentur,
Sumtibus immensis erigis ampla tuis.

Et ad marginem indicavit: *Mencia, Calabriæ Dux, extorres non modo Musas revocat, sed eis Valentiæ impensis propriis celeberrimas erigit Ædes, id est Generale Gymnasium bonarum omnium litterarum futurum.*

Franciscus Decius in Oratione *De Scientiarum et Academiæ Valentinæ laudibus*, excussa anno 1547. septimo post emortualem Vivis, dixit: *Accedit his illud quod tanta sunt litterarum omnium apud nos incrementa, ut possimus jam cum primi nominis Academiis, vel studentium numero, vel dignitate Professorum facillime contendere; nam quæ olim senes ultimis annis assequi non poterant, puelli nunc primis edocentur.* (Ut mihi videtur loquitur de Grammaticis libris Miraveti, Mijavilæ, et Amigueti). *Conferte quæso pueros istos, quos in scholis Latine, atque Græce loquentes passim auditis: conferte inquam cum his, quos paucis retro annis* (ante Petrum Badiam) *balbos, atque barbaros esse videbatis: tum illorum cavillationes cum his disciplinis, quæ nostris temporibus præleguntur: ¿quid aliud invenietis, quam studiorum omnium rationem in melius ita mutatam, ut hujus ætatis tyrones summis illius sæculi veteranis anteponantur? Cujus sane beneficii, quamquam ætati recipienti bonam partem debeamus, uni tamen Menciæ, Tibi Principi clarissimæ, laus omnis est ascribenda; Tu enim bonarum litterarum patrocinium invicta suscipiens, signum primo Valentiæ erexisti, ad quod se linguarum studiosi, oppressi quidem antea tyrannide barbarorum, reciperent; Tuis auspiciis acies nostræ instructæ, illorum quoque dissipatæ sunt; Tu nostris mentem pugnandi; Tu animos in prælio; Tu victoriæ gloriam contulisti: per Te igitur eloquentia regnat, studia florent, disciplinæ vigent, neniæ exulant, balbuties exploditur, nebulæ evanuerunt, serenitas tandem studiorum reddita est.*

Franciscus Joannes Bardaxinus, vir elegantis ingenii, in epistola nuncupatoria ad Senatum Valentinum, et ad doctissimum

Rec-

Rectorem Gymnasii Joachimum Mijavila, præmissa pretioso opusculo *De Conscribendis Epistolis* mentionem facit constructionis hujus Studii generalis ad hunc modum: *Nam vivunt etiam nunc* (anno 1564.) *hac nostra ætate non pauci, qui, etsi sunt grandes natu, vivunt tamen et memoria tenent a quibus nostræ Scholæ prima fundamenta jacta sint; a quibus erecti parietes; quorum operâ tantum creverit ædificium; et quorum denique consilio, atque prudentia, homines utcumque eruditi ad prælegendas, ut ætas illa ferebat, Artes acceserint.* Sed de Menciæ a Mendoza meritis in Academia Valentina erigenda fortasse commodior locus erit nobis dicendi.

Cum novum Gymnasium Valentinum constitutum fuerit anno 1502. in eoque Joannes Ludovicus Vives operam dederit Grammaticæ Linguæ Latinæ sub Hieronymo Amigueto, et Daniele Sisone, quorum Institutorum meminit, etiam conjicere debemus Sermoni Græco utique operam navasse, nam Hieronymus Amiguetus meminit fol. 66. Bernardi Navarro utriusque linguæ moderatoris, amici sui: certe Vives egregie calluit Græcam linguam, ejusque cognitionis præclara posteritati reliquit testimonia transferens multa veterum scriptorum testimonia oratione soluta et astricta: liquet etiam ante Michaëlem Hieronymum Ledesmam, et Petrum Jacobum Stephanum, Linguam Græcam locum habuisse in Gymnasio Valentino: in præsentiarum possumus repetere quod scripsit Laurentius Palmyrenus ad calcem *Camporum Eloquentiæ*: *Friget enim Græca lingua vehementer apud Valentinos, vel difficultate deterritis adolescentibus, vel prensationibus Dialecticorum avocatis*: Palmyrenus in hac lingua addiscenda Præceptorem habuerat Petrum Pugium Bezeitensem.

Sed licet Ludovicus Vives tales Magistros habuerit, tamen apparet ejus solertia, et ingenii acumen in Grammatica Latina perdiscenda ex illo quod refert Lib. 2. De Causis corruptarum Artium: ¡*Quoties illud mihi Joannes Dullardus ingessit! Quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor Dialecticus, et Theologus.* Mirum igitur est, prima opuscula quæ Vives adhuc adolescens in lucem publicam emisit, hærens adhuc in cœno scholastico, libera fuisse a vitiis solæcæ et barbaræ Latinitatis, eo tempore in universa Europa frequentissimis, Magistrorum barbarorum caussa; quod animad-

madvertere debuerat Henricus Stephanus, homo alioquin Græcæ Latinæque linguæ peritissimus, nisi magis apud eum valuisset invidia erga hominem ingeniosum, doctum, piumque, quam consideratio studiorum exactorum inter homines studiosos; et Bajuletus non .debuerat pedibus ire in consilium Stephani.

Dedisse Ludovicum Vivem Valentiæ operam Philosophiæ negari non potest, cum in hac Urbe Henricus Marchus acutissimus Jurisperitus, et avunculus ejus, prælegerit ei Institutiones Justiniani Cæsaris, ut idem grato animo refert Commentariis in Lib. 19. Augustini *De Civitate Dei*, cap. 21. ita scribens: *Id quod, puer pæne, audisse me de Henrico Marco avunculo meo memini, quum acutissimus ille Jurisperitus Justiniani Cæsaris Institutiones in Patria mihi prælegeret.*

Auctor præfatiunculæ editionis Dialogorum *Exercitationis Linguæ Latinæ* excussorum Valentiæ, anno 1768. apud Salvatorem Faulí, ait Sophistas non sivisse ut Vives doceret in Academia Valentina, quia timebant suum exitium, innixus quibusdam verbis Vincentii Blasii Garciæ, in *Epitome Rhetoricæ*, quorum sensum neotericus scriptor assecutus non fuit; scripsit enim Blasius pag. 122. *Hac* (Figura) *usus est apud Ludovicum Vivem* (*ab Academia Valentina imprudenter exclusum*) *puer, qui minatus est ei qui librum inde amoveret ubi ipse posuisset, fracturum se:::: Rogatus, ¿Quid dicturus esset iratus? Respondit: Frangam illi panem in mensa.* Vincentius Blasius Garcia ob oculos habuit Vivis Dialogum, *Iter, et Equus* in quo ait *Puer. Hui, nec oream habet, nec aureas. Philippus. Si scirem quis fregisset, ego illi frangerem. Misipus. ¿Quid tu nunc dicis concitatus? Philippus. Panem in cœna.* Quod vero ait Blasius Vivem *imprudenter exclusum ab Academia Valentina*, potius intelligendum arbitror *De Dialogis Exercitationis Linguæ Latinæ*, quam de ipsomet Vive; præsertim cum eo tempore, quo Ludovicus litteras colebat in scholis Valentina et Parisiensi, strenue stipendia merebatur in castris Sophistarum, quod asseruit Erasmus Roterodamus in epistola ad D. Hermannum, Comitem novæ Aquilæ, initio Declamationum: *Cum in subtilibus quidem illis, sed infantibus disciplinis versaretur, nemo disputabat acrius, nemo magis agebat Sophistam*: et idem Ludovicus cum scriberet in *Pseudo-Dialecticos* di-

dixit Joanni Forti conterraneo suo: *Si hæc, quibus homines inepti gloriantur, nota mihi non essent, ne hiscere quidem in his auderem: novi enim quid confestim solita sua insolentia jactant: Damnat quia non intelligit. Verum tu es ipse testis; sunt et alii condiscipuli mei, me non degustasse solum has insanias, sed etiam intima pæne illarum penetrasse; modo intimum esse possit in re, quæ utpote vitium in inmensum protenditur periculum, si quis non credit: non hæc gloriandi gratiâ dico, neque enim gloriæ materiam ullam video; utinam non tam in illis promovissem, quæ quoniam tenero adhuc animo accepi, summoque cum studio, ideo tam tenaciter hærent, ut elui nulla a me arte queant; et mihi, vel invito occurrant, obversenturque præsenti in cogitatione.*

Agnoscebat Joannes Ludovicus Vives deesse sibi in patria eruditos Magistros, et eos audiendi caussa Lutetiam Parisiorum adiit. Valentini illis temporibus in more habebant Parisiis litteris operam dare, et idcirco Andreas Schottus doctissimus Belga in *Bibliotheca Hispaniæ* de Valentina Academia agens scripsit: *Inter Medicos vero excelluit Jacobus Stephanus, Medicus et Mathematicus insignis, de quo alibi pluribus; item Rhetores, Petrus Joannes Nunnesius, Laurentius Palmyrenus, Andreas Semperius, Matthæus Bossulus Parisiensis, Barthol.* (legendum Michaël) *Ledesma in Græcis egregie doctus, et alii claruerunt, quorum plerique Lutetia Parisiorum, quo excolendi ingenii gratiâ ante exortos civilis belli tumultus, tamquam ad frequentissimam panegyrim proficisci solent, et uberes patriæ fructus reportarunt.*

Ludovicus Vives igitur populares suos imitans Lutetiam Parisiorum se contulit anno M. D. IX. nam in concione *de Sudore Christi* scripta Brugis mense Novembri anni 1529. ait: *¿Quando auditum erat homines perire tussi? At perierunt annos ab hinc circiter viginti in Gallia, ubi tum ipse eram.* Illic Magistrum habuit Joannem Dullardum, de cujus institutione Philosophica facile judicium ferri potest ex iis quæ Vives retulit Lib. 2. *de Causis corruptarum Artium* qui est de Grammatica; *Quoties illud mihi Joannes Dullardus ingessit*: Quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor Dialecticus et Theologus: *quasi vero non sit Latinus, et Græcus sermo, multo quam ipsorum balbissima barbaries facundior et copiosior, ¿et non maximi viri de Artibus omnibus, quanto quam nunc accuratius et rec-*

tius, purissimo scripserint sermone? Sed haud dubie nova prodigia Quidificatio, Realitas, Idemtificatio, Quiditative, Ecceitas, *et similia, vetere elegantia explicare nequeunt; non capit res tam immundas pannus candidissimus.* Huc facit quod ait Ludovicus Crocius in *Instructione de Ratione Studii Theologici*, qui inter alia Theologo præscribit: *Disciplinas instrumentarias studiosus Theologiæ præ cæteris discat: et Grammaticam, quam quisque puer didicit cum Lexicis, in omnem ætatem sibi servet, ac tractet familiariter; neque enim hîc nobis audiendus est Joannes Dullardus ex superiore ætate, qui in barbara et sophistica Theologia aliorum præceptor, illud suis instillare consueverat*: Quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor Dialecticus et Theologus.

Fortasse Magister ex colloquiis cum discipulo meliorem sententiam postea secutus fuit: nam in libro in *Pseudo Dialecticos* ita scripsit: *Dullardum et Gasparem Laxem præceptores olim meos, quos honoris gratia nomino, querentes sæpe summo cum dolore audivi, se tam multos annos rei tam futili, atque inani impendisse.* Dullardus fuit etiam Præceptor in Philosophicis Joannis Martini Silicei Archiepiscopi Toletani.

Joannem itidem Dullardum Magistrum in Physicis laudat Vives *lib. 5. de Causis corruptarum Artium.* Fortasse in patrio gymnasio tempus tantum triverat in Dialecticis et Metaphysicis quæstionibus more illius ævi recepto: licet non esset melior conditio Academiæ Parisiensis, nam *Lib. 3. de Causis corruptarum Artium* dixit: *Mirandum est cum Dialecticam fateantur esse instrumentum aliarum Artium, huic Lutetiæ duos annos impendi, cæteræ autem Philosophiæ, et De Natura, et De Moribus, et primæ Philosophiæ, vix annum. ¿Quid quod quidam, etiam de hoc anno, aliquid Dialecticæ decidunt? multi tota vita etiam longissima, nihil aliud sunt quam Dialectici.*

Jacobus Bruskerus multijugæ lectionis vir adducto hoc Vivis testimonio in *Historia Philosophiæ* scribit: *Quam insaniam cum jam suo tempore acri stilo confoderit Joannes Sarisberiensis, nec negent qui Historiam celeberrimæ Universitatis* (Parisiensis) *scripserunt, manifestum est, toto Scholastico ævo imputari.* Andreas Schottus vir doctissimus, et de Hispania optime meritus si quis alius, in volumine tertio *Bibliothecæ Hispaniæ*, in vita Joannis Gelidæ (Valenti-

ti-

tino sermone *Geslida*) diserte testatur elegantem hunc virum quatuor Philosophica stadia, quæ quaternorum erant annorum, confecisse maxima cum laude; et Petrus Maffeius in Vita Ignatii a Lojola, qui in gymnasio Parisiensi, in Collegio Barbarano, hoc eodem fere tempore Cursum Philosophicum peregerat, scribit, statutum fuisse triennium cum biennio huic curriculo conficiendo: apud Bulæum in Historia Universitatis Parisiensis memoratur deliberatio de cursu Philosophico, qui fuerat trium annorum, et semestris, ad biennium cum dimidio redigendo: Jureconsultorum tricæ, et Philosophorum quisquiliæ in tempore metiendo, et mentiendo, caput extollunt.

Præter Dullardum habuit etiam Ludovicus Vives Lutetiæ Magistrum Gasparem Lax, quem in *Triumpho Jesu-Christi* laudavit ut virum ingenio quam acerrimo, et memoria tenacissima, qui anno 1511. edidit Parisiis Tractatum *De Oppositionibus Propositionum Categoricarum, et de earum æquipollentiis*, dicavitque Hieronymo Cabanillio nobilissimo viro, Sancti Jacobi Equiti, Ferdinandi Regis Catholici Legato apud Galliarum Regem, cui Vives partes dedit in Dialogo *Leges Ludi, Exercitationis Linguæ Latinæ.* Lax erat ex oppido *Sariñena* in Regno Aragonum, et ideo *Sarignenæum* appellatur a Ludovico: hos Vivis Præceptores Dullardum, et Laxem, ad vivum depinxit Alfonsus Garcia Matamorus Professor Complutensis, in opusculo *De asserenda Hispanorum eruditione*, in hunc modum: *Ita serpsit hæc contagio, diffusaque est per totam Hispaniam, ut nulli homines, secundum Parisienses, aut plane barbariores, aut in illis suis prodigiosis inventis pertinatiores quam Hispani invenirentur; ut enim primum intellectum est quantam vim ostentationis haberet subdola, et facta quodammodo disserendi ratio, tum etiam Magistri ex nostra Hispania multi illius novæ Artis subito extiterunt: quia nusquam fertiliores segetes nasci affirmant nostri coloni, quam in sterquiliniis. Tum Gaspar Lax, Ferdinandus Enzinas, duo fratres Coroneli* (Antonius, et Ludovicus), *Joannes Dolzius, Hieronymus Pardus, Cœtus, Dullardus, Naverus, aliique quamplurimi, temporibus eisdem, docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, vertere in candida nigrum, et cœlum numo venales exhibere, et quibus respondere non possent, præstigiis, cum Davo, ludificari, rem sane veris Disciplinis perni-*

nitiosam, quam non aliter inhiberi posse video (nam regnat adhuc in multis Hispaniæ locis) quam severitate invictissimi Cæsaris, quod Franciscus Galliarum Rex, importunissimis barbaris Lutetia pulsis, magna cum laude, et Gallici nominis, et majori studiorum utilitate, nostris temporibus fecit. (Quo consilio idem egit Henricus, Angliæ Rex, docet Gerardus Joannes Vossius, in Dedicatione Artis Grammaticæ.) *His autem hominibus neque ingenium defuit, neque probabilis industria, sed ætatis injuria tanta fuit ut felix multorum natura, qua donati esse videbantur, invenire aliquid perfectius non posset, in quod precipue elaborandum putaret.* Hactenus Matamorus. Petrus Ivorra, et Ludovicus Vives solebant admirari frequenter memoriam Gasparis Laxi Præceptoris sui, ut legimus in *Ovatione Virginis Dei Parentis.*

Sed Ludovicus Vives relicta Lutetia Parisiorum Belgium adiit, et sedem fixit Brugis, urbs pulchritudine et amœnitate insignis, in quam sic affectus fuit ut in Valentiam suam; placuit enim illi ratio administrationis, educatio, ac civilitas populi illius, et incredibilis in eo quies, ac justitia per gentes celebrata; et anno 1526. die 6. Januarii mittens Consulibus, et Senatui Brugensi Tractatum *De Subventione Pauperum*, ait se quatuordecim annis esse incolam Brugensis oppidi, etsi non continenter, semper tamen solebat illuc redire tamquam ad domum; et Brugenses cives magno in pretio habuerunt talem habuisse Civem, uti testatur vir doctissimus Joannes Christophorus Calvetus ab Stella in *Itinere Philippi Principis*, *fol.* 123. his verbis: *Fue mui estimado dellos, i con razon, Luis Vives, que fue uno de los varones mas señalados en letras de nuestros tiempos, natural de Valencia, Ciudad i Reino de España: hizose vecino i morador de Brujas, casandose con una doncella.* Commorari igitur cœpit Vives Brugis anno 1512.

Anno 1514. ædificari cœptum fuit Valentiæ Cœnobium Monialium Carmelitarum Divæ Annæ, cujus Templi meminit Vives in Dialogo *Exercitationis linguæ Latinæ*, *Euntes in ludum litterarium*, ubi TITIVILLITIUM: *Mater mea non est domi, ac ne soror quidem: ambæ sunt profectæ ad Divæ Annæ.* CIRRHATUS. *¿Quid illic agitur?* TITIVILLITIUM. *Heri fuerunt Encœnia.* Anno 1490. Senatûs Valentinæ Urbis dixit, more illorum tempore recepto, ut ab operibus servilibus vacarent die Sanctæ Annæ, libro Manuali hujus anni id tes-

testante; qua in re Senatores Valentini secuti fuerunt vestigia Imperatoris Emmanuelis in Constitutione in qua hunc diem posuit inter eas solemnitates, in quibus vacandum erat religionis gratia.

Discurrebat annus 1514. et Festo Resurrectionis die decimo sexto Aprilis erat Ludovicus Vives Parisiis, et cum ante meridiem operam sacris dedissent Vives, et Joannes Fortis ejus contubernalis, ac Petrus Ivorra, Philosophi sane quam acuti, convenit inter eos uti in eodem Templo, quod pomeridiano tempore supererat divinarum lectionum, et legerent, et audirent. Quibus peractis Civitatem obambulantes, Gasparem Laxem Sarignenæum (de Sariñena) Præceptorem suum, in Gymnasii vestibulo offenderunt, virum ingenio quam acerrimo, et memoria tenacissima quem cum (uti decens erat) salutassent, adjecit, ut erat omni in re, cum primis officiosus, cœnam ne secum agere illis liberet, quam renuerunt primum, deinde illi subinde suadenti obsecuti sunt: in ejus vero cubiculum cum se recepissent, Michaël Sanctus Angelus Frangensis, et Franciscus Christophorus Cives Valentini, *Horarium* deferentes (simile illi quod videmus in opusculo *De Sudore Christi*) quod Laxi ostensuri erant, advenere: invitati vero ut cœnarent, et annuentes, discubuêre cum Vive aliisque; inter cœnandum autem cum eum librum sæpius Vives contemplaretur, ageretur que de ipso miniando, ut moris erat illo tempore in similibus libris divinarum precationum, quo respicit Jacobus Roigius; Anacreon Valentinus, cum dixit:

A totes hores,
Ses belles Hores,
(Horarium)
Historiades
E ben pintades
(Miniatum)



Dor tancadòs,
(Las manecillas de oró)
Molts giradòs
(Los registros)
Sovint obria.

Et hîc (inquit Vives) Cæsaris Dictatoris Triumphus est depictus; præstantius multo (Lax ait) fuisset, si Christi nostri, Optimi Maximi, pro Cæsaris viri haud quaquam boni, foret. Mirantibus aliis quod *Christi Triumphum* dixisset, Vivique quis ille fuisset roganti, cœpit de illo disserere.

Hæc

Hæc Dialogi more refert Vives, sive vera, sive ficta, sive partim vera, partim ficta; subjungitque tres Orationes, sive Declamationes, quibus Christi Triumphum depinxit, quarum unam composuit Vives nomine Gasparis Laxis, alteram Michaëlis Sancti Angeli, et tertiam Joannis Fortis, easque dedicavit amplissimo Patri Bernardo Mensæ, Antistiti Helnensi. Parisiis, mense Aprili, anno M. D. XIV.

Procedente tempore, videlicet anno 1519. kalendis Aprilis, Ludovicus Vives in suum *Christi Triumphum* Prælectionem præmisit, quæ inscribitur, *Veritas fucata*, in qua Ludovici Vivis ingenium laudo, verisimilitudinem aliquando desidero; prælectionem illam appellavit *Veritatem fucatam* ab argumento; eam Vives composuit ut juvenes quosdam ad Sanctiores Musas (ut ipse ait) disciplinasque pleniores et fructus, et prudentiæ revocaret.

Inter Romanos, si res Triumpho minus digna foret, vel sine labore, sine certamine esset gesta, concedebatur *Ovatio*, quæ erat quasi minor quidam Triumphus, et in multis ab eo differebat; nam *Ovans* pedibus incedebat, vel equo vehebatur, non curru; myrto coronabatur, non lauro; *Ovem*, non taurum immolabat, unde ipsa *Ovatio* est dicta: Vives igitur, qui Christi Triumphum, feliciter actum ex inimicis, venuste descripserat, scite *Virginis Dei Parentis Ovationem* exaravit, pari stilo, ac ingenio.

Sed redeamus ad alteram Prælectionem editam a Vive, quæ est in *Catonem Majorem* Ciceronis, sive *De Senectute Dialogus*; et Festivitate nominum ludens ex argumento, etiam *Animam Senis* hanc Prælectionem inscripsit; quo in opusculo Vives stilum data opera demisit; nec instruxit pigmentis, lenociniisque orationem, ut senilem frigiditatem, etiam dictione ipsa exprimeret. Cum Vives esset Lovanii, kalendis Aprilis, anno 1519. dedicavit has Prælectiones, scilicet *Fucatam veritatem* in *Christi Triumphum*, et *Senis Animam* in *Catonem Majorem* Ciceronis, qui est *De Senectute Dialogus*, Joanni Curvimosano Abbati Sancti Jacobi apud Leodios; et edita fuit *Anima Senis* Lovanii apud Theodoricum Martinum Alostensem in 4. absque anni nota.

Mense Decembri anni 1518. misit Ludovicus Vives e Lovanio Seraphino Scentelli Comiti Olivæ duos libellos ad pietatem, qua

qua tantum valebat, spectantes: prior *De Pace in qua natus est Christus*: alter continebat *Descriptionem Clypei Christi*, fructuosiorem quam illam Virgilii describentis Æneæ Clypeum. Seraphinus a Scintillis fuit heros præstantissimus, qui in Urbe Valentia cum summa nobilitate, summisque opibus (nam inter Comites Hispanos nullus erat eo ditior) summam quoque adjunxerat eruditionem, et litteratorum patrocinium; decessit Seraphinus Olivæ die 16. Januarii anni 1536. et ideo Vives in Dialogis *Exercitationis linguæ Latinæ*, scriptis Bredæ Brabanticæ die Visitationis Divæ Virginis, secundo Julii, anni 1538. in eo *Leges Ludi* dixit CABANILLIUS. *Ne discedamus tam procul ab urbis corpore; ascendamus potius per Vicum Crumenarium* (la Bolsería) *ad clivum* (el Tosal, quasi tros alt) *inde ad Vicum Militarem* (Calle de Cavalleros) *et ædes familiæ vestræ, Scintilla*, (Casa de Don Miguel Cathalà) *cujus parietes lugere adhuc videntur mihi heroem illum Comitem Olivanum.* Jacobus Falcó elegans Epitaphium scripsit:

IN TUMULUM SERAPHINI COMITIS OLIVÆ.

Hunc tumulum quicumque videt, vestigia sistat,
Inclinetque suum terque quaterque caput.
Purpureas posthæc violas, et lilia fundat,
Spargat odoriferas et super ossa rosas.
Scilicet hac parva tegitur Seraphinus in urna,
Quæ, quamvis auro, sardonicisque caret,
Non foret æthereis pretiosior urna sub astris,
Si tegeret mores marmor, ut ossa tegit.

Ludovici Vivis laudibus in Seraphinum collatis adjungere debemus quas Joannes Baptista Agnesius in Apologia pro Equitibus Valentinis candide scripsit, et erunt veluti enarratio Vivis, nimirum: *Seraphinus igitur hujus filius* (Francisci Giliberti Olivæ Comitis) *et non minus animi quam virtutis heres* (*ut jam quo divertimus redeamus*) *certe si animis, si animi dotibus, non parente* (Francisco Giliberto), non avo inferior (Bernardo) *doctis haud dubium litteris, quin et munificentia utroque superior, usque adeo quidem, ut a vernula*

pri-

primæva sua ætate in senectam, et senium, habitus ubique semper sit ab omnibus Hispaniæ populis Magnatum omnium, et sapientissimus, et munificentissimus; neque enim a Primatibus Hispanis vulgo nisi Comes Litteratus *appellabatur.* Anno 1525. Franciscus Galliæ Rex, cum Urbis Valentiæ (in qua erat) Senatores eum adierint, et Balthasar Granulles, Valentini Populi Syndicus, ejus nomine dixerit Regi: *Urbem Valentiam futuram esse ejus jussis obedientem*: Ei respondit: *Ego sum Captivus cognati mei Imperatoris, et nunc Vobis gratiam rependere non possum, faxit Deus ut ego aliquando possim.* Quibus dictis, Seraphinus Comes Olivanus accessit ad Regem, qui humanissime eum accepit, et *Cognatum* nuncupavit, ut scripsit Franciscus Didacus, Monachus Dominicanus, in Adversariis m. sc. asservatis in Bibliotheca Majansiana: et de Seraphino Comite Olivæ, et Vivis fautore, satis hæc dicta sunto.

Ludovicus Vives, ut optimus Magister, non solum instituebat Guillielmum Crojum litteris, sed etiam pietate; quæ res maxime decebat juvenem designatum Archiepiscopum Toletanum, et Ecclesiæ Romanæ Cardinalem: cum igitur illi maxime placuisset quod Vives scripserat in Psalmum quartum Pœnitentialem absque libris, et sola meditatione, ab eo petiit ut, in reliquos sex, Meditationes scriberet; idcirco stylus est diversus, et inventio dissimilis, nam pro tempore scribebat quidquid illi in mentem veniebat, sed tamen semper ob oculos habebat psalmi institutum, ita ut vir Christianus semper spectet mentem Christianam; quod opus scripsit Lovanii anno 1518. Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ* de Ludovico ait: *Scripsit ad Guillelmum Crojum, Archiepiscopum Toletanum, in septem Psalmos Pœnitentiæ disertissimas Meditationes; in quibus modo ipse, modo psalmista, modo peccator, modo alius quispiam dulcibus affectibus, vel ad Deum, vel ad se ipsum, vel ad alios piissime loquuntur.* Hæ Meditationes editæ fuerunt Lovanii cum aliis opusculis Vivis, apud Theodoricum Martinum Alostensem: etiam Vives scripsit Meditationem alteram in Psalmum 37. tertium inter Pœnitentiales, Brugis anno 1529. Meditationes, et Excitationes Animi in Deum in Gallicum sermonem verterunt Godofridus de Billy, et Petrus de Lencrau.

Joannes Briardus natus Bellioli prope Artum, Hannoniæ op-

oppidum (unde Artensis audiebat, et ita Vives eum appellavit) Doctor Theologus Lovaniensis, Cancellarii Vicarius, Margaritæ Anglicanæ Caroli Audacis Belgarum Principis viduæ a Consiliis, obiit die 8. Januarii 1520. et humatus fuit in porticu Cartusianorum: Ludovicus Vives voluntatem suam erga virum studiosissimum, Sacras Litteras enarrantem in Gymnasio Lovaniensi, ostendere cupiens, misit ei strenarum vice, *Genethliacon Jesu Christi*, soluta oratione, licet stricta voluerit facere, et in fine opusculi adjecit nonnullos versiculos, quibus assignavit cantantes pastores, ex quibus, versificationis Vivianæ gustum quivis percipere potest, et agnoscere illum sanum fuisse Poëtam; quos versus aliosque Vivis qui legat, censebit eum non adeo fuisse a Musis alienum, uti scripsit auctor cujusdam opusculi M.S. inscripti, *El Humanista*, quod olim legi in Bibliotheca Regia Madridiensi; fictio *Genethliaci* parum verisimilis est, et argumentum non satis apte tractatum; cum aliis opusculis Vivianis sæpe excussum est.

Gymnasium Lovaniense maxime tunc temporis vigebat, et ideo Justus Lipsius in Descriptione Lovanii ait: *Scitote Lovanium rem insignem, rem historia et notitia dignam fuisse; sed fuisse; et fato rerum humanarum huc redactum. ¿Quid enim nunc, nisi vos pauci studiosi sustinetis? Pauci si meum adolescentiæ ævum video: et ante annos triginta septem, scio ad septena, aut octona millia eorum, qui Musis operabantur, domicilium hîc habuisse. ¡Pulcher aspectus! cum Batavi, Frisii, Menapii, ulteriores Germani, et magna nobilitas occurreret: cum Galli, Britanni, Hispani, Itali, et e longinquis etiam gentibus Europæ: hæc nos vidimus, et mixti iis fuimus.* Ad Hispanos quod atinet, Philippus secundus anno 1559. legem sancivit ne ullus Hispanus adiret Gymnasia exterorum hominum, *lege 25. tit. 7. lib. 1. Novæ Compilationis*: quo facto Hispanos tamquam in alio litterario orbe statuit. Tanta cum fama Ludovicus Vives in Academia Lovaniensi litteris incubuit, et Professorium munus exercuit, et contubernium aluit in quo fuerunt Honoratus Joannius, Didacus Grasianus, et Petrus Maluenda, aliique, ut tempore Auberti Miræi monstraretur domus a Vive olim inhabitata ad portam Urbis interiorem, qua Distemium itur, notata hoc versu in marmore:

Hîc gemini fontes, Græcus fluit, atque Latinus.

Vivis discipulus, qui illum fecit, in mente habuit quod legitur in Dialogo, *Vestitus et Deambulatio matutina* per Lovaniensem agrum, prope finem, ubi contubernalis *Malvenda. ¿Bibemus vinum? Bellius. Minime vero, sed cervisiam, et quidem tenuissimam ex flava ista Lovaniensi, vel aquam puram et liquidam, haustam e fonte Latino aut Græco. Malvenda. ¿Quem tu fontem Latinum vocas? ¿Quem Græcum? Bellius. Illum qui juxta portam est, Græcum solet nominare Vives: ulteriorem illum, Latinum: causas ipse reddet tibi quum illum convenies.*

Anno M.D.XVIII. cum jam esset Ludovicus Vives Lovanii, Antonio Bergensi juveni nobilissimo, et egregia indole, misit duos libellos unum scilicet: *Fabulam de Homine*, id est de mundana scena, in qua suam unaquæque rerum personam agit: primæ partes sunt ipsius Hominis.

Alter libellus est *Prælectio in Georgica Vergilii.* Tunc temporis Vives adhuc stipendia merebatur sub Aristotele, et ideo de hoc opusculo scribens, dicit: *Posterior libellus est Prælectio in Georgica Vergilii; neque enim absurdum prorsus est Philosophum ex tetrica illa disciplina ad blandiores Musas animi gratia interdum descendere, quod eo facio et sæpius, et audacius, quoniam sum ex ea Philosophia, cujus Princeps de Poëtica scripsit Arte, et Alexandro Regi discipulo suo Homerum interpretatus est*: Vives aggressus fuit exponere Lovanii opus elaboratissimum Poëtæ Latinæ linguæ, de re, quæ vitæ mortalium, et dulcissima, et fructuosissima, et optima est.

Hermannus Comes Novæ Aquilæ, vir nobilissimus, et litterarum amans, amicitia erat cum Desiderio Erasmo conjunctus, eique Ludovicus Vives, e Lovanio anno M.D.XVIII. inscripsit librum unum *De Initiis, Sectis, et Laudibus Philosophiæ*, vere doctum, quem inter nugandum composuit ut ipse ait: hoc opusculum cum aliis ejusdem Vivis editum fuit Lovanii, apud Theodericum Martinum Alostensem, in 4. absque anni nota, in 4. et alibi etiam.

Jacobus Bruskerus in Dissertatione præliminari *Historiæ Philosophiæ* scripsit admodum cordate de hoc opusculo: *Postquam vero nova eruditioni atque scientiis lux affulsit, manum quoque, etsi parcius quam res merebatur, et necessitas quoque postulabat, admoverunt Historiæ Philosophicæ diligentius excolendæ viri docti; inter quos, omnium*

nium calculo, Ludovico Vivi primas merito deferimus; certe is inter primos fuit, qui abstersurus horrendum, quo disciplinæ hactenus pressæ fuerant, squalorem, Philosophica Historia ad restituendum Scientiis nitorem, in doctissimis De Corruptis Artibus, *et* Tradendis Disciplinis *libris egregie usus est, libellumque scripsit* De Initiis, Sectis, et Laudibus Philosophorum, *utilem, etsi pro temporum illorum ratione mancum adhuc, et imperfectum, et justo breviorem. Laudandus imprimis Vives est, quod, cum ducem ante se neminem haberet, effıcto ad veterum exempla vultu, maxime Ciceronis, Philosophicam Historiam non ad tradendas sententias morales, quod hactenus factum erat, sed ad emendandas Artes, atque Disciplinas judicio magis quàm eloquentia instructus adhibuerit, et neglecto minutiarum studio, quæ Historiam Philosophicam Scientiarum decori subtraxerant, valere jusso, pragmaticam considerationem revocavit, ostendendo quid Philosophia olim fuerit, et huc, usque esse desierit ex qua præclaræ disputationes ejus de Corruptis Artibus, et Tradendis Disciplinis enatæ sunt, ab iis legendæ, qui judicio practico, de Encyclopædiæ vera ratione, et usu, ad veterum mentem judicare cupiunt. Pari vero ratione, jucundo exemplo Philosophicam Historiam ad Ecclesiasticam illustrandam, in Commentariis in Augustini libros* De Civitate Dei, *adhibuit; unde hodie quoque hi ejus libri ab Historiæ Philosophiæ studioso diligenter legi merentur, atque expendi.* Hoc Bruskeri testimonium ideo hîc descripsi, quoniam ex eo apparet quid præstare potuisset Vives, si argumentum *De Initiis Sectis et Laudibus Philosophiæ*, data opera suscipere voluisset.

Idibus Februariis anni M.D.XIX. ætatis suæ vigessimo septimo, Professorium munus jam exercebat Lovanii; in eodem vero bonarum mentium atque artium mercatu, docendi muneri præfectus, magno animo pellere barbariem, exagitare ineptos Artium corruptores, emendare eruditionis sensum, et nativam scientiarum indolem restituere, magna doctrinæ et judicii laude, nec minori felicitate, conatus est: misit itaque ad Joannem Fortem librum unum *in Pseudo-Dialecticos*; adeo vehementer horrebat Ludovicus falsam Dialecticam, ut *lib.* 14. *Commentarior. in Civitatem Dei B. Augustini, cap.* 9. scripserit: *Dialecticam hanc contentiosam et pertinacem, non dubium ab ingenio diabolico esse profectam, quòd in verum contra niti semper, et. melius dicenti nunquam cedere, et falso verum gaudet vincere.*

 In

In laudato libro in *Pseudo-Dialecticos*, barbaris dicentibus fieri non posse ut de rebus Philosophicis, et Theologicis Latine disputari posset, scilicet quia nec Ciceronem, neque Lucretium, neque Columellam, et Plinium legerant, nec eos intelligere valerent, ita respondit: *Quî enim* (inquiunt) *fieri potest, ut terso illo atque eleganti stilo, ne Latine quidem, nec ulla propria germana, et non depravata, nec immunda lingua, Philosophia, Theologia, cæteræque Artes perhibeantur? ¿Quo quî possit insanius dici? Quem errorem ego, si decem annos valetudine non prorsus adversa Dei beneficio vixero, e mentibus illorum, non argumentis, sed ipsa re delebo.* Quod facto comprobavit editis septem libris *De Corruptis Artibus*, quinque *De Tradendis Disciplinis*, et octo *De Artibus.*

Thomas Morus vir insignis animi candore, et eruditione, cum vidisset librum quem Joannes Ludovicus scripserat ad Joannem Fortem condiscipulum, et conterraneum suum in *Pseudo-Dialecticos*, ita ad Desiderium Erasmum scripsit: *Itaque ut nihil est illius, quod non mirum in modum delectet omnes, ita me profecto quæ scripsit in Pseudo-Dialecticos peculiari quadam voluptate perfundunt; non ideo tantum* (*quanquam ideo quoque*) *quod illas ineptas argutias, lepidis cavillis illudit, validis argumentis oppugnat, inevitabili ratione a fundamentis eruit, atque subvertit, sed et præterea, quod ibi video quædam iisdem fere tractata rationibus, quas et ipse mecum olim, quum nihil adhuc Vivis legissem, collegeram; quæ mihi nunc non eo nomine placent in libello Vivis quod meæ rationes antea arriserint mihi* (*solet enim placere, si quod afferat alius videmus quod nobis ante in mentem venerat*) *sed quod mihi plaudo quando quod ante suspectum habueram ne parum apte diceretur, nunc confirmor haud inscitum esse, postquam Vivi quoque video placuisse: jam illud me capit, ac delectat maxime, quod quum videam idem argumentum utrique Nostrum animum, et cogitationem occupasse, tum sic utrique tractatum, ut quanquam et fusius ab illo, et elegantius, tamen in nonnullis non tantum res easdem afferamus, sed propemodum eadem etiam verba: sic mihi libenter blandior quasi cognati quippiam sideris animos inter se se nostros, occulta quapiam vi, et conspiratione conciliet.* Hactenus cordatus Morus de libro in *Pseudo-Dialecticos.*

Cum Ludovicus Vives adhuc esset Lovanii dedicavit mense Aprili anni M.D.XIX. Carolo Carendoleto Potelis domino, viro no-

nobilissimo *Pompejum Fugientem*, id est, Querelam Gn. Pompeji Magni e Pharsalico prælio fugientis, proxime a se conscriptum, et in epistola dedicatoria ait Vives, Carendoletum esse Cardinalis Croji Pædonomum, seu Institutorem: Carendoletus fuit Decanus Vesuntinus, et die 20. Aprilis anni 1518. pro hero suo impossessionem venit Archiepiscopatus Toletani. In *Declamationibus* Vivis admiranda est cognitio Personarum de quibus agitur, negotiorum de quibus tractatur, verisimilitudo rerum gestarum, aut quasi gestarum, aptatio Personarum ad singula negotia; in quibus omnibus ingenium versatile ostendit, ita ut Declamationes non videantur confictæ, sed vere habitæ fuisse.

In eodem anno M.D.XIX. Thomas Morus, invicti animi vir, et æternum Britanniæ decus, insigne testimonium dedit de Ludovico Vive, et ejus scriptis recentibus, laudans ejus Declamationes, libros Rhetoricos, librum contra Dialecticos, Ædes Legum, et Somnium, in epistola ad Desiderium Erasmum.

Verum transeamus ad annum M.D.XX. in quo Ludovicus Vives epistolam nuncupatoriam scripsit Lovanii, quinto kalendas Aprileis ad Erardum a Marca, Episcopum Leodiensem, et Archiepiscopum Valentinum designatum, in qua elegantem Valentiæ descriptionem adumbravit: plus justo Belgi Proceres in animo Caroli dominabantur, dignitatesque Ecclesiasticas Hispaniæ primarias conterraneis suis assignabant: Vives ut ejus animum benevolum experiretur misit ei Præfationem in *Somnium Scipionis*, ut Macrobius indigitavit quandam laciniam ex *Libro VI. de Republica M. Tullii Ciceronis*; addidit etiam Ludovicus *Vigiliam* in idem *Somnium Scipionis*, quo libello perfectus et absolutus in Republica princeps instituitur, atque formatur; utrumque opus jure optimo Archiepiscopo Valentino dicavit, quoniam ab eo sperabat futurum auctorem, et adjutorem felicitatis illorum temporum; quod desiderium adimplere non potuit sponsus qui nunquam sponsam vidit.

Martinus (non *Martius* ut in typis Episcopii legitur) Pontius Jureconsultus Valentinus, consilio et manu suo tempore clarissimus, magna et prudentiæ et scientiæ laude floruit: anno 1520. erat Patronus Fiscalis et Patrimonialis, et ex ejus ore pendebat Senatus Valentinus in arduis rebus civilis populi seditionis, quam vul-

vulgo *Germaniam* appellarunt, ut videre est apud Martinum Vicianam in 4. parte *Chronici Valentini*, (fol. 39.) et missus fuit mense Septembri ejusdem anni 1520. in Belgium ad commonendum Carolum V. Romanorum Imperatorem, et Hispaniæ Regem, super his motibus, ne Populus eum deciperet per suos Syndicos, (fol. 90.) et tunc credendum est Pontium Conterraneum suum vidisse, et occassionem dedisse editioni libelli *Ædes Legum*, quem Vives nuncupavit Pontio, cui aptare voluit quod ad calcem hujus opusculi scripsit: *Hoc quidem est quod Aristoteles in libris De Republica sentit, cum gubernari felicius Civitatem ait ab optimo viro, quam ab optima lege.* Martinus Pontius similis erat veteribus Jureconsultis Romanis qui Minervam cum Marte sociabant, nam cum consilio et prudentia non potuisset sedare plebem, armis se immiscuit, et semitam ingressus inter hortos, ab ea egredi non potuit, ut ait Viciana, fol. 206. Michaël Garcia illius temporis scriptor de illius obitu sic scripsit in opere nondum edito cap. 20. *Mori empero en aquesta pelea Micer Pons Doctor en Lleis, lo qual era molt stimat per lo Virrei*, (Didacus Hurtado de Mendoza Comes Melitensis) *e perdès lo dit Micer Pons, per atenyer lo Encubert, perque passà tant avant, que quant volguè nos poguè salvàr.* Pontia gens valde illustris fuit juris scientia, et honoribus: Lectoribus plura de ea scire cupientibus opus est adire Escolanum, Lib. 10. cap. 31.

Ad librum vero quod attinet *Ædes Legum*, juvat audire sententiam quam protulit Thomas Morus litteris ad Desiderium Roterodamum datis: *Quiddam est, mi Erasme, de quo si mi notus esset Vives admonerem illum; nunc, quoniam haud certus sum quo animo acciperet ab ignoto tam importunum officium, ipse potes per occasionem submonere esse in Ædibus Legum, atque item in ejus Somnio (quod alioqui multorum superat Vigilias) abstrusiora quædam, quam ut pateant nisi doctissimis, quum fuerit in rem litterariam utile illius omnia quamplurimis intelligi; ei rei vel explicando, vel adjectis in margine brevissimis scholiis facile mederi fuerit; addet item plurimum lucis Declamationibus, si brevibus Historiæ summam complexus, vel una pagella præponat.*

Præter hunc librum *Ædium Legum* editum etiam fuit una cum
„ Joannis Lodovici Vivis Valentini Somnium,
„ Quæ est Præfatio ad Somnium Scipionis Ciceronis.

„ Ejus-

„ Ejusdem Vigilia, quæ est enarratio Somnii Scipionis Ciceronis.
„ Et alia nonnulla, quæ proxima pagella indicabit. In inclyta Ba-
„ silea.

In fine libri sic legitur.

„ Basileæ ex ædibus Joannis Frobenii mense Martio anno 1521. 4.

Pagina aversa frontispicio hæc continebat.

„ Epistola Jo. Lodovici Vivis ad Reverendissimum D. Leodicen.
„ Episcopum, et Archiepiscopum Valentinum designatum.
„ Ejusdem Vivis Somnium, quæ est Præfatio ad Somnium Scipionis.
„ Ejusdem Argumentum in Somnium Scipionis.
„ Somnium Scipionis ex libro sexto De Republica Ciceronis ex-
„ cerptum.
„ Vivis Præfatio in suum Vergilium.
„ Ejusdem Vigilia, quæ est Enarratio Somnii Scipionis.

Atque hæc sunt, quæ in illa pagella leguntur.

In fine Præfationis *Somnii Scipionis* ita Vives de se scripsit: „ Et „ ego ex Platone ipso, Platonicisque, ad Platonis sententiam ex- „ plicandam nonnulla mutuatus sum: nec quod ipse sentirem in „ medium protuli: sed quod vel Cicero, vel Plato, quem Cice- „ ro sequitur: hoc nunc, in principio admoneo, ut me lector, „ quum omnino Platonice rem aliquam tractaro, quæ melius for- „ san Aristotelice dicerentur, consilium meum ignoret; quod in „ naturalibus potissimum rebus contingere aliquando arbitror, nam „ nonnulla non poterant sanctius tradi, quam a Platone et Cice- „ rone, in iis quæ nunc sunt in manibus, scribuntur; quæ ego, „ ut fructus esset uberior, et amplior, leviter ad Christiana nostra „ accommodavi.

Sed ad aliam editionem procedamus. Scilicet:

„ Jo. Lodovici Vivis Declamationes quinque Syllanæ.
„ Prima, ad L. Cornelium Syllam ne deponat Dictaturam.
„ Tertia, verbis ipsius Syllæ deponentis Dictaturam pro Concione.
„ Quarta, contra Syllam jam privatum.
„ Quinta, contra acta Syllæ jam mortui: dicatæ Ferdinando Ar-
„ chiduci Austriæ: scriptæ Lovanii anno 1520. mense Aprili.
„ M. Fabii Quintiliani Declamatio, Paries Palmatus inscripta pro
„ Cæco contra Novercam.

„ De-

„ Declamatio Vivis , qua Quintiliano respondetur pro Noverca
„ contra Cæcum:::: Anno 1521.

Anno M.D.XXI. edidit Vives Brugis M. Fabii Quintiliani Declamationem inscriptam *Parietem Palmatum* : eique subjecit Declamationem qua Quintiliano respondit: *Pro Noverca contra Cæcum* : cui premisit Præfationem, in qua scribit edidisse illam hortatu amicissimi viri Thomæ Mori, qui, cum filiolo suo Joanni Moro, et filiabus Margaritæ, Elisabethæ, ac Cæciliæ, dignæ illo Patre soboli, Declamationem enarrasset Fabii Quintiliani primam, quo ad studia sapientiæ per eloquentiam facilius duceret, hortatus est Vivem aliquot epistolis, ut illi Declamationi responderet, ut apertius ex contradictione, et quasi conflictu, ostenderetur Ars Eloquentiæ.

Licet Colloquia Erasmi nacta fuerint varios enodatores, manent tamen in eis multa adyta, quæ a viris eruditis penetrari debent; luculentis exemplis, eductis e Dialogo *Abbatis et Eruditæ*, id monstravit Paulus Colomesius in Bibliotheca Selecta, ubi optime ait *Moricas* eruditas esse, filias Thomæ Mori, Margaritam, Elisabetham, et Cæciliam, quarum laudes idem Colomesius persequitur: sed calculum meum adjicere volo huic Dialogo *Abbatis et Eruditæ*, in quo Abbati ait: *Nescio quomodo fit, ut quemadmodum clitellæ non conveniunt bovi, ita nec litteræ mulieri::::* *Magdalia. Sit ita sane. ¿Quid Paula et Eustochium? ¿nonne versabantur in sacris libris? Antronius. Verum istuc nunc rarum est. Magdalia. Sic olim rara avis erat Abbas indoctus, nunc nihil vulgatius: olim Principes et Cæsares eruditione non minus, quam imperio præminebant; neque tamen usque adeo rarum est, quam tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia non paucæ mulieres adprime nobiles, quæ cum quovis viro queant contendere; sunt in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ, et Blaureticæ, &c.* Hæ nobilissimæ feminæ Hispanæ apprime nobiles et eruditæ, Erasmo notæ, erant Mencia a Mendoza, et Angela Sabata, virtutum Vivis admiratrices, et ab eodem valde laudatæ.

Multa sunt in prædicto jussu Thomæ Mori animadvertenda; primum, Ludovicum Vivem potissimum delectum, qui hoc ageret, nam judicii non ingenii principatum, inter scriptores sui sæculi ei deferebatur, ut scripsit Schottus in Bibliotheca Hispaniæ: *In-*

ter

ter Triumviros illos Reipublicæ constituendæ Litterariæ ejusdem tempestatis excelluit, ut Budæo ingenium, Erasmo dicendi copia, Vivi judicium tribueretur. De his Triumviris dixit Franciscus Masius in Hidriani Card. Epit. *Cum ab Erasmo, Budæo, Vive nostro discessi,* (Masius litteris operam dederat Lutetiæ Parisiorum) *neminem nostra ætate fuisse scio, cui veræ et germanæ eloquentiæ laudem, gloriamque tribuere possim.* Laudatus Andreas Schottus eleganter cecinit:

VIVES, æternum vivet tua fama superstes:
Nam volitas VIVES viva per ora virûm.
COPIA magna quidem DESIDERIUMQUE Batavi
Plene nunquam explens alveus amne fluit.
Gallia fœta viris doctis, se jactat alumno;
BUDÆUM ostentans ob genium INGENII.
Vicisti æquales propria hæc ut adorea laudis
JUDICIO antistans omnibus et SOPHIA.

Deinde injungebatur Vivi munus scribendi in Quintilianum, qui arte et facundia sua, ex inferiore causa, ut veteres dicebant, superiorem posset reddere; tum etiam infirmiores controversiæ partes, Ludovico assignari, nam potiores sibi Fabius sumserat pro Cæco, postremo ipsum Morum non respondere, cum ingenio, judicio, usu rerum, et eloquentia plurimum valeret; sed alia plura poterit scire qui adire voluerit ipsum Morum in Epistola ad Erasmum, qui tanti faciebat Declamationum Viviarum, ut in Ciceroniano dixerit: *Hic quotidie vincit se ipsum, et habet ingenium ad quidvis versatile, eoque ad declamandum unice compositus.*

Inter ea quæ in Desiderio Erasmo laudari debent, certe est recognitio librorum Sanctorum Patrum Cypriani, et Hieronymi, magno labore peracta; similem operam adhibere volebat in Augustino, verum cum non posset solus tantum onus sustinere, ascivit sibi Vivem, huic labori perferendo, illique attribuit duos et viginti libros *De Civitate Dei*, qui avidissime arripuit opus ab Erasmo oblatum pollicitus, se postremam Commentariis impositurum manum, ante secundum aut tertium mensem; nam meminerat illum olim aliquot ejus operis volumina legisse, quæ illi nec ad-

admodum erant visa mendosa, et satis facilia: ac ejusmodi, in quæ non parum ejus notitiæ antiquitatis, quam jugi paraverat lectione, posset effundere, ut, eodem labore simul exerceret stilum, atque ingenium suum, et fuit illa profecto juvenilis quædam cogitatio, quæ longe aliter experiendo processit, quam ipse secum erat ratiocinatus; nam opus præterquam quod est longissimum, habet in se miram rerum omnium varietatem, historias, fabulas, naturalia, rhetorica, mathematica, geographica, moralia, theologica: jam libri erant, supra quam dici possit, mendosi, qui totam Augustini sententiam, prava scriptura avertebant; hîc jam non exiguus labor in castigando ex veteribus libris, tum etiam in divinando labor: nam et divinandum sæpenumero fuit, et conjecturis vera restituenda lectio.

Orsus fuit scribere Commentaria in Augustinum circiter kalendas januarias anni M. D. XXI. verum 3. idus ejusdem mensis obiit Gulielmus Crojus, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sanctæ Mariæ in Aquiro, Monachus Cucullatus et Abbas Benedictinus; anno ætatis suæ decimo septimo fuit creatus Archiepiscopus Toletanus a Leone X. Pont. Rom. indulsitque ei ut retineret simul Episcopatum Cameracensem; quem habebat; quantum hic juvenis profecerit sub disciplina Joannis Ludovici Vivis apparet ex iis quæ leguntur ad calcem epistolæ nuncupatoriæ in Psalmos Pœnitentiales ubi ait: *Eruditionem tuam, monumenta tuorum studiorum, indolem, mores tuos, quamvis copiose possem (quippe res ipsæ tam amplæ materiam orationi fertilem suppeditarent) hîc certe non laudabo, ne quis malevolus, cujusmodi hominum plena sunt omnia, me assentari Discipulo putet; quod assentationis vitium, quum in quovis homine turpe est, tum in Præceptore, qui modice ac raro laudare quem instituit debet, est multo turpissimum, multoque perniciosissimum.* In Epistolis Erasmianis permanent egregia monumenta et eruditionis, et pietatis in Magistrum, ut illud ad Desiderium: ¿*Quid loquar de Gulielmo Budæo amoribus, atque deliciis Musarum et Græcarum, et Latinarum? cujus laudandi nunquam Vives meus finem facit, cujus Budæi studia, monumenta, ingenium, eruditionem, linguam, mores, colo, veneror, admiror, adoro: inter hos* (Gulielmos, Budæum, et Montiojum) *malim me annumeres; quam multo inter quosvis alios opulentissimos principes horum dis-*

dissimiles. Sed spes hominum adeo sunt caducæ ut Erasmus pinxit Budæo. (pag. 557.) *En Budæe carissime, quasi parum esset malorum, ita præcipuum e Gulielmorum numero, fatorum ademit invidia; periit enim, ut scis Gulielmus Crojus Archiepiscopus Toletanus, et periit veluti flosculus tener in ipso exortu succissus, simulque nos docuit, nihil esse satis firmi præsidii in rebus Fortunæ arbitrio subjectis, qua de re librum abs te conscriptum, ex hoc, qui has reddit cognovi.* (scilicet, *De Contemtu rerum fortuitarum.*) *Quid optari poterat a fortuna, quod illi non affatim fuerat ultro largita; generis antiquissima stemmata, tum Patruus, sic apud Carolum nostrum gratiosus, ut pænes unum propemodum videatur esse imperii summa; ætas virens, nondum enim egressus erat annum vigesimum tertium, corpus vegetum ac firmum; tam multiplex dignitas, ut in illo vix eluceret majestas galeri Cardinalitii; morum mira facilitas candorque; toto pectore favebat bonis studiis; nec oderat Erasmum; certe Vives noster Mœcenatem amisit, qualem posthac haud facile nanciscetur; is mihi legit proximas tuas ad se litteras.* Pœdonomus Cardinalis Croji fuerat Carolus Carendoletus, Potelis dominus, vir nobilissimus et prudentissimus, et in contemtu rerum humanarum dissertus, cui anno 1519. dicaverat Vives Declamationem inscriptam, *Pompejus Fugiens.*

Sed inopinus casus mortis Cardinalis Croji discipuli, et Mœcenatis Vivis, impedimentum ei non fuit ad prosequenda suscepta *Commentaria in Civitatem Dei*; Beatus Augustinus nihil eruditius scripsit quam hos libros; est hoc opus, omnium scriptorum, quæ contra Ethnicos pro Christi gloria prodita sunt, citra controversiam eruditissimum, et luculentissimum; id egregie illustravit Ludovicus noster, memoria rerum lectarum materiam suggerente, et supplente libros, ut ipse candide scribit in Præfatione Commentariorum.

Cum nulla unquam calamitas veniat sola, in morbum incidit non simplicem; itaque ad curam valetudinis coactus fuit Brugas se conferre ad suos Hispanos, inter quos æger more, modoque suo commodius tractaretur, convaluitque mense Junio; de his febribus tertianis meminit Vives in *Commentario ad lib. XIV. cap. 24. de Civ. Dei*, ubi ad illud Augustini: *Ipse sum expertus sudare hominem solere quum vellet*, sic commentatus fuit; *Et ipse Brugis, quum*

 pro-

proxime tertianis tenerer febribus, quoties salutiferum dicebat Medicus futurum sudorem, compresso paulisper spiritu, stragulis opertus sudabam: mirabantur qui circumstabant lectum tam raram corporis mei texturam, sed Augustinianum sudatorem magis multo fuissent admirati, cui tam facile erat sudare, quam mihi spuere.

Vives suo operi iterum manum admovit, mense Julio ejusdem anni M. D. XXI. idque mittebat Desiderio Erasmo Roterodamo, ea tempestate litterarum principi, et in Epistola v. Episcopianæ editionis scripsit ei ad hunc modum: *Ea tu leges priusquam imprimantur, et censurâ tua omnia temperabis, addes, et notabis quæ videbuntur.*

Anno currente M.D.XXI. die 10. Julii dum Vives Brugis esset valetudinis recuperandæ causa, cupiebat convenire Regem Angliæ Henricum VIII. et Thomam Morum, ut videret quo pacto sibi vivendum esset, nam pecunia Reginæ Catherinæ Aragoniæ altus fuerat, et tunc alebatur, ut ipse scripsit Desiderio Erasmo, quo inconsulto nolebat agere, etsi sciret quid ille desideraret, scilicet, ut pararet sibi otium ad vitam studiosam, undecumque quiret; hujus negotii etiam Vives meminit in Præfatione Commentariorum: *Et quoniam dicebantur eodem* (Brugis) *Carolus Cæsar, et Britannus Cardinalis,* (Thomas Wolsæus Eboracensis Archiepiscopus) *venturi, ea me res ibi aliquot mensibus tenuit, ut Erasmum, et Morum convenirem, viderемque Tonstallum, et Montiojum, et doctos alios tum amicos plerosque meos, qui eodem venturi dicebantur.*

Brugis scribere non licebat, quod Bibliothecam, qualem optabat non haberet, unde quæ scribenda forent suppeditarentur; tantum libros aliquot ad vetusta exemplaria contulit, quorum unum dedit illi Marcus Laurinus, Decanus Sancti Donatiani Brugensis, alterum Carmelitæ Brugenses, tertium Erasmus missum ad se Coloniâ Agrippinâ scriptum, ut ferebatur, manu Divi Lutgeri Episcopi: mira dictu res, quanta in codicibus erat varietas, ut unusquisque describentium putaret sibi licere verba arbitratu suo ponere, modo constaret sensus, quasi interpretatio esset, non exscriptio; sed hæc fortassis tolerabilia. ¿Quid illa detracta, quid addita inversa? Jam quoties erratum, quod versionem LXX. Interpretum, quam ubique Augustinus adducit, voluerunt ad hanc

nos-

nostram vulgatam trahere, et ex duabus male cohærentibus unam facere; nec aliud æque fuit molestum Vivi, ut variam lectionem expendere, examinare, excutere in unoquoque capite non semel; quæ erant difficiliora in Commentariis annotavit, quæ vero apertiora et promtiora in margine; id accuratius fecit in locis sanctarum litterarum propter earum mysterium, in plerisque veriorem indicavit lectionem, et quid sentiret aperuit.

Post Caroli V. et Cardinalis Wolsæi digressum, e Brugis rediit Vives Lovanium, sub finem Septembris anni M.D.XXI. Illic, compositis rebus, et digesta bibliotheca, cœpit totus in scriptionem incumbere: itaque illic, ea hyeme usque ad quintum decimum librum progressus fuit; extremo vere, quod salutandi erant amici parantes, in Hispaniam proficisci cum Cæsare, intermisit opus; Erasmo subinde stimulante et instante, ut perficeret, ut mitteret, rediit Lovanium, et quanta maxime potuit diligentia, mense uno quatuor postremos libros absolvit cum bona parte decimi octavi; pervenitque ad scribendas Præfationes adeo fessus, et labore tanto, tamque vario fractus, ut litteras omnes, librosque animus aversaretur: his angustiis et difficultatibus, inopia Græcorum voluminum accessit, quæ erat tunc temporis in illa regione mira, nam cum passim doctis fieret obvius, si Aristotelem Græcum, aut Demosthenem, aut Vetus Testamentum, aut Pausaniam, aut Isocratem, aut Julium Pollucem, aut Eustathium utendum peteret, negabant se habere, nec apud Bibliopolas venales invenire: cum illic adesset Erasmus, ejus bibliotheca adjuvabatur, et illinc aliud agens aliquot sibi decerpserat loca, quæ ceu præsagiebat animus usui illi aliquando futura, nam ea in Comentaria intulit, sed cum Vives ea scripserit in tanta temporis angustia, et librorum penuria, mirum non est Balthasarem Lydium scripsisse Meursio, epist. 58. *Fallor, ¿an in Augustinum De Civitatē Dei quoque aliquid paras? Dignus est, in quo labores, et quædam in eo esse emendanda docet liber meus M. S. quem habeo, multa quoque in eo esse recondita, a Ludovico Vive, docto alioqui virō, nondum explicata, qui non videt, is nihil videt.* Sed optime Bullartus scribit Vivem in pluribus Augustini testimoniis hujus operis ejus sanctimoniam, et profundum sensum aperuisse, etiamsi ab aliquibus notetur, alia

non

non recte assecutum fuisse, quod mirum non est cum renovatio studii Patristici esset in cunabulis ope, et auxilio Erasmi.

Edita in lucem fuerunt hæc Ludovici Vivis Commentaria in Civitatem Dei Augustini anno 1522. apud Frobenium Basileæ, et rursum 1570. ac item duobus voluminibus; nec non Venetiis anno 1551. Lugduni anno 1563. apud Sebastianum Honoratum 2. vol. in fol. atque iterum apud Bartholomæum Honoratum 1580. in 8. 2. vol. Parisiis 1544. apud Carolum Guillard. Antuerpiæ apud Plantinum 1600. fol. et Hamburgi 1661. cum Commentariis autem Ludovici Vivis, et Leonardi Coquæi. Parisiis anno 1613. fol. et in duobus voluminibus Francofurti anno 1661. atque ea Commentaria, una cum Augustini opere, linguâ Gallicâ dedit Gentianus Hervetus, de Sanctis Eclesiæ Patribus benemeritus Parisiis, apud Nicolaum Chesneau 1570. in fol.

Cum Ludovici Vivis *Commentaria in libros De Civitate Dei B. Augustini* in lucem publicam edita fuere, adeo aversis animis despecta fuerunt, ut nullum emtorem invenerint; et cum celebris Typographus Hieronymus Frobenius, qui ea excuderat hortatus amici ejus Erasmi, ad nundinas Francofurtenses aliquot exemplaria attulerit, nullum distraxerit, qua de re Erasmus scripsit Vivi: *Vides etiam in Musarum rebus regnare fortunam.* Quam patienter Vives, Philosophus Christianus, et verbis, et factis id tulerit, apparet ex iis quæ Erasmo scripsit, quo proxeneta opus illud excussum fuerat. *Hieronymum* (Frobenium) *salutabis meis verbis; si non libenter scribit, nihil est quod se defatiget respondendo meis litteris; doleo mea opera officinæ isti fuisse, vel damnosa, vel parum quæstuosa, posthac dabitur a me opera, ut ne amplius sim ei molestus; et, si qua possim, non desim ejus utilitatibus: id quod libens recipio me, pro virili mea parte facturum; quod vero illi scripseram, in causa fuit Franciscanus quidam, qui nuper Basileæ fuit, tui videndi gratia; is narravit Hieronymum Frobenium cupere mea ab se excudi, &c.*

Opus istud eximium Ludovici Vivis Commentariorum in Augustini Civitatis Libros, revera infanda perpessum est fere ubique gentium; arbitror Jesuitas recensendos esse inter priores qui Ludovici Vivis opera ab hominum oculis avertere voluerunt; nam Joannes Mariana Societatis nominis Jesu, et elegans rerum Hispa-

pa-

panarum Epitomator, in epistola nondum edita; ad perillustrem dominum Gasparem a Quiroga Cardinalem Toletanum, et Areopagitam maximum agens de innocua Rabbinorum librorum lectione, sic ait: *Otros podran decir de las suyas*, (scilicet Congregaciones). *Yo, desta Compañia donde vivo, puedo decir con verdad, que aviendose vedado a los particulares, entre nosotros, aun antes que el Santo Oficio lo hiciese, las obras de Erasmo, Luis Vives, y otros Autores de sospechosa dotrina, jamàs en estos libros* (scilicet Rabbinicos) *se ha hecho prevencion ninguna, i que los he visto puestos en nuestras Librerìas pùblicas, en Roma, Paris, i Lovaina, i Alcalà, antes que el dicho Catalogo saliese.*

In Indice et Catalogo librorum prohibitorum Cardinalis Quirogæ edito anno 1583. fol. 47. pag. 2. legitur: *Ludovici Vivis Valentini, Annotationes in D. Augustinum, nisi repurgentur.* Normam servandam a repurgatore non indicavit Index; an ea exstet in Indice Expurgatorio Vallisoletano, prorsus ignoro, cum eum nunquam viderim, nec ejus notitiam habeam nisi per Gallos scriptores: apud Hispanos enim altum de eo silentium; unde apparet hoc monumentum Inquisitionis Hispaniensis inter portenta litteraria numerari debere: Mariana in hoc Indice Quirogæ multum desudavit, ut apparet ex ejus schedis non dum editis, in Majansiana reconditis; quo supercilio scripta Vivis Mariana aspiceret supra indicatum est; ex hac epistola ad Cardinalem Toletanum, et Areopagitam maximum commentatus fuit caput XXVII. Tractatus *Pro editione Vulgata*, in quo leguntur aliqua notatu digna ad progressum studii Hebraicæ linguæ inter nostrates.

In his Ludovici Vivis Commentariis quid displicuerit Lovaniensibus Theologis, videre est in eorum editione operum Augustini, quam post Erasmicam adornarunt, ubi aliqua Commentariorum Viviorum, ob nimiam, ut eis visum fuit, libertatem, resecuere, totamque Præfationem cujus titulus erat: *De veteribus interpretibus hujus Operis*, recisam fuisse, et Libitinæ addictam; reliquum vero opus jussum castrari: Jacobus Bruskerus in *Historia Philosophiæ* ait: *Legenda quoque ejus* (Vivis) *De veteribus Interpretibus hujus operis* (Augustini) *Admonitio, ut luculento testimonio constet, quam fideliter nos istam Scholastici ævi ferruginem exposuerimus,* ha-

habeantque qui simili, ut Vivem, insaniâ ideo nostra convitiati sunt, quæ sibi quoque dicta reputent, et eodem lixivio caput detergant; certe elegans, quanquam sale, et pipere conspersa Dissertatio valde poterit oculos illis aperire, qui Scholasticas corruptelas hodie adhuc depereunt. Sed de his satis. Hoc tantum debeo monere Lectores de Lovaniensibus Censoribus, scilicet quod scripsit Erasmus Vivi: *Ceterum illud sæpe mecum admiror, quum omnes ferme totius Orbis Academiæ, veluti resipiscentes ad sobrietatem quandam componant se se, apud solos Lovanienses esse, qui tam pertinaciter obluctentur melioribus litteris, præsertim quum nec in sophistico doctrinæ generæ præcellant.* Itaque minime miror infensos fuisse Vivi: quid in his Commentariis non arriserit Martino ab Aspilcueta Navarro; quid Joanni a Lovanio displicuerit, observavit doctissimus Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* in Aurelii Augustini mentione.

Joannes Ludovicus Vives, animo suo valde modesto, observabat Desiderium Erasmum, ut Præceptorem, atque ideo ei scripsit, e Lovanio XIV. Julii anni 1522. *In Præfatione ipsa paucula quædam attigimus de immensa tuarum laudum materia; utinam tam eleganter et docte, quàm vere, quàm ipse sentio magnifice, ea tu leges priusquam imprimantur, et censurâ tuâ omnia temperabis, addes, et mutabis quæ videbuntur, modo ne minora facies, quam diximus, alioqui nihil futura; tum, si quid est erratum non modo in Græcis, et Orthographia, sed etiam vel in Historia, vel Fabula, vel in Philosophia, vel Theologia, vel dictione, tibi omnia trado emendanda, approbaturus non secus, quod in hoc egeris opere, ac si fecissem ipse; et habiturus maximi beneficii loco, videlicet, quod et me docueris, et mea reddideris meliora.*

Desiderium Erasmum hac licentia usum fuisse, pro certo habeo, et unico exemplo comprobabo, nam in Colloquio *De Peregrinatione Religionis ergo*, festive ut solet, carpsit tautologiam qua *Canonicos*, voce Græca; dicimus *Regulares*, Latina; sicuti etiam cum *Abba*, vocatur *Pater*, quorum unum Syriacum, alterum Græcum; vel Thomas, *Didymus*, sive *Geminus*; *Pons Alcantaræ*; *Castrum de Alcalà*; et vulgus quoque Pharmacopolarum viticem arbusculam, Græco simul et Latino conjuncto nomine, *Castum agnum*, atque alia simili ratione, traduxit in hunc modum Desiderius in laudato Dialogo: *Collegium est Canonicorum, sed quibus a Latinis Regulæ*

cog-

cognomen additur; medium genus inter Monachos et Canonicos, quos Saeculares appellant:::: In odiosis Canonici sunt; in favorabilibus Monachi:::: Si Romanus Pontifex fulmine feriat omnes Monachos, tum Canonici fuerint, non Monachi; sin idem permittat omnibus Monachis uxorem ducere, tum fuerint Monachi. Desiderius respiciebat ad perditos mores sui sæculi ante reformationem Concilii Tridentini, qui si nostro reviviscceret, videretque hodiernas Canonicorum Regularium Congregationes, abstineret profecto ab eorum insectatione: noster vero Ludovicus Vives Lib. 3. Commentariorum in B. Augustinum De Civitate Dei, cap. 15. sic scripsit: *Idem est Regularis quod Canonicus, a* Canone *Græco: hinc quidam Monachi Divi Augustini, ne non semel putentur Regulares, bis hoc vocari gaudent.* Cum hæc Vivis verba in bonam partem accipi possunt, vellem ut Azpilcueta eum non incusasset, detorquens ea in deteriorem sensum, contra regulam recti judicii, initio operis *de Regularibus.* Sollerter magnus Jacobus Cujacius scripsit ad titulum Decretalium: De Præbendis et Dignitatibus: *Et quamvis hæc duo*, Canonici, *et* Regulares, *idem significent, et hoc tantum intersit quòd una Græca, altera Latina appellatio sit, tamen quia ita loquendi mos est, ita loquimur; vel discretionis gratia, ut scilicet discernantur a Sæcularibus.*

Necesse erat Vivi, inopiâ laboranti, morem gerere Erasmo, quoniam absque ejus calculo, et patrocinio non poterat in lucem publicam edere Commentaria in B. Augustinum, qui auctoritate et amicitia, qua apud Hieronymum Frobenium, typographum celeberrimum, plurimum valebat, ei suasit ut ea typis suis excuderet; Ipsi Pontifices Romani, Imperatores, ac Reges aliter non se gerebant erga Desiderium Erasmum; et Jacobus Bruckerus in *Historia Philosophiæ* ait: *Legenda erudita Vivis Præfatio in libros De Civitate Dei, qua ipse refert, ideo inter ceteros Erasmum sibi curam libros De Civitate Dei recognoscendi tradidisse, quod opus, bona ex parte, tum rerum gestarum, fabularumque narrationibus, tum disputationibus philosophicis plenum videretur, quibus rebus bonam ætatis partem videretur impendisse: et sane pensum hoc non impigre tantum sed feliciter quoque Vives absolvit, ut omnium plausum mereretur: maxime vero eam veteris Historiæ Philosophicæ notitiam inspersit, ut non sine jucunditate et emolumento ejus annotationes legantur, multumque con-*

ferant ad noscendam Philosophiæ, maxime Platonicæ recentioris, sive Alexandrinæ faciem, quanquam non omnia satis, vel perspexit, vel rite explicuit; contemserunt hanc Philosophiæ et Litteraturæ veteris Historiam, largiter huic Commentario affusam, Theologi, et Philosophi barbari, qui tunc, etiam in Academiis, renascentibus litteris, adhuc obstrepebant: eis autem ita larvam detraxit, ut pudendæ pristinarum sordium reliquiæ omnibus quibus mens sana erat, nauseam excitarent, eisque ostenderet, parum se facere hominum illiteratorum latratus, magnoque animo eos despicere; quæ heic ideo notamus, ut intelligatur quâ luctâ lætioris doctrinæ, et imprimis Historiæ Philosophicæ restauratoribus, pugnandum fuerit, donec caput humanitatis et sincerioris eruditionis litteræ potuerint attollere. Hactenus Bruckerus: et non longa videri debent ea, quibus lector prudentior fiet in negotiis gerendis, et sapientior in rebus ad Joannem Ludovicum Vivem pertinentibus.

Hos Commentarios in libros Civitatis Dei B. Augustini dicavit Ludovicus Vives Henrico VIII. Angliæ Regi, epistolâ nuncupatoriâ, ex Lovanio, anno M.D.XXII. Responsumque accepit a Rege ex Regia Grenvici Domo XXIV. Januarii M.D.XXIII. Paucis ante mensibus Leo X. Pont. Max. Henricum ornaverat perhonorifico titulo *Defensoris fidei*, quam tunc temporis tuebatur calamo et auctoritate: Vivis operis elegantia ita Henrico VIII. Angliæ Regi placuit, ut eum in aulam accerseret, et Mariæ Principis, filiæ unicæ, institutioni præficeret; idem Princeps codicem B. Augustini de Civitate Dei manu sua annotavit, ut scripsit Gerardus Joannes Vossius in Dedicatione Aristarchi, sive de Arte Grammatica.

Sed antequam agamus de Censuris Commentariorum Vivesii in Augustini libros *De Civitate Dei*, operæpretium est ipsum audire disserentem de legibus, quibus astricti sunt Censores librorum, sive jure privato sive pro potestate de alienis lucubrationibus sint pronuntiaturi, cum non habeant solutam, et usquequaque liberam pronuntiandi facultatem, sed certis finibus adstrictam legem, quas nitide, ac sapienter, ut solet, Ludovicus noster pronuntiavit sub finem *libri quinti De Tradendis Disciplinis*; ex quo profecit Possevinus *Lib. 1. Biblioth. cap.* 50. Ait igitur Vives: „ Candidæ, ac prudentes Censuræ vehementer sunt studiis omnibus uti-

„ les:

,, les, si animi judicium citra damnum affectus profertur, ut inquit ,, Tacitus (Dialogo *de Oratoribus*, n. 27:) nec quidquam est in his ,, damnosius quam judiciorum confundi signa, sicut in vita vo- ,, luntatum, ut nesciatur quid quisque aut probet, aut improbet; ,, quod usu venit hoc tempore, cum periculosissimum est de quo- ,, quam loqui: tam irritati sunt omnium animi, et parati ad pug- ,, nandum, ut vel attingere, quamlibet leviter, non sit tutum ,, etiamsi alio spectes; tenera atque infirma conscientia ilico se se ,, peti suspicatur, haud aliter quam ulcerosi equi actutum conci- ,, tantur strigile audito: quanquam vitio huic incitamenta, at- ,, que incrementa præbuere quamplurimi, qui acerbissime alios ,, perstrinxerunt, non ut veritatem exprimerent, sed ut sugillarent, ,, ac infamarent nomen alienum, vel odio impulsi, vel falsæ glo- ,, riæ spe adacti, existimantes tam se habitum iri pulchros, et præs- ,, tantes, quam alios tetros esse ac viles ostendissent; sed illis ,, multo secus atque speraverant accidit, nam candoris, etiam ,, ineruditi, sua est apud omnes laus; malignitatis, vel eruditissi- ,, mæ, vituperatio certa. ¿Quid, inter hæc odia, quantam acci- ,, piunt plagam Disciplinæ? Detrahitur auctoritas tam odiose rixan- ,, tibus, et tam capitaliter inimicis; despondent animos excellen- ,, tia ingenia, cum pertæsa rem adeo amaram, nempe digladia- ,, tiones perpetuas, ab studiis resiliunt, ac abhorrent; profectus ,, inter hæc studiorum amittitur, atque obscuratur veritas, dum ,, malum quidam corrumpi litteras, quam instaurari per suos ini- ,, micos. Quantum scelus est Eloquentiam, Ingenium, et alia ,, magna atque admiranda Dei munera, hominibus a Deo ad ,, utilitatem hominum concessa, in eorum perniciem convertere; ,, per bona malefacere; hoc vero jam nec ferarum quidem est, ,, nedum hominum: quanto religiosius Quintilianus ethnicus, quam ,, nos Christiani: mutos nasci et egere omni ratione satius fuisset, ,, quàm Providentiæ munera in mutuam perniciem convertere. ,, Quid refert quomodo impetas alium ferro, an stilo, ubi volun- ,, tas est eadem, et plerumque lingua plus lædis, aut stilo, quam ,, gladio; quippe ferro corpus modo consaucias, linguâ vero etiam ,, animum: Artes Humanitatis nominantur, reddant nos Humanos: ,, a Deo optimo sunt traditæ, reddant nos bonos." Supervacaneum

est exemplis narrationem hanc ornare, et Vivi accommodare.

Duo præcipue sunt quæ in ejus Commentariis in libros *De Civitate Dei* censoriâ virgulâ notata fuere: unum, scilicet, quod salse irriserit ignorantiam illorum qui ante eum scripserant in *Civitatem Dei Augustini*, in Præfatione *De Veteribus Interpretibus hujus operis*: alterum, quod Erasmi se amicum professus ibi fuerit Vives, eidemque magnas laudes contulerit.

Ad primum vero, vix hodie reperiri poterit qui legerit scripta Fratris Thomæ Valois, et Nicolai Trivet, et Fratris Jacobi de Passavant, sed quisquis ille sit, sive officiosus, sive offensus Vivi, ingenue fatebitur modeste illos notasse; Caspar Barthius, vir multijugæ lectionis, qui librum primum B. Augustini *De Civitate Dei* amplissimis eruditissimisque Commentariis illustravit, libro sexagesimo suorum Adversariorum et col. 2829. scribit: *Thomas de Valois notat lib. v. ab Augustino repeti, et eo se loco illustraturum; nisi tamen Nicolaus Trivetus ejus nobis annotationis auctor est; confusa enim Commentaria horum leguntur; hominum, quorum nescio an ingenium, an tempora accusem, cum utroque ad hos libros illustrandos, vix quicquam potuerit esse minus aptum; laudandum tamen judicium, quod hos, ex tanta copia, selegerint, licet parum aliorum fortasse notum habuerint bonorum librorum, ut nec eis laus integra fere sit.*

Ad secundum vero censuræ caput, quid mirum est Ludovicum Vivem laudasse Desiderium Erasmum, cum ipsi Romani Pontifices, Leo X. et Paulus III. adeo effusi fuere in Erasmo laudando, ut, præ his Pontificibus, Vives siluisse de Erasmo videri possit; neque solus erat Vives inter Hispanos in Erasmo celebrando, nam Franciscus Masius Valentinus in Epitome Adriani Cardinalis, fol. 32. scripsit: *Postquam Erasmus vixit, a barbarie illa in dies recedunt nostri Scriptores.* Laudatur modestia Joannis Maldonati de Erasmo scribentis in epistola ad Swertium; et Discipulus Vivis nostri Ferdinandus Ruizius Villegas de Erasmo jam mortuo sic cecinit:

Qui putat extinctum supremo funere Erasmum,
Fallitur; hujus enim vita perennis erit.
Namque olim æternam peperit vitamque, decusque
Musa, nec in doctos Atropos ulla Dea est.

Nam

Nam semel Aonias qui degustaverit undas,
Ille nihil prorsus, quod moriatur, habet.
Dum volat, obrepat membris sopor, inclyta fama,
Vita tamen surdæ nescia mortis erit.
Spiritus in libris, vox, nervi, sanguis Erasmi
Cernitur, effigies, vultus, et eloquium.
Cor quoque, lingua, lepor, lumenque, salesque, jocique,
Schemataque, et docta gratia cum Venere.
Denique vita, fides, animus, pietasque, pudorque,
Simplicitas, candor, Religionis amor.
Ergo erit æqua polo, dum res Hispanica vives;
Vives, docte, tuis semper, Erasme, libris.

Jesuitæ, Theologi Lovanienses, et Officium Sanctæ Inquisitionis, ita sentientes de Commentariis Vivianis in Augustinum *De Civitate Dei*, mirum non est Valerium Andream Taxandrum in *Catalogo Clarorum Scriptorum Hispaniæ* de hoc opere dixisse: *In Prolegomenis quædam obliteranda.* Doctus hic vir inter alia scripsit *Fasta Lovaniensia*, et ab illa Academia non recessit. Saniori judicio Franciscus Borgoinus Monachus Franciscanus Parisiensis, in epistola Dedicatoria Joanni Calvo, Franciscani Instituti Generali Ministro, XIII. Kal. Novemb. 1543. ait: *De his quamplurima et docte et eleganter scripsit eloquentissimus vir Joannes Lodovicus Vives, qui et hos libros suis illustravit Commentariis; quo viro Hispania majore eruditione nunquam ullum produxit, hac vero ætate nec Anglia quidem; qui omnium Philosophorum libris assiduo versatus est, maximosque in eis progressus habuit; nihil est usquam Græcorum, vel Latinorum Scriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excusserit; ita enim satis hæc sui Commentarii clamant, quamvis breves aliquando; ipse Laconismo studuit, quod plus quoque forsan juvaret, utpote qui brevibus concisisque sententiis totus decurrat.*

Alfonsus Ciaconius, Monachus Dominicanus, in *Bibliotheca in Aurelio Augustino* scripsit: *Hujus Commentatores, et Scholiastæ, qui aliqua interserentes pias aures offenderant, Indice Expurgatorio Belgico emaculati sunt, ut Ludovicus Vives in Commentariis quos edidit in Libros De Civitate Dei, et alii plures.* Theologi Lovanienses primi

mi fuerunt in Indicibus Expurgatoriis formandis anno 1546. et 1556. eosque imitatus fuit Paulus IV. anno 1559. uti scribit doctissimus Espenius *in Jure Ecclesiastico Universo, part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 4.

Huc etiam facit illud doctissimi viri Antonii Possevini *Lib.* 1. *Bibliothecæ Selectæ cap.* 5. *pag.* 28. ubi reprehendit Huartem, in *Examine Ingeniorum*, habentem Hispaniam tamquam Linguæ Latinæ incapacem, sed Possevinus inter alia jure respondet: *At eminentia illa Antonii Augustini, et aliorum ingenia, quorum labores Christianus Orbis magno cum fructu excepit, ac certe Joannis Vivis Valentini (paucis exceptis, quæ Theologi cordate monuerunt) satis commentum Huartis evincunt; Hispanos autem ceteros accendent ut ne earum dotium, quas a Deo accepêre, integram, in Dei ipsius gloriam, Latinæ (addo et Græcæ) linguæ simul cum Scientiis jungendæ laudem aspernentur.*

Erasmo in Hispania non defuerunt Theologi qui ejus opera in pretio haberent, quorum mentio in Epistolis Vivis, et fortasse non ingratum esset lectoribus eorum notitiam adipisci, sed aliò mens nostra dirigenda est.

In his Commentariis Vivianis ad Augustinum *De Civitate Dei* legitur Dissertatiuncula: *Quinam hominum fuerint Gotthi, et quomodo Romam ceperint*, pro captu illius sæculi scripta, cui, et Ambrosio Morali *Lib. XI. cap.* 1. *Chronici Hispaniæ* adhibere debet lector, cognitionum rerum nostrarum cupidus, Joannis Friderici Gronovii *Dissertationem de Gotthorum Sede Originaria adversus Philippum Cluverium, eorundemque in Imperium Romanum irruptionibus*, editam Lugduni Batavorum, apud Cornelium Haate, 1739. 8.

Filum narrationis *Commentariorum in libros B. Augustini De Civitate Dei* nolui abrumpere, ut lector facilius assequatur quales fuerint labores, et tædia in opere adeo vastæ eruditionis emaculando, et enarrando, sine emolumento, neque plausu; cui finem imposuit Philosopho, et Theologo Christiano dignum, in hunc modum: *Si quid dixi quod placeat, habeat lector gratiam Deo propter me, et male dictis det veniam propter bene dicta; errores vero si benigne emendarit, ac sustulerit, demerebitur et me, et lectores, qui confisi forsitan mihi, fallerentur.*

Quod attinet ad B. Augustinum, in cujus gratiam Vives hunc la-

laborem suscepit, transcribam quod scripsit Bartholomæus Keckermannus, *Lib. I. Gymnasii Logici*: *Divus tamen Augustinus judicio et docendi dexteritate, id est, vero, solidoque usu Logicæ, hisce videtur præferendus, non meo judicio tantum, quod nullum est, sed præstantissimorum quorumque virorum, et imprimis Erasmi, qui in præfatione supra opera Augustini, sub ipsum Præfationis exordium, ita exclamat: ¿Quid habet orbis christianus hoc Scriptore, vel magis aureum, vel augustius? In Basilio, præter subtilitatem, exosculamur piam, ac mitem suaviloquentiam; in hujus sodali Chrysostomo sponte profluentem Orationis copiam amplectimur; in Cypriano veneramur spiritum martyrio dignum; in Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam admiramur; in Ambrosio dulces quosdam aculeos, et Episcopo dignam amamus verecundiam; in Hieronymo eruditionem, ac dexteritatem singularem interpretandi Scripturas, quæ ad Logicæ Artis vim etiam imprimis pertinent; sed Divus Augustinus etsi Eloquentiâ, eâque imprimis admirabili, non destituitur, Logicæ tamen Artis vim, atque exercitationem obtinet penitus admirabilem.*

Cum Joannes Ludovicus Vives esset Lovanii anno M.D.XXI. non M.D.XXII. ut perperam legitur apud Episcopium *tom. I. pag. 686.* consideravit Suetonii Julium acephalum esse, eique caput conveniens effingere voluit, ut quæ in aliis libris de Cæsare leguntur, ibi non desiderarentur, Suetonii phrasim æmulatus et diligentiam: cujusmodi consilium postea placuit Joanni Freinshemio in T. Livio, et Q. Curtio supplendis felici successu: Vives scriptiunculam suam dicavit Hieronymo Ruffaldo, auditorum suorum probissimo, ac proinde carissimo.

Sollemne erat sæculo decimo sexto Græcos, Latinosque Scriptores classicos enarrare studiosæ juventuti, et hoc adeo in usu erat in nostra Hispania, ut celeberrimus Ælius Antonius Nebrissensis nunquam Artem Grammaticam Latinæ linguæ in Academiis docuerit, sed solum auctores classicos prælegerit: præterire non possum verba Francisci Martini Lusitani, in *Oratione* publice Salmanticæ habita *pro Antonio Nebrissensi*: *Enarravit ille quidem in Salmanticensi Academia publice auctorum magnorum libros; Artis tamen præcepta nunquam explicavit, nec se ad hæc infima tractanda demisit.* Atque ita optime intelliguntur quæ Ferdinandus de Balbas scribit, et leguntur *in Archivo Complutensi pag. 75. El Maestro Anto-*

nio

nio Nebrija vino a Alcalà a la fama el año de 1514. i se presentò al Cardenal mi Señor, diciendo: Que le venia a servir. El Cardenal mi Señor, holgò mucho de su venida, i se lo agradeciò. Siendo yo Retor, mandò que lo tratase muy bien, i le asentase de Cathedra sesenta mil maravedis, i cien fanegas de pan: i que leyese lo que èl quisiese, i si no quisiese leer que no leyese, i que esto no lo mandava dar porque trabajase; sino por pagarle lo que le debia España.

Inter Nebrissensis Discipulos permansisse hanc methodum prælegendi Auctores Classicos in Academia Complutensi apparet ex epistola nuncupatoria Laurentii Balbi Liliensis ad Petrum Lermam Burgensem, Complutensis Academiæ Cancellarium, præfixa *Argonauticis* C. Valerii Flacci, in qua sic scripsit: *Quum paullo ante Julias Kalendas, in commune Grammaticorum gymnasium convenissemus qui Latinas litteras in hoc celeberrimo bonarum Artium emporio publice profitemur, ut de communi omnium sententia, legendos hoc anno libros constitueremus, placuit cunctis, Pater sapientissime, ut Joannes Ximenius, Joannesque Angulus, viri undequaque consummati, matutina lectione, Virgilium, pomeridianâ vero, Collectanea quædam Opuscula ex variis auctoribus excerpta prælegerent; ego vero, et Petrus Mota, lectione matutina, Valerium Flaccum, et Silium Italicum, pomeridianâ, aut M. Ciceronis Philippicas Orationes, aut Q. Curtium Alexandri Historiæ luculentissimum scriptorem interpretaremur; sed quia horum omnium librorum, præterquam Virgilii operum, quorum ubique vis magna est, adeo ingentem penuriam esse intelligebamus ut ne decimæ quidem Scholasticorum parti eorum esse posset copia, excusoribus imprimendos dare decrevimus; et Motæ quidem Silii recognoscendi injuncta est provincia, mihi autem Valerii castigandi munus mandatum est.*

Antonius Nebrissensis tanti fecit Laurentium Vallam, ut ejus *Differentias* excerpserit, et litterarum ordine dispositas Grammaticæ suæ inseruerit; hinc colligi potest Vallæ doctrinam prælectam olim Salmanticæ; ideo Franciscus Sanctius Brocensis optabat in epistola nuncupatoria *Minervæ*, petebatque ab Academia Salmanticensi, ut e Grammaticis Cathedris primariis deturbaretur Laurentius Valla, et explicaretur *Minerva*, cujus veras laudes ipse prædicat. Ad morem prælegendi auctores classicos studiosæ juventuti respexit Lucius Marineus Siculus, cum libro *De Laudibus His-*

pa-

paniæ, *cap.* 25. ita scripsit doctus hic Chronographus Regum Catholicorum: *Salmanticæ libros Latinos profiteri cœpit* (Antonius Nebrissensis) *a quibus Hispani fere omnes adeo abhorrebant, ut ad eos non facilius converti potuerint, quam ad Christi Fidem praviores senioresque Judæi.* Joannes Hispaniæ, et Siciliæ Princeps, qui in flore juventutis obiit, scripsit Lucio Marineo Siculo epistolam extantem libro primo hujus collectionis, hunc morem indicantem his verbis suavissimis: *Eras tu quidem famâ vir magnus, sed scriptis multo major occurris, quibus nihil est elegantius, nihil doctius, nihil utilius: quod non solum Salmantica Civitas, ubi multos annos studiosam juventutem, Poëtarum, et Oratorum lectionibus, excoluisti, verum etiam fatetur Hispania.*

Inter alia commoda, quæ ex convictu familiari (extat adhuc Gandiæ ampla domus Ducalis appellata vernacula lingua, *lo Convitori*) doctissimi viri Andreæ Stranei percipiebat Joannes a Borgia, Gandiæ Dux, cui Ludovicus Vives dicavit opus *De Officio Mariti*, illud erat haud postremo loco ponendum, quod Straneo prælegente, duas ex Plinio singulis diebus lectiones audiebat Princeps ille; unde enatæ *Annotationes* Stranei in *Historiam Naturalem* C. Plinii Secundi, opus vastum, et magni acuminis, luceque publica dignum: ad usum enarrandi auctores Classicos in Academiis respexit Laurentius Palmyrenus in Oratione Valentiæ habita mense Decembri, anni 1563. ubi nititur probare rem admodum veram, sed usu non receptam: *Libros varios adolescentibus noxios non esse*: quæ extat in *Campis Eloquentiæ*, in qua, inter alia scribit: *Audis etiam Lodovicum Vivem in libris De Disciplinis tradentem, quos libros Præceptor publice enarrare possit, quos adolescens intra privatos parietes legere debeat.*

Hunc modum convertendi in succum, et sanguinem proprium auctores classicos secutus fuit Joannes Ludovicus Vives, scripsitque in hunc finem varias *Prælectiones*, quarum prima est in *Leges Ciceronis*: et quamvis in Patrio Gymnasio Jurisprudentiæ operam dederit, et postea in Anglia Juris lauream Doctoralem adeptus fuerit, tamen Lutetiæ Parisiorum Philosophi personam agebat, premens vestigia M. Tulii, qui non ut juris peritus, sed tamquam Philosophus hos libros *De Legibus* ediderit.

Altera Ludovici Vivis *Prælectio* est in *Conviviа Francisci Philelphi*, cujus fama illis temporibus admodum colebatur, quia ex eorum numero fuerat, qui litteras et eruditionem in Italia suscitaverant, professorium munus excercens Bononiæ, Romæ, Mediolani, Florentiæ, Patavii, et Mantuæ; Florentiæ præsertim magna fuit Philelphi existimatio, nam ipse *lib.* 2. *epist.* 2. gloriose de se prædicat, non tantum ipsas nobilissimas feminas, honorandi ejus gratiâ, viâ cedere illi, verum et auditores fuisse ei quotidie quadringentos, et amplius, et hos quidem magna ex parte viros grandiores, et Senatores testatur, quia more illius sæculi prælegebantur auctores Classici, tum Latini, tum Græci; septem libros *Conviviorum Philelphi*, quos Vives enarrandos suscepit, ab Historiæ et Antiquitatis cognitione impense ipse laudat; cum de modulo syllabæ aliquando contentio foret Philelpho cum Timotheo Græculo, atque ita convenisset, ut si vinceretur, ipse pecuniâ lueret errorem, sin vinceret, adversarius barbam sibi totam sineret recidi; victor usque adeo fuit inexorabilis, ut barbam pecuniâ redimi minime pateretur, ita ut misello Timotheo, non sine ludibrio, eam novaculá abradi totam necesse foret, et discissam utique barbam, velut ingens trophæum, circumferebat in triumpho; sed tantæ insolentiæ pœnas merito luit, nam Philelphus periit Bononiæ, copiis rei domesticæ adeo dissipatis, ut ad efferendum funus, et cubiculi, et coquinæ instrumenta venierint.

Joannes Ludovicus Vives in præfatione ad *Convivia Francisci Philelphi* sic ait: *Aulus Gellius per se ipsum probatissimus, cum vellet tum suæ memoriæ consulere, tum oblectari, tum vel filiis* (*ut ipse ait*) *et aliis, quantum posset, prodesse, omnium scientiarum primitias quasdam, et quasi libamenta contulit in opus unum: nonnunquam ex intimis disciplinis enodavit quæstiones, cujus stilum, et pæne verba nostris temporibus Petrus Crinitus vir plane doctus, est secutus: cui libro titulum fecit: De Honesta Disciplina.* Et paullo post adjunxit: *Cum voluisset igitur* :::: *Philelphus mellifica videri apis, delectatus lectionum distinctione, librum hunc omni eloquentia edidit: in eo sunt ex intima Naturali Philosophia ac Morali expeditæ quæstiones, Astrologiæ multa cognitio. ¡Quanta in eo* (*Dii boni*) *Antiquitatis notitia! ¡Quanta et Inventorum, et Disciplinarum conservata Historia! Unde opus hoc*

de

de quarundam ortu, et incremento Disciplinarum non inepte plures inscribi putarent.

Tertia *Prælectio* Joannis Ludovici Vivis, est *In Quartum Rhetoricorum ad Herennium*, cui tribuenda est judicii laus Vivi familiaris; in ea ita scripsit: *Quartum Rhetoricorum ad Herennium celeri lectione interpretabimur; quem ubi primum finierimus, eam quam in principio professi sumus, præstantissimam omnium judicio affectuum artem trademus.*

Quarta est Vivis in suum *Sapientem Prælectio, quam Proœmium fore Opusculi jussit.* In illa summo judicio scripsit. *¿Quid putamus fuerit in caussa ut Athenis tot sapientes, ut fuerint tot Romæ, ut tot in Christiana Religione, ut hac tempestate tam pauci, vel nullus? Nempe quod licebat in liberis civitatibus liberas esse linguas, quæ prava quasi discerperent, ac dilaniarent: licebat, in exordio crescentis Ecclesiæ, sedulo peccantes increpare, et quos timor Dei non reddebat meliores, verecundia mundi (quantulumcumque id esset) retrahebat: atqui habet ætas nostra palpones, et gnatones egregios, qui blandis adulationibus facinora fovent: ¿quis hæc non increpat? ¿sed quis non facit?*

Ad *Sapientem* quod attinet, est Dialogus valde elegans, et facetus inter Nicolaum Beraldum, Gasparem Lax, et Ludovicum Vivem in quo deridentur mores Professorum Parisiensium illius temporis in Grammatica, Poëtica, Dialectica, Physica, Rhetorica, Astrologia, Jurisprudentia, Medicina, et Theologia. De Mathematicarum Artium studio Academico sic ait: *VIVES. Mathematicos visamus (si tibi est cordi, Gaspar, mi Magister) eos certe qui Geometriam, qui Arithmeticen, qui Musicen, qui Astronomiam, qui Perspectivam callent. GASPAR. Mathematici (mi fili) pro nemine Parisiis verificantur. VIVES. ¿In tanto studio, tam bonæ scientiæ non sunt cognitæ in quibus cum primis versari deberent? GASPAR. Deberent quidem, sed nec omnia faciunt quæ debent: tenentur illas Universitatis præcepto audire, sed novus abusus antiquum usum expulit, qui nisi antiquetur, non video cur jure Docti Viri Parisienses nominari possint: satis tamen legi facere putant, ubi de Punctis, Lineis, Superficiebus, cavillatorie disputant: sintne hæc divisibilia, an indivisibilia.* In hoc Dialogo depinxit etiam Vives brevi sermone veram Sapientiam: Nicolaus Beraldus, qui primas partes in Dialogo *Sapientis* agit,

 fuit

fuit Erasmo valde carus, ut in hujus Epistolis videmus.

Europa, præcipua orbis terrarum plaga, insignes habebat Principes, Carolum Quintum Germaniæ Imperatorem, et Franciscum Primum Galliarum Regem; sed qui virtutibus suis sua tempora beare poterant, æmulatione inter se ardebant, et magnæ inde oriebantur calamitates: his malis permotus Joannes Ludovicus Vives, qui, licet Hispanus, vere erat Cosmopolites, scripsit Epistolam *De Europæ statu, ac tumultibus*, ad Hadrianum VI. Pont. Max. Lovanii, XII. Octobris anni 1522. cui alias antea scripserat Decano Lovaniensi, et Episcopo Dertosano: nusquam illustriori indicio cœlestis favor in amplificanda Cæsaris fortuna patuit, quam cum Cardinales de eligendo ex suo numero Pontifice votis dissentientes, in Hadrianum Batavum, Caroli quondam præceptorem, tunc absentem in Hispania, cui regendæ relictus fuerat, unanimi sententia consenserunt: ea erat et Hadriani virtus, et Caroli discipuli auctoritas. Supremam adeptus Dignitatem, Hadriani nomen sortitum in baptismate cum alio noluit commutare, et ideo Cælius Calcagninus dixit:

AD HADRIANUM VI. PONT. MAX.

Consuevere alii solitum sibi vertere nomen
Ut primum cinxit trina corona caput,
Hac ratione novum natalem ostendere sueti,
Ceu deceat titulos jam nova vita novos;
At tu nec mutas nomen, vitæque tenorem
Ex æquo servas qui fuit ante tibi:
Scilicet est aliquid primos ita condere mores,
Dignum ut sit sancto principe quidquid agas;
Tu, puer, æthereos sensus cum lacte bibisti,
Et jam tunc animus nectare pastus erat:
Nomen erat, moresque supremo Antistite digni,
Nunc mores iidem, nunc sibi nomen idem.

Joannes Ludovicus Vives, deterritus amplitudine Dignitatis Pontificiæ, noluit illi gratulatoriam scribere, sed aliam Philosopho Chris-

Christiano dignam, ab illo duo postulans, scilicet; quies ab armis inter Principes Christianos; et quies a tumultibus inter privatos; hæc Epistola ad Hadrianum Pont. Max. cum aliis duabus ad Henricum VIII. Angliæ Regem scriptis anno 1525. quarum altera est *De Francisco Galliæ Rege a Cæsare capto*, altera vero *De Pace inter Cæsarem, et Franciscum Galliarum Regem, deque Optimo Regni statu*, editæ fuerunt Antuerpiæ, et alibi.

Desiderius Erasmus Roterodamus cum Gulielmo Budæo scriberet de morte Cardinalis Croji anno 1521. Lovanii XIV. Kalend. Martii dixit: *Certe Vives noster Mœcenatem amisit, qualem posthac haud facile nanciscetur.* Sed portam, quam Deus Opt. Max. aperiebat ad levandam paupertatem Vivi, occlusere humana ingenia, versutiora rota figulari; audiamus ipsum Ludovicum Vivem historiolam hanc narrantem more suo, scilicet patienter et modeste, Erasmo, Brugis Kal. Aprilis 1522. *Dux Albæ offerebat non contemnendam prorsus conditionem, si per Fratres rescire licuisset; cupiebat enim ille impense nepotes illos suos, quos habet in Hispania ex primogenito filio, a me erudiri, cumque ageret de mittendo ad me cubiculario quodam suo, qui rem mecum transigeret, offerretque ducentos aureos ducatos annuos mercedis nomine, intervenit Frater quidam Dominicanus, rogatque Ducem, ecquid Lovanium mandet? se postridie iturum eo; nihil, inquit Dux, opportunius: quæso te loquere cum Vive, et ex eo cognosce, an vellet hac mercede instituere nepotes meos; et simul nobilis quidam Bertrandus, is qui te Andrelaci invisit, dat ei litteras ad me quibus certior de toto negotio fiebam; venit Frater Lovanium, colloquitur mecum plus decies, nec de Duce verbum ullum, nec litteras Bertrandi reddit: Dux, ubi me videt cunctari, aut admonitus forsan a Fratre me recusare, præficit jam hinc pueris Severum Monachum; ignarus ego harum rerum omnium, venio Bruxellam; ibi expostulat Bertrandus quod epistolæ suæ nihil responderim: ¿cui, malum inquam, epistolæ? ¿Serio, inquit, cui epistolæ? serio, inquam; tum narrat multis præsentibus rem ordine, quorum plerique affirmabant se interfuisse cum Dux illa mandaret Fratri; se dolere impendio, quod conditionem sim aspernatus; fuisse futurum ut nusquam magis ex animi mei sententia, vixissem, quam secum, hoc est, cum hominibus mei amantissimis; jam integrum non esse mutari, quod inter Ducem et Severum convenisset: bona,*

na,

na, inquam, verba: ¿ego scilicet aliquid aspernarer quod mihi a Duce offerretur cum semper avidissimê quæsierim occasionem aliquam ostendendi, quam essem animo in Ducis obsequium propensissimo? agere me illis gratias de ejusmodi in me animis, et non tam ægre ferre interceptam eam conditionem, quam animum sceleratum Fratris. ¿Et hæc patimur a Fratribus, quid facturi ab alienis? Jam non contenti eruditionem impetere, etiam in fortunas nostras invadunt: Deus ipse vindex erit. Severus Monachus, qui munus Vivi oblatum occupavit, laudatur a Garcia Lasso a Vega in elegantissima Ecloga secunda.

Anno M.D.XXII. mense Augusto cogitabat Ludovicus Vives, proximo Septembri, Britanniam transmeare, et vale dicere Professorio muneri Lovaniensi, etsi non erat ei consilium, nisi tres, aut quatuor menses ibi manere, et negotia sua tractare: cui rei perficiendæ, litteras commendatitias ab Erasmo petiit, ut scirent Angli Vivem amicum esse Desiderii; tenebat illum tantum scholarum tædium, ut quidvis facturus esset citius, quam ad illas redire sordes, et inter pueros versari.

Eadem erat mens Francisco Joanni Bardaxino, doctissimo præceptori, scribenti: *Taceant qui putant Præceptores ullo labore frangi posse: lateant qui nos ignavos semper esse voluissent: exulent illi omnes qui populari temeritate rem omnium pulcherrimam, studiisque omnium utilissimam, levissimæ plebis adducti sententiâ, vituperandam esse judicarunt.*

Veritas Fucata, sive de Licentia Poëtica, Vivis opus, editum fuit Lovanii apud Theodoricum Martinum Alostensem, anno 1523. mense Januario. 4. Hujus opusculi meminerat Michaël Maittaire in *Annalibus Typographicis, parte posteriore, tom. 5. pag.* 333. et omissum fuit in Collectione Basileensi Episcopii; sed bono publico exemplar quoddam pervenit in manus Excellentissimi viri Emmanuelis de Roda et Arrieta, Regi a Secretis in omnibus gratiæ justitiæque negotiis, et Consilii sanctioris Senatoris amplissimi, Mœcenatis mei præclarissimi, qui maximis, et immortalibus in me collatis beneficiis, beare me voluit hunc librum transmittendo, quem Ludovicus scripsit Dialogistice inter Joannem Vergaram, et Vivem; optimus hic Canonicus Toletanus in Germaniam peregrinatus fuerat una cum Ferdinando Valdesio, a Consi-

si-

siliis Cardinalis Ximenezii, et postea Archiepiscopo Hispalensi, et Areopagita maximo, qui ultricibus flammis Religionem vindicavit; tunc temporis Vergara Lovanii Vivem vidit, et cum eo et Erasmo arctam amicitiam conglutinavit; quod non solum fecit quia caussa itineris erat ad informandum Gulielmum Crojum, juvenem electum Archiepiscopum Toletanum, quem in litteris instituerat Vives, verum etiam ob acerrimum hujus viri judicium, et eximiam eruditionem.

Hujus itineris meminit Andreas Schottus in *Bibliotheca Hispaniæ vol.* 3. in Joanne Vergara, his verbis: *Post ad Joannem Crojum Belgam, cui Carolus, post Cæsar Imperator, ejus nomine Quintus, Toletanæ sedis clavum, ob parentis erga se educandi officia, commendarat, in Belgium profectus, una cum Valdessio (qui post Hispalensis est Archiepiscopus renuntiatus) ut rerum Ecclesiasticarum in Carpetanis probe gnarus, de re omni Præsulem designatum doceret; is animi gratiâ venatum profectus, et equo delapsus, rupta vena, nondum visâ Hispaniâ interiit.*

Dialogus *de licentia Poëtica* scriptus est erudite, et judiciose, et uti decebat viro, qui Antonio Bergensi scripsit in nuncupatoria *Fabulæ de Homine*: *Neque enim absurdum prorsus est Philosophum ex tetrica illa disciplina ad blandiores Musas animi gratiâ interdum descendere; quod eo facio et sæpius, et audacius, quoniam sum ex ea Philosophia, cujus Princeps De Poëtica scripsit Arte, et Alexandro Regi, Discipulo suo, Homerum interpretatus est.*

Hoc eodem anno M. D. XXIII. cum Vives scriberet Brugis Erasmo die 10. Maii, dixit: *Ego nulla ratione subtrahere me potui Hispanico itineri, quod puto cras, aut perendie ingressurum, quod velit Christus mihi prospere succedere; per Britanniam proficiscar, et ibi, et in patria amici in te hominis officium præstabo; Christum precor ut te servet diutissime incolumem, et lætum; ubicumque fuero, illinc te de meis rebus certiorem faciam: vale mi Præceptor, et memineris semper amicitiæ nostræ, meque Christo, cui tam gnaviter servis, commenda.*

Valentiam Ludovicus Vives pervenit, quo iter suum dirigebat, et die x. Julii, in quo colitur memoria Christophori Martyris, et celebratur quoddam miraculum ab eo patratum in hac urbe anno 1391. ut proditur in *Annalibus Valentinis* manu scriptis

in

in Bibliotheca Majansiana extantibus; quid illo die contemplatus fuerit Vives in Ecclesia Metropolitana prodit idem in *Commentariis ad Librum* 15. *cap.* 9. B. Augustini *De Civitate Dei*, hisce verbis: *Festo Divi Christophori, cum salutatum issemus illum, ad maximum Urbis nostræ templum, ostensus est nobis dens molaris, pugno major, quem dicebant esse illius: aderat mecum Hieronymus Burgarinus, juvenis ingenio castissimo, et supra modum sobrio, studiisque bonarum Artium deditissimo: ad quod cum suapte natura factus, et appositus esset, tum etiam magnum illi erant calcar Patris sapientissimi monita, et exemplum, qui vir natu grandior, et amplâ familiâ, magnisque opibus, et negotiis districtus, dabat se nihilominus litteris, ut hoc saltem quod viderent liberi imitarentur.*

Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum* ait *die* 25. *Julii*: *Frequens erat, ac religiosus in Hispaniis Christophori Martyris cultus.* In Diœcesi Valentina ejus memoria celebratur VI. idus Julii, quia in eo die dicata fuit Ecclesia Sancti Christophori Monialium S. Augustini ab Episcopo Valentino: Hieronymus Vida, Episcopus Albæ, elegantis ingenii vir, cecinit de statura procera hujus Martyris:

Christophore infixum quod eum usque in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris:
Quem gestans, quoniam multa es perpessus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta maris:
Id quia non poteras, nisi vasti corporis usu,
Dant membra immanis quanta Gigantis erant.

Sic ille interpretatus fuit pictorum morem, in adumbrando Christophoro.

Hieronymus Burgarinus comes Vivis, nepos erat, ut conjici potest, Burgarini Canonici Valentini et Sacristæ, sive Thesaurarii, Legati Ordinis Ecclesiastici Regni Valentini apud Carolum V. et in ejus aula commorantis, ut scripsit Martinus a Viciana rerum Valentinarum Scriptorum facile princeps in *quarta parte Chronici Valentini*, *fol.* 22. In hac descripsit Viciana summa fide seditionem plebejam Valentinorum hominum, qui sub nomine Fra-

Fraternitatis (vulgo *Germanïa*) prosternère Nobiles, eorumque fortunas; Balthasar Vives, Toparcha oppidi Viridarii (*del Vergel*) Viviæ gentis caput, in aflictis rebus et deperditis, Pro-Regem Didacum Hurtado de Mendoza, Comitem Melitensem, hospitio excepit, et ut tutius ageret, Dianio oppido munito collocavit ubi etiam habebat domum, Sætabimque perrexit, et Amplissimam Annam de la Cerda Dianium transtulit, ut cum marito speraret finem malis; plebeji irâ succensi oppidum Viridarii igni dederunt, quæ omnia apud Vicianam leguntur, *fol.* 71. 128. et litteræ a Rege, et Imperatore Carolo ei scriptæ fuere humanitatis plenæ pro his beneficiis: rebus adeo turbidis, facile est conjicere statum rerum familiarium nobilium virorum, quibus aliqua remedia adhibere opus erat, Ludovico Vivi præsertim, qui de ducenda uxore cogitabat, quod fecit Brugis, ut ipse ait in epistola nuncupatoria Consulibus, et Senatui Brugensi præmissa Tractatui *De Subventione Pauperum*: *Placuit ratio administrationis vestræ, educatio et civilitas populi hujus, et incredibilis in eo quies ac justitia per gentes celebrata; itaque et uxorem hîc duxi.* Insigniter ergo deceptus fuit Joannes Baptista Capasso in *Synopsi Historiæ Philosophiæ*, cum dixit: *Bravum Archiepiscopalem Hispaniæ urbem Castellæ veteris Regiam, vulgo Burgos, venit, ubi uxorem duxit*: puto originem erroris venisse ab inversione litterarum *Brugis* et *Burgis*.

Ludovicus Vives scribens Erasmo e Brugis XVI. Junii an. 1524. dixit: *Ex Britannia discessi mense Aprili tantum ad ducendam uxorem, jussus a Principibus* (Henrico et Catharina) *et Cardinale* (Wolsæo) *eo redire ad finem mensis Septembris; quod faciam, ni necessitas aliqua et vis major impediat, aut causa maxime sontica: ita enim sunt homines illi de me meriti, ut iniquum sit me non obsecundare eorum voluntati, quum illi multis in rebus indulgeant meæ: feriis Eucharistiæ* (Solemnitas Corporis Christi celebrata fuit anno 1524. die 26. Maii) *subjeci cervicem jugo muliebri, nondum mihi quidem gravi, et quod cupiam adhuc excutere, sed eventum Deus viderit: hactenus nec mihi factum displicet, et iis omnibus qui nos norunt mirifice placet, ut ajunt, nihil hîc esse multis annis actum tanta omnium approbatione.*

Hanc sententiam de Margareta Valdaura Vivis uxore secutus fuit Joannes Oporinus in epistola dedicatoria præmissa Tractatui

De Veritate Fidei Christianæ, asserens ita: *Margareta Valdaura, omnibus, quæ in honestissima quavis matrona laudari queant, virtutibus ornatissima femina, ejusdemque Dom. Lodovici Vivis relicta vidua.*

Hinc apparet quam a vero aberrarit Josephus Rodriguezius in *Bibliotheca Valentina* scribens *pag.* 262. Ludovicum Vivem fuisse hominem laicum, matrimonio junctum, et postea Clericum Presbyterum: Caspar Escolanus, *Lib. v. Historiæ Valentinæ, cap. ult. col.* 1130. ansam errori dedit exarans: *Llegaron en la facultad de la Theologia i Filosofia a merecerla mui grande, demàs de los empadronados entre los Santos, los Maestros Joan Gelida, Estrany, Luis Vivas, el Canonigo de la Iglesia Mayor el Dotor Figuerola, Olivario, Blai Navarro, Pedro Antonio Beuter, Joan Nuñez, todos Clerigos Sacerdotes.*

Margareta uxor Vivis erat filia Bernardi Valdaura, et Claræ Cervent: cum Ludovicus scriberet libros *De Institutione Christianæ Feminæ* anno 1523. jam Bernardus clauserat diem extremum, nam *Lib.* 2. *cap.* 4. *Quomodo se erga Maritum habebit*; ait: *Obiit tandem senex æger, sed non obiit, sed abiit verius, et exiit jugem cruciatum, tanto cum dolore Claræ,* (Cerventæ) *ut, qui illam norint, fateantur nunquam adolescentem maritum, integro corpore, formosum, divitem, tantum reliquisse carissimæ uxori luctum, tantum mœrorem.*

Credo Vivem ad Margaretam Valdauram, et Cerventam uxorem respicere cum *Lib.* 2. *De Institutione Feminæ Christianæ, ejusdem cap. Quomodo se erga Maritum habebit*, scribit: *Incurrit* (Bernardus Valdaura) *deinde in alium morbum longissimum septem ferme annorum, ipsa* (Clara Cerventa) *infatigabili diligentia, et cibum ei paravit, quum famulas tres haberet, ac filiam grandiusculam*; scilicet Margaretam, ut puto, quæ nata fuerat anno 1504. et anno 1524. habebat 20. annos, et Ludovicus 32. cum matrimonio juncti fuere; alteram filiam habebat Clara Cerventa, scilicet Mariam, quæ una cum fratre Nicolao, Ludovico leviro et Margaretæ sorori monumentum posuere.

Margareta uxor Vivis erat filia Bernardi Valdauræ, et Claræ Cerventæ: Nicolaus Antonius perperam Nicolaum Valdauram, *Baldauram* nuncupavit in Joanne Ludovico Vive, vitio scilicet multis Hispanis familiari, deflectendi litteram U. ad B. et e contra,

non

non ignoto veteribus, cum Adamantius Martyr jam olim librum integrum scripserit hoc titulo, et argumento: *De V. et B. litteris*, quæ voces nempe hanc, aut illam reciperent, quasi in brevi discrimine, et quod confunderet sæpe vulgus; nam B. pronuntiatur jungendo labia, U. vero consonans aplicando dentes superiores labro inferiori: pro certo habeo Bernardum Valdauram, Margaretæ patrem, et Ludovici socerum, patrem fuisse alterius Bernardi cujus extat mentio inter subscriptores impensarum editionis *Historiæ Imperatorum, Cæsarumque Romanorum, ex antiquis numismatibus restitutæ* Huberti Goltzii, ubi inter eos, qui Neapoli nomen suum professi sunt, recensetur *Bernardus Valdaura, Flander, Brugensis*, et cum in Italia degeret ideo monumentum non posuit Ludovico leviro, et Margaretæ sorori, uti Brugis fieri curarunt Nicolaus et Maria Valdaura fratres, et in vivis adhuc erat anno 1563. Margareta ejus soror, et Vivis uxor, obiit Brugis pridie idus Octob. anno 1552. cum vixisset annos 47. menses 9. Emmanuel Martinezius Pingarronus, amicitiâ mihi dum viveret conjunctissimus ob egregiam probitatem et mores suavissimos, in erudito prologo *Scientiæ Numismatum, pag. XVII.* recensuit Bernardum Valdauram inter Scriptores Hispanos de Studio Antiquitatis benemeritos, proculdubio respiciens ad illud quod Konigius ait Bernardum Valdauram, Brugensem, vixisse anno 1558. et collegisse Marmoreas Inscriptiones, et extare ejusdem Tractatus *De Numis Antiquis*.

Mater Margaretæ Valdauræ, Ludovici uxoris, fuit Clara Cervent, ut optime scripsit Andreas Schottus in Bibliotheca Hispaniæ (pag. 604.) qui in his oris versatus fuit, in Vive nostro: *Blancam Marcam Matrem, matronam lectissimam et pientissimam nominat libro De Officio Mariti; Socrum vero suam, Claram Cerventam, Bernardi Valdauræ conjugem, clarum exemplum probæ Matrisfamilias, præsertim in adversis, laudat ibidem, et lib. 2. De Officio Feminæ Christianæ.*

Etsi Schottus Margaretam, *Cerventam* nuncupavit sermone Latino, nomen ejus vulgare erat *Cervent*: nam Valentini idiomate suo in feminis nomina gentilitia aptant suo sexui, ut *Agullona, Bertrana, Cerventa, Conilla, Domenega, Gonzalva, Jordana, Miraveta, Monferrada, Monforta, Monserrata, Ortella, Pastora*, pro *Agullò, Bertran, Cervent, Conill, Domenech, Gonzalvo, Jordà, Mira-*

vet, *Monferrat*, *Monfort*, *Monserrat*, *Ortell*, *Pastor*, ut passim videtur in *Chronica B. Paschasii Bailon*, pie et candide scripta a Joanne Ximenez.

Ludovicus Vives Claram Cerventam socrum suam insigniter laudavit *Lib.* 2. *De Institutione Feminæ Christianæ*, *cap*.4. *Quomodo se erga Maritum habebit Uxor*, his verbis descriptis ex editione principe Antuerpiensi, 1524. *Et quanquam virtus, etiam nullis adjuta luminibus, in tenebris splendorem suum obtinet, claraque et celebris est, tamen, quantum in me erit, non sinam hoc et præsentes, et posteros ignorare, quod ipse vidi, quod alii pariter mecum quamplurimi sciunt*: *Clara*, *Bernardi Valdauræ conjux* (in editione Basileensi anni 1538. dixit: *Clara Cerventa Bernardi Valdauræ conjux*, quam ob oculos videtur mihi habuisse Schottum) *quum virgo tenerrima, et formosissima, Brugas esset ad sponsum adducta jam plus quadraginta sex annos natum, prima nuptiarum nocte crura ejus fasciis involuta vidit, deprehenditque maritum sibi ægrum, et valetudinarium contigisse, nihil tamen illum ob id aversata, non cœpit eum odisse, quum præsertim nondum posset videri amare*; *incidit non multo post Valdaura in gravissimum morbum, de cujus salute et vita Medici omnes desperabant, ipsa cum Matre, tanta cura et solicitudine circa lectum ægri versabantur, ut sex totis hebdomadibus ambæ nec se exuerint, nisi ut mutarent supparos, nec ulla nocte supra unam aut alteram horam quierint, idque indutæ, multis noctibus traductis insomnibus*; *erat radix morbi, quem Gallicum hîc* (Brugis) *vocant, sævi et contagiosi*: Aptiori vocabulo deberet dici: *Americanum*: nam ab illa mundi plaga asportatum fuit Hispalim anno 1496. ut scribit Gundisalvus Fernandez de Oviedo, testis oculatus, in *Historia generali Indiarum*, *lib.* 2. *cap.* 14. ubi inter alia scitu digna scribit: *Como la dolencia era cosa nueva, no la entendian ni sabian curar los Medicos*; *ni otros por experiencia consejar en tal trabajo*. Inter Medicorum filios primus qui calamum acuminavit, fuit Franciscus Lopez de Villalobos, edito tractatu, in cujus prima pagina tantum hæc leguntur: *El sumario de la Medicina con un tratado sobre las pestiferas buvas*. Ad calcem operis legitur: *Fenesce el Sumario de la medicina hecho por el Licenciado Francisco Lopez de Villalobos, emendado y corregido por el mismo, imprimido en la Cibdad de Salamanca, a sus expensas de Anto-*

nio

nio de barreda librero: año del nascimiento de nuestro Salvador de M. CCCC. XC. et VIII. Deo gracias. fol. Habeo hunc librum immensæ raritatis: et ut lector percipiat facilitatem stili, transcribam quod legitur ad calcem tractatus, scilicet:

I no des lugar a la embidia malina
Que calle lo bueno, y pregone los yerros,
Que muchos letrados de la Medicina,
Por quanto concurren en una rapina,
Se muerden assi como gatos, i perros.

Sed redeamus ad narrationem Ludovici Vivis laudantis Claram Cerventam uxorem Bernardi Valdauræ: *Dissuadebant* (Claræ) *Medici, ne sic eum* (Bernardum) *tangeret: ne tam prope accederet: idem consulebant necessarii: tum æquales feminæ in religionem adducebant, non esse affligendum hominem, jam fatis debitum,* (in meliorem formam expressit hæc, editio Basileensis) *et a morte exhaustum: prospiciendum esse animæ; de corpore nihil cogitandum aliud nisi ubi conderetur humo: quibus vocibus adeo illa absterrita non est, ut curarit quidem quæ ad animum spectabant, sed ipsa culinæ sorbitionibus, quæ remedium afferrent, ipsa pannis subinde mutandis (nam soluta erat majorem in modum alvus, et aliis locis pus dimanabat) esset intentissima, sursum deorsum toto die cursitaret; ita discrimen maximum Valdaura evasit, jurantibus Medicis e manibus Orci violentiâ Conjugis ereptum esse: alius facetius, quam Christianius, decrevisse dixit Deum Valdauram occidere, uxorem vero obstinasse e manibus se illum non dimissuram: cœpit ei, fluente quodam ardentissimo ex capite humore, arrodi interior narium caruncula, Medici pulvisculum dederunt, quo subinde respergeretur ulcus tenui per fistulam flatu, quumque nullus inveniretur qui non eum laborem recusaret, omnibus rem tetram exhorrentibus, sola conjux hoc præstitit; repletis genis ac mento papulis morbi, quum nullus rasor commode posset barbam ejus radere, nec vellet, uxor forficibus octavo quoque die dexterrime attondebat; incurrit deinde in alium morbum longissimum septem fere annorum, ipsa infatigabili diligentia et cibum ei paravit, quum famulas tres haberet, ac filiam grandiusculam,* (Scilicet Margaretam Valdauram et Cerventam, natam anno 1504. et postea Vi-

vis

vis conjugem: in editione Basileensi legitur, *filiam grandescentem*) *et ceromatis fœda illivit ulcera; et crura, putidissima undique sanie scatentia, contrectavit quotidie, ac devinxit, ut muscum diceres eam tractare, non rem fœtoris intolerabilis; quin, et anhelitus, quem nemo non etiam ad decem passus aversabatur, ipsa suavissimum jurat fuisse*: (ergo Clara Cerventa adhuc in vivis erat anno 1523. in quo Ludovicus hæc scribebat.) *Et etiam serio mihi succensuit, quum semel fœtere dixissem, ajebat enim sibi videri ceu fragantiam maturorum, et dulcium malorum; atque hoc toto morbi tempore, quum essent quotidie magni faciendi sumtus, ad hominem, tot morbis contusum, alendum et curandum, in ea domo ad quam multis jam annis nulla ex re lucrum aliquod redierat* (in editione Basileensi, *nulla ex re quæstus aliquis redierat*) *nec annuos haberet proventus*: quibus verbis apertius indicatur Bernardum Valdauram, Vivis socerum, mercimonium egisse: et valde observari debet quod de Brugis scribit doctissimus Joannes Christophorus Calvetus ab Stella, fol. 112. lib. 3. *Itineris Philippi Hispaniarum Principis* his verbis: *Era grande el aparato que havia para recibirle, asi por parte de los de Brujas, como de los Españoles que alli residen, que son muchos por causa del gran trato i comercio, que alli hay de las lanas, que por mar se traen de España: i salieron tambien mui galanes a recibir al Principe, i en mui buenos cavallos, ricamente guarnecidos: competian las Naciones que alli hay de España en mostrar la aficion de leales vasallos, en los arcos triumfales i representaciones*, (comœdiis scilicet) *i espectaculos*, (ludis) *con que le esperavan.* Huc facit illud Munsteri lib. 2. pag. 117. *Brugæ non penitus destitutæ sunt omni mercatu; quantum enim attinet ad lanam, retinuit in hunc usque diem pristinam negociationem, et mercatorum concursum.* Ex his apparet quam immutata sit rerum Hispaniensium facies.

Petrus à Ribadeneira in Vita Ignatii a Lojola scripsit beatum hunc virum, dum Lutetiæ litteris operam daret, quotannis adiisse Brugas, ut colligeret stipem a mercatoribus Hispanis ibi commorantibus; et Franciscus Garcia ejusdem vitæ consarcinator addit Ludovicum Vivem excepisse prandio Ignatium a Lojola.

Sed resumamus elogium Claræ Cerventæ, et narrationem ægritudinis Bernardi Valdauræ: *Ipsa se vestibus libentissime spoliabat* (in Ba-

Basileensi, *ipsa se annulis, ipsa torquibus aureis, ipsa monilibus, ipsa vestibus, ipsa abacum suum vasis argenteis libentissime spoliabat*) *ne quid marito deesset: contenta erat quavis mensa, modo marito suppeteret quod tam afflicto malis corpori conduceret; sic ille vitam traxit uxoris cura, cadaveroso corpore, et potius sepulchro quam corpore, decem annis a primo illo morbo; quo tempore ipsa duas ex eo proles suscepit, quum ante sex genuisset; viginti annis nupta, nunquam contagiosissimo mariti morbo, nec ulla omnino scabie infecta, non modo ipsa, sed nec ullus liberorum, corporibus omnium sanissimis atque mundissimis.*

Hæc descriptio aliquibus non arrisit, et admonitus Vives ab Erasmo, rescripsit ei litteris ab eo datis Brugis, anno 1527. festo Margaretæ: *¿De scabie quanto Hieronymus plura, et apertiora? si modo qua de scabie loquaris intelligo*: verum cum Ludovico de socru loquente progrediamur: *Ex quo liquidum fit, quanta sit virtus, quanta sanctitas earum, quæ vere, ac toto pectore maritos* (*ut congruum est*) *amant, quemadmodum illis Deus præsentem quoque gratiam referat; obiit tandem senex æger; seu non obiit, sed abiit verius, et exiit jugem cruciatum; tanto tamen dolore Claræ, ut qui illam norint fateantur nunquam adolescentem maritum, integro corpore, formosum, divitem, tantum reliquisse carissimæ uxori desiderium, mœrorem, luctum: multi gratulatione citius putabant esse opus, quam consolatione, quos illa propemodum execrabatur, optans ut maritus, qualis qualis erat, fieri si posset, sibi redderetur; quumque sit integra ætate, nunquam statuit nubere, quod se alterum Bernardum Valdauram inventuram negat; prætereo pudicitiam, cujus est exemplar; prætereo sanctitatem morum; de pietate conjugis est sermo, quæ nunquam venit sola, semper reliquis omnibus comitata virtutibus; ¿quis hanc non perspiciat, non corpori Bernardi Valdauræ nupsisse, sed animo? ¿aut non putasse corpus illius suum esse? ¿Quid, quod viri sui præcepta et mandata omnia ita observat, tantâ reverentiâ, ac si adhuc viveret, et ex ejus præscripto multa agit*, sic illum facere statuisse aut mandasse dictitans? *talem uxorem, Euripides, si habuisses, tam laudasses feminas, quam eas vituperasti: talem si, Agamemnon, patria te multis annis de Troja victa lætum spectasset triumphantem: tacenda hæc non fuerunt, quum minora memoriæ mandentur, ad maritas sui officii commonefaciendas: plebejarum sunt hæc, inquit illa nobilis: primum, non omnino ex fece plebis Clara Valdaura*, (usus fuit Vives com-

communi loquendi modo non ignoto Romanis, et ideo cecinit Lucanus

::::::: *liceat tumulo scripsisse CATONIS*
MARCIA.

scilicet Uxor, et notum illud *Elisabeth Zachariæ*) (pergit Vives) *et juvenis, et formosissima, et delicatissima, et comitata famulabus, quibus magnam curæ partem mandare poterat si sustinuisset.*

Cum Clara Cerventa, Vivis socrus, tot tantisque virtutibus exornata fuerit, merito ejus gener de ea dixit, libro *De Officio Mariti*, cap. *De Disciplina Feminæ*: *Nec solum adducentur vetera illa nomina, et ævo consecrata, Sara, et Rebecca, tum Penelope, Andromache, Lucretia, Cleobulina, Hipparchia, Porcia, Sulpicia, Cornelia*: *et nostræ Divæ Agnetes, Catharinæ, Agathæ, Margaritæ, Godolinæ, Barbaræ, Monicæ, Apolloniæ*; *sed recentiores quoque, Catharina Angliæ Regina, CLARA CERVENTA Valdauræ uxor, BLANCA MARCHA*; *tametsi vereor ne Matris meæ nomen quibusdam videar ambitiosius usurpare, et pietati nimium indulgere.*

Vincentius Ximenius in *Scriptoribus Valentinis* pro *Cervent* nomine Valentino male scripsit *Cervantes*, nomen Castellanum toto terrarum orbe notissimum; et cum laudaret Schottum *Bibliothecæ Hispaniæ* Scriptorem, illum sequi debuisset, et non Franciscum Ortinum compilatorem historiæ Academiæ Valentinæ, et transcribentem errorem Nicolai Antonii; sed venia danda est Ortino, et Ximenio Valentiæ scribentibus ob librorum præstantium raritatem. Ludovicus Vives epistolâ ad Honoratum Joannium de uxoris Matre, sic scripsit: *De Socru utinam sit quemadmodum scribis, et aliquam partem spero ita fore*; *sed nos in mortuis lugendis nos ipsos solemus spectare, non illos.*

Margareta Valdaura et Cerventa, uxor Joannis Ludovici Vivis, præter Bernardum in Italia commorantem, et Mariam sororem in Belgio, fratrem etiam habuit Nicolaum, qui anno 1529. die 21. Novembris, e Brugis Parisios ire satagebat, ut idem Nicolaus scripsit Honorato Joannio, in cujus *Elogiis* editis ejus Epistola legitur: Vives commendatitias litteras dedit Gulielmo Budæo, in quibus et mores Nicolai, et quàm ex animo bene vellet illi, sic depinxit: *Nunc habebis cui commodius poteris tradere, si quid ad*

me

me perlatum velis; nam hic Nicolaus Valdaura, uxoris meæ frater; qui est mihi præter affinitatem etiam fratris germani loco, Lutetiam studiorum gratiâ proficiscitur; est enim Medicæ Arti daturus operam, cujus pernoscendæ est cupidissimus; hic tibi has litteras reddet, si quem unquam habuisti ex mea commendatione inter tuos, quo nomine maximam tibi ago gratiam, hunc habebis non aliter, Budæe clarissime et carissime, quàm me ipsum; cave putes commendationem hanc esse ex illis vulgaribus: neminem habeo juvene hoc cariorem, cujus humanitatem, mansuetudinem, modestiam si gustaveris, non dubito quin sis eum judicaturus amore tuo dignum: nihil eo potest fieri mitius ac moderatius; itaque, si quid unquam apud te benevolentia nostra valuit, hunc non aliter quàm me ipsum complecteris, efficiesque illum familiarem maximis istis amicis tuis Medicis, (Joanni) *Ruellio imprimis, cujus consuetudo plurimum huic adjumenti adferet: sed de Valdaura vix cœpi dicere si animum et affectum spectem; sin tuam prudentiam et amorem nostrum mutuum, nimis jam multa*: Joannes Ruellius peritissimus rei Medicæ, fuit vir in vertendis Græcis religiosæ fidei, et ideo carus Budæo, et Vivi.

Nec his litteris Ludovicus contentus fuit, alias etiam familiariores misit Antonio Barchero, ubi inter alia scripsit: *De quo toto itinere accipies quæ voles a Valdaura meo, qui istuc proficiscitur ut pergat operam dare Medicinæ suæ: commendatione ille non eget mea apud te, ipse est, ut spero, tibi et meo et suo nomine carissimus: nec possem nunc magis commendare, vel accuratius quàm commendavi, potuisti enim intelligere cum una essemus, quantopere eum diligam, seu ut aptius dicam, amem: scito autem ab eo illo tempore plurimum accessisse amori in illum meo, cui nihil videbatur posse addi: quocirca, mi Barchere, hoc uno verbo apud te utar: puta me esse Nicolaum hunc: hæc una commendatio sufficiet animo isti et voluntati tuæ erga me: non onerabo pluribus epistolam, quandoquidem is erit tibi vice longissimæ. Vale.*

Non solum Nicolaus Valdaura commercium habuit epistolicum cum Honorato Joannio contubernali suo, et ideo Vives *Libro I. De Censura Veri, cap.* I. scripsit: *Compositæ, sive complexæ Voces sunt, duæ, aut tres, aut plures orationis partes, vel vinculo colligatæ, ut Valdaura, et Maluenda; ego cum Joannio*; sed etiam cum Garcia Alabiano, hujusque rei voluit Vives ut in libro *De Conscribendis Epistolis*, cap. 7. extaret apud posteros exemplum: hujus

Garciæ meminit Martinus Viciana in secunda parte *Chronici Valentini* in Gente Alabiana. In *Exercitatione Linguæ Latinæ* in Dialogo, *Ludus Chartarum seu Foliorum*, Nicolaus Valdaura primas partes agit cum Gonzalo Tamayo, Francisco Lupiano, Joanne Castello, et Ruderico Manrico Alphonsi filio.

Præterire non possum commendationem scriptam a Vive Hieronymo Salineo: *Habebis istic Nicolaum Valdauram, uxoris meæ fratrem, quem ego ita habeo carum, ut alterum me esse censeam; is erit tibi velut imago quædam, et admonitor, quo mei crebro memineris.* Salineum laudavit Vives ad calcem libri *De Conscribendis Epistolis*: *Hieronymus Salinas Theologus Inacho Mendozæ Cardinali, Episcopo Burgensi, ardentem pietatem precatur. Lutetiæ Natali Joan. Baptistæ, 1533. Scio prudentiæ tuæ non esse opus Consultore, memoriæ autem propter varietatem, et magnitudinem negotiorum nonnunquam: itaque rogo te memineris Nationis studiosorum hominum, nam de voluntate in illos tua nihil dubitamus.*

Hoc unum mihi restat monendum, scilicet, Nicolaum Valdauram jam fuisse Vivi consanguineum antequam Margaretam sororem duxisset anno 1524. nam sub finem Tractatus in *Pseudo-Dialecticos* sic scripsit: *Nicolao Valdauræ, consanguineo meo salutem, quem tibi* (Joanni Forti) *quod, et sæpe alias feci, quam possum maxime commendo; est enim mihi, ut scis, non minus carus, quam frater. Davalum quoque pro me saluta. Vale mi suavissime Fortis. Lovanii, idibus Februarii, M.D.XIX.* Iste erat Antonius Rodriguez Davalos, qui librum Æneæ Silvii *De dictis, et factis Alphonsi Regis Aragonum* in Hispanum sermonem transtulit; cum hæc scriberet Vives jam in animum induxerat nubere cum Margareta. De Nicolao dixit etiam *Lib.* 14. *cap.* 15. *Commentariorum in Civitatem Dei B. Augustini*: *Admonuit me Nicolaus Valdaura meus.* Atque hæc de fratre uxoris Ludovici sufficiant, qui in vivis adhuc erat anno 1552. et unà cum sorore Maria posuit monumentum Ludovico, et Margaretæ Conjugibus, qui improles obiere.

Idem Vives in libro *De Conscribendis Epistolis*, inter formulas resalutandi hanc exhibet: *¿Gabriel Valdaura hoc tempore ad me? ¿quin potius litteras, et quidem copiosas, de rebus suis omnibus, ut nostris communibus? renuntia ei, non expectare me ab eo salutationes, sed*

epis-

epistolas, aut quod matrona illa castissima marito scribit:

Nihil mihi rescribas, attamen ipse veni.

Quis fuerit Gabriel Valdaura ignoro, suspicor fuisse filium socerorum Vivis Bernardi Valdauræ, et Claræ Cerventæ, nam *lib.* 2. *De Institutione Feminæ Christianæ: Quomodo se erga Maritum habebit*, scripsit de prole eorum: *Sic ille* (Bernardus Valdaura) *vitam traxit uxoris* (Claræ Cerventæ) *curâ, cadaveroso corpore, et potius sepulcro, quam corpore, decem annis, a primo illo morbo* (Americano) *quo tempore ipsa duas ex eo proles suscepit, quum ante sex genuisset, viginti annis nupta, nunquam contagiosissimi mariti morbo, nec ulla omnino scabie attacta, non modo ipsa, sed nec ullus liberorum, corporibus omnium sanissimis, atque mundissimis.*

Sed itinere Hispanico a Vive peracto, et Matrimonio contracto, operæpretium est scire anno M. D. XXIII. Ludovicum Oxoniæ nonis Octobris dicasse Catharinæ Reginæ Angliæ opusculum *De Ratione Studii Puerilis*, ut inservire posset studiis Mariæ filiæ suæ, quæ habebat Præceptorem, et nondum Vives susceperat hanc provinciam hujus Principis erudiendæ, quam cito aggressus fuit fortasse occasione hujus scriptionis, quæ res, ut est humanarum rerum facies, non poterat non esse gratissima Vivi, mortuo Crojo, et Albani Ducis proposito succisso. Libellus hic *De Ratione Studii Puerilis*, etsi facilis et apertus videatur eruditis, scriptus fuit ut Præceptor eo uti posset ad exponenda ea quæ a Scriptoribus Artis Grammaticæ erant obscure tradita, aut prætermissa. Cum Laurentius Palmyrenus esset adolescens, et tali duce careret, experientiâ edoctus dixit in *Latino extemporali* (*El Latino de repente*): *¿Quanti fecissem ipse olim puer, cum avidissime legebam Lodovici Vivis libellum* De Ratione Studii Puerilis, *Gulielmum Budæum* De Formando Studio, *Erasmum* De Civilitate Morum, *si laudabilia vivendi præcepta, quæ ibi latebant, agnoscere potuissem?*

Sed muneris Præceptoris humaniorum litterarum aliud specimen dedit Ludovicus Vives eodem anno M. D. XXIII. Londini: nimirum Comes Gulielmus Montiojus apud Henricum Regem gratiâ et auctoritate florebat, cujus favore Præceptor ejus. Desiderius Erasmus cum Principe illo epistolicum commercium habebat, et in Angliam transvolavit, et minime dubito quin hortatus fuerit

Vivem ut idem ageret; is habebat filium Carolum Montiojum, cui erudiendo scripsit Ludovicus Vives alteram Epistolam ejusdem argumenti *De Ratione Studii Puerilis*, Londini 1523. In his duabus Epistolis complexus fuit institutionem ingenuorum adolescentum, et puellarum nobilium; Georgius Buchanus, qui in his studiis habebat jus suffragii, in pretio habuit has Vivis Epistolas *De Ratione Studii Puerilis.*

Gerardus Joannes Vossius præteriti sæculi celeberrimus Scriptor, in *Dedicatione Aristarchi, sive, De Arte Grammatica*, loquens de Henrico VIII. Angliæ Rege dixit: *Qui quanto studiorum amore fuerit inflammatus, indicio erit quòd ternas ædes Regias Bibliothecis totidem mire luculentis instruxerit: ab eodem illud amore est profectum, quòd ipse, et unà Regina Catharina, pene eo solum consilio Oxonium sunt profecti, ut Ludovicum Vivem in Collegio Corporis Christi audirent disserentem.* Henricus plurimi faciebat Ludovicum Vivem, frequenterque adibat Oxonium ut filiæ Mariæ progressum in studiis observaret; sed sinceritas, et libertas Ludovici, Regis animum (et ad amores, et ad suspiciones propensissimum) averterunt, et præsertim, cum eo tempore ageret de divortio criminoso, jussu Principis in carcerem detrusus fuit, ubi sex hebdomades detentus, quæ suo loco ipsius verbis indicabimus.

Joannes Ludovicus Vives, dum esset Oxoniæ, adeptus fuit lauream Doctoralem in Jure Civili, abs dubio ut hoc honore Academico devinciret sibi animos Nationis Anglicanæ: Vives Erasmum imitatus nunquam nomini suo proprio præfixit Doctoris titulum, cum tamen ipse creatus fuerit Theologiæ Doctor in Academia Taurinensi: et argute more suo ajebat, majorem esse numerum *Doctorum* a recto *Doctor*, quam a recto *Doctus.* Martinus Lasus ab Oropesa, et Vivis interpretes Hispani, Didacus Astudillus, Laurentius Justinianus, et nuperrimus Doctor Joannes a Gonzalo, Nieto, Ivarra, hoc titulo eum ornarunt, Hispaniensem usum secuti. Effigies Ludovici semper depingitur veste oblonga, pellibus villosis, et pileo Doctorali. Præterire non possum Antonium a Wood Scholasticarum Dignitatum initia Anglis suis vindicare, et Parisiensem Academiam originem earum Oxoniensi acceptam ferre, *Lib. 1. Histor. et Antiquit. Acad. Oxon.*

Sed

Sed temperare mihi nequeo quin adducam, et transcribam quæ de titulo hoc vernaculâ linguâ scripsit Laurentius Palmyrenus in Dialogo. *De Imitatione Ciceronis*, non sine lepore: *Hijo.* (Agesilaus Palmyrenus, Laurentii filius) *¿Pues què, cierto es que puedo usar vocablo que no estè en Ciceron? Padre. ¿Quièn dice que no? Hijo. Veo que en Valencia le reprehendieron aquel vocablo* Professor, *porque no estava en Ciceron. Padre. ¿Pues no te acuerdas, que a los mismos les reprehendi yo, que usaban* Historiographus, *i* Tomus secundus, *que no estàn en Ciceron? Hijo. Eso era dar i recebir, pero no defenderse. Padre. Antes me defiendo como el mismo Nizolio con su contrario M. Antonio Mayoragio que dice, que bien puede usar vocablo que guarde la analogia Latina; pues ya ves que en Ciceron se halla* Profiteor, profiteri, et professus sum: *i como de* scriptu, *ultimo supino, usò Ciceron* Scriptor; *asi yo de* Professum, Professu, Professor, *por Analogia. Quise mas llamarme con humildad barbara* Professor, *que no con sobervia Ciceroniana* Doctor, *porque aquel papel imprimiale para el Pueblo, que no sabia, que era Ciceron, hasta que yo lleguè* (Hortatore Honorato Joannio ut idem Palmyrenus fatetur in epistola nuncupatoria hujus opusculi *De vera, et facili imitatione Ciceronis*. Sed lector debet etiam ob oculos habere quod Andreas Semperius scripsit Consulibus Valentinis, de Ciceronis in Academiam Valentinam ingressu, et ea inter se conferre) *i leyendo en mi papel que venia un* Doctor linguarum, *dixeran que era locura* Doctor in Grammatica. *Asi me llamè* Professor Linguarum; *i quando ya habrà muchos Ciceronianos mudarè el nombre, pues no escandalizarà.* Andreas Schottus in Bibliotheca Hispaniæ de Joanne Andrea Straneo scribit: *In Theologica professione Doctoris titulum, more majorum, adeptus est, magis ut litteratis amicis morem gereret, quam quod ambiret.*

Eodem anno M.D.XXIII. elaboravit Ludovicus Vives Oxoniæ librum eximiæ prudentiæ cui titulum fecit: *De Consultatione, ad Lodovicum a Flandria, Dominum Pratensem*, qui voluit ut Vives scriberet *De Genere Deliberativo* separatim a reliquo Artis Rhetoricæ corpore: opus revera difficile, tum quod tam latissime pateat, quàm varia et multiformis est humana vita, de qua tota, singulisque portiunculis subinde in consilium itur, tum etiam quod in Genere Deliberativo, sicut in Judiciali, et Demonstrativo, Inven-

tio

tio tota ex Locis Argumentorum sumitur, qui aut repetendi erant, aut certâ quâdam, et novà ratione proponendi, ut maxime congrueret instituto proposito; sed Pratensis humanitas, et eruditio, et amor erga Ludovicum Vivem laborem operis æquarunt; Pratensis maxime Carolo Imperatori erat acceptus, et eo proxeneta Ludovicus Vives ad Cæsarem scribebat. Operæpretium est audire sententiam doctissimi Gabrielis Naudæi in *Bibliographia Politica* de hoc opusculo Viviano. *Cum enim duo in illis ad illud præstandum summopere videantur esse requisita, Oratio nimirum, et Sapientia; de Oratione nudâ quidem, et simplici, quæ in familiaribus etiam colloquiis, ac rebus domesticis usurpatur, extant præcepta ejusdem Camilli Baldi; de Artificiosa vero, quæ in consultationibns de Regno, ac rebus gravissimis usurpari solet, ipse libellum aliquando præ manibus habui, cui auctor linguâ suâ titulum præfixerat,* Del Parlar Senatorio; *et præter elegantissimum opus Ludovici Vivis* De Consultatione, *consuli potest etiam aliud Gabrielis Paleotti* De Consistorio.

Eodem anno M.D.XXIII. Brugis Nonis Aprilis dicavit Ludovicus Vives Catherinæ Angliæ Reginæ libros tres *De Institutione Feminæ Christianæ*: In primo egit de instituenda Virgine; in secundo de Conjugatis; et in tertio de Viduis: Hoc argumentum ita tractavit Ludovicus ut novum appareat, nam Xenophon, Plato, et Aristoteles cum præcepta traderent de re familiari, nonnulla dixerunt, quæ ad mulieris officium pertinerent: *Tertulianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius de Virginibus, ac Viduis sic disseruère, ut aliquod vitæ genus suadeant potius quam forment: toti sunt in castitatis laudibus celebrandis, magnifico vero opere, et illis ingeniis, illaque sanctitate digno, sed præcepta, formulasque vitæ paucissimas perhibuerunt, satius esse rati adhortari ad optima, et manum porrigere ad altissima, quam erudire inferiora: nos autem exhortationes illis relinquentes, ut ætatis degendæ rationem ex auctoritate potius illorum, quàm ex opinione nostra sibi quisque deligat, ipsa vitæ instituta documentis componimus: itaque orsi a prima Feminæ ætate, ipsam usque ad connubia primo libro deducimus; hinc a Conjugio ad Viduitatem, quemadmodum transmittendum illi cum Marito tempus bene ac beate censeamus, secundo; postremo, Viduitas instituta est.*

Quod attinet ad laudes Reginæ Catherinæ Aragoniæ cui libri ins-

inscripti sunt, sic eam depinxit Vives, ut nihil fieri possit neque elegantius, neque verius: *Hoc opus* (ait) *Tibi non secus offero, Regina inclyta, quàm si pictor faciem Tuam artificiosissime expressam daret; si quidem ut in illa imaginem Tui corporis depictam cerneres, sic in his libris imaginem videbis animi; quippe quæ fuisti et Virgo, et Sponsa* (Arturi Principis), *et Vidua, nunc Uxor* (Henrici VIII.) *quod, ut diutissime sis, Deum precor; et sic in his omnibus vitæ rationibus, cursibusque Te gessisti, ut exemplum reliquis esset optime vivendi quidquid ageres; sed Tu mavis virtutes laudari, quam Te, etsi nemo commendare muliebres virtutes potest, quin Te quoque eàdem laudatione comprehendat; parendum tamen erit Tibi, modo scias sub excellentibus, et egregiis virtutibus, alias plerumque Tui similes expresso nomine, Te semper* (*etsi tacite*) *prædicari; neque enim celebrari laudibus virtutes possunt, quin pariter et illi commendentur, quamvis innominati, qui plurimum illis ipsis virtutibus præstiterunt.*

Neque mirum est talem fuisse Catherinam, cum Matrem habuerit Reginam Elisabetham, Ferdinandi Catholici uxorem., de qua Vives in eodem opere *Lib. 1. cap. de Primis exercitamentis* scripsit: *Ideo Regina Isabella, Ferdinandi conjux, nere, suere, acu pingere, quatuor filias voluit, ex quibus duæ* (Elisabeth et Maria) *Lusitaniæ fuerunt Reginæ; tertiam* (Joannam) *videmus Hispaniæ Caroli Cæsaris matrem; quartam,* (Catherinam) *Britanniæ, Henrici octavi, viri optimi conjugem sanctissimam.* Sed licet Vives inscripserit opus Reginæ Catherinæ, Brugis nonis Aprilis 1523. editum tamen fuit Antuerpiæ apud Michaëlem Hillenium Hoochstratanum; in intersignio Rapi excusum. Impensis vero honesti viri Francisci Byrckman, Civis Coloniensis. Anno M. D. XXIV. 4. et Basileæ apud Vinter 1538. et alibi. Regina vero Catherina Aragonia tanti fecit hujus operis, ut ipsa curarit a Thesaurario majori Regio Anglice verti: id etiam Gallicum factum operâ Jacobi de Chanæy Advocati Divionensis, editum tum Lugduni in 16. tum Antuerpiæ, apud Plantinum in 8. et etiam id vertit Petrus Murquet.

Et Hispanum, interprete Joanne Justiniano, Ducis Calabriæ, et Pro-Regis Valentini familiari, Germanæ, Aragoniæ Reginæ, nuncupatum, hoc titulo: *Libro llamado Instruccion de la Mu-*

ger

ger Christiana, el qual contiene como se ha de criar una Virgen hasta casarla: i despues de casada, còmo ha de regir su casa, i vivir prosperamente con su Marido: i si fuere Viuda, lo que es tenida a hacer. Traducido agora nuevamente de Latin en Romance, por Juan Justiniano, criado del Excelentissimo Señor Duque de Calabria, dirigido a la Serenissima Reina Germana. En Zaragoza en casa de Bartholomè de Nagera, año M.D.LV. 4. Hujus operis interpretatio jam antea edita fuerat Valentiæ, apud Georgium Costilla, 1528. fol. et postea Vallisoleti, per Didacum Fernandez, 1584. in 8. Joannes Justinianus homo Italus Tuscam versionem dare cogitabat, ut ipse refert in eleganti epistola ad Reginam Germanam; in ea cordate scribit, decursâ longâ sæculorum serie Scriptorum Ethnicorum et Christianorum, floruisse tandem sæculo decimo quarto Franciscum Ximenez, Monachum Franciscanum, et Episcopum Elnensem, qui Feminas nobiles Christianas erudivit, veteres Ecclesiæ Patres imitans libro admodum judicioso *De las Donas*, hoc est, *De las Dueñas*, sive *Dominabus*, sermone Lemovicensi, qui sæculo decimo sexto jam in desuetudinem abibat, sed quo tempore hæc legebantur mores erant magis ad honestatem compositi.

Hoc opus *De Institutione Feminæ Christianæ* aggressus fuit Ludovicus Vives fessus a scribendo Commentaria in libros B. Augustini *De Civitate Dei*, cupiens aliquid Reginæ Catherinæ mittere stilo simplici et eleganti, aptato feminis, sed tali ut rari sint eruditi, qui tam sapienter scribere valeant.

Eodem anno M.D.XXIII. die xv. Decembris erat Ludovicus Vives Oxoniæ, litterarum scaturiginis, ubi Professorium munus exercebat patrocinio Thomæ Wolsæi Cardinalis, et Archiepiscopi Eboracensis, et Angliæ Legati Pontificii, e cujus arbitrio Britannicæ res pendebant: erat Wolsæus homo vili et sordido loco natus, sed tanta ambitione et superbia præditus, ut gravis proceribus, ac nobilitati, postremo ipsi Regi Henrico molestus fuerit: Ludovicus Vives, qui erat in clientela Cardinalis Legati, misit ei munus dignum homine Anglo, duas scilicet Isocratis Orationes a se versas in Latinum sermonem, quarum altera *Areopagitica Oratio, sive de vetere Atheniensium Republica*; altera vero *ad Regem Nicoclem de Regno Administrando*: Hisce duabus Orationibus agitur, ¿utrum præs-

præstet consultiusque sit, Populum suarum rerum esse arbitrum ac dominum? ¿an unius curâ, et providentiâ teneri regimen civitatis? In Oratione ad Nicoclem ostendit Isocrates qualem Regem esse oporteat, eumque magno studio hortatur, et saluberrimis præceptis instruit ad Regnum clementer ac feliciter administrandum: in Oratione Areopagitica Isocrates, vir ætate gravis, spectatæque virtutis, et sapientiæ, referre instituit de statu civitatis emendando, idque in summo consilio Athenis, qui Areopagus, id est vicus, seu Campus Martius, dicebatur: hinc Areopagiticus titulus est, latine Oratio Senatoria nominari potest. Rerum publicarum pestes duæ præcipue sunt: Tyrannis, quando Magistratus impune in imbecilliores grassantur, atque ad suam libidinem, avaritiam, ambitionemque omnia referunt; et Anarchia, quum Populus, contemtâ legum et Magistratuum auctoritate, omnem loquendi, et faciendi, pro lubito, licentiam sibi sumit; neutra autem confusio, et perturbatio diuturna esse potest, sed subinde altera alteram, velut terrigenæ illi fratres, evertit: status inter has pestes optimus est, et vera Libertas, quando bonæ Leges, et a Magistratibus, et a Civibus sacrosanctæ habentur, et optimi, ac sapientissimi imperant, reliqui modestè parent, ac juventutis disciplinæ summa ratio habetur. Vives in his Orationibus transferendis non numeravit verba, quod est miseræ, atque ineptæ diligentiæ, sed tantum sententias bona fide lectori reddidit. Desiderius Erasmus Isocratis libellum ad Nicoclem Regem, *De Institutione Principis*, aut *De Regno administrando* latinitate donavit.

Cardinali Thomæ Wolsæo cura erat Academia Oxoniensis, ut scripsit anno 1519. Erasmus Roterodamus Baroni Gulielmo Montiojo: *Magis autem exosculor egregium, ac prorsus heroicum animum Reverendissimi D. Cardinalis Eboracensis, cujus prudentiâ Schola Oxoniensis, non solum omni linguarum ac studiorum genere, verùm et moribus, qui deceant optima studia, condecorabitur.* Et idem Erasmus Ludovico scripsit: *Ex animo, mi Vives, gaudeo tibi Britanniam esse prosperam, quod ut tibi proprium, ac perpetuum sit precor. Bene Vale, Basilea 27. Decembris, anno* 1524. Hæc postrema tamquam bonus haruspex dixit Desiderius. Editæ fuerunt hæ duæ Isocratis Orationes a Vive in latinum sermonem versæ, Antuerpiæ anno 1526. et 1529.

et Basileæ apud Winter, 1538. 8.

Joannes Ludovicus Vives emisit Brugis anno 1524. *Introductionem ad Sapientiam*, opus auro contrà non carum. Auctor, qui recte censebat virtutem fundamentum esse Sapientiæ, scripsit in hoc opusculo breve compendium Philosophiæ Moralis, ut lectores in promtu haberent omnem succum, et sanguinem doctrinæ Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Epicteti, Senecæ, et Plutarchi, semper ob oculos habens Rationem naturalem, et Religionem christianam, unicam morum Magistram, per quam Vives perfecit illam doctrinam, reddens eam facilem, apertam et exactam, stilo Philosophico, hoc est, brevi proprio et cato, absque fuco, simplici, methodico et aperto, dividens tractatum quindecim capitulis, ita ut legens unum singulis diebus, duabus hebdomadibus opusculi lectio absolvatur, et possit iterari, et omnibus diebus præberi voluntati cibum salutarem.

Hic libellus editus fuit Parisiis apud Simonem Colin 1527. 8. Lugduni apud Trechsel 1532. Basileæ 1537. et apud Robertum Winter 1543. in 16. Lugduni per Joannem Frellonium 1551. 8. et iterum apud eundem 1556. in 8. Salmanticæ apud Matthiam Gastium 1572. in 12. Antuerpiæ 1593. 8. Lipsiæ 1594. et 1600. semper in 8. Lugduni ex officina heredum Symphoriani Beraud 1619. in 16. sed præcipue debet haberi in pretio editio Burgensis anni 1544. quam secutus fuit Franciscus Cervantes Salazar, in translatione Hispana, et doctus Franciscus Cerdanus iterum excudit Madridii, anno 1772. In laudata editione Burgensi leguntur duo Epigrammata, in laudem auctoris et operis, et ne lector ea desideret lubet hîc apponere.

MARTINI PETREII

Monasterii in percelebri Burgensi Sarmentario hypodidascali

CARMEN.

Cecropium, vano quem dixit Pythius ore
In Sophia primum continuisse locum,
Umbra fuit: nuper missus sapientia prima
Vives de cœlo, quod liber iste probat.

Nam

Nam docet esse pium, justum, fortemque, modestum,
Religiosa canens dogmata sacra Dei.
Hic cultus animi veri, moresque sereni,
Formatur virtus, candida vita patet.
Exsere nunc digitos, o Socrates, exserat omnis
Fabula, quem veterum credidit esse Sophum.

EJUSDEM TETRASTICUM.

Annus saxa terit, silices cum cautibus, atque
Ferrum tempus edax, hoc, adamasque perit;
Sed licet hunc nolis, mors invida, vivere Vivem,
Hîc vivet Vives semper utroque polo.

Meritò Ludovicus Vives libello suo aptavit titulum *Introductio ad Sapientiam*, quia est dux ducens ad vitam vere christianam; est index indicans hominis officia erga Deum, erga hominem, et erga se ipsum; est libellus memorialis continens quidquid agi debetur in vita civili, morali et christiana: itaque mirum non est, tractatum adeo cordatè, et sapienter scriptum Gallicè vertisse Gulielmum Paradinum, Decanum Bellojocensem, Lugduni editum 1550. in 8. et Joannem Colin, Parisiis apud Carolum Angelier 1548. teste Verderio.

Hispani, qui in vertendis libris non sunt valde solliciti, optime se gesserunt in transferendo hoc opusculo Vivis *Introductionis ad Sapientiam.* Primum provinciam hanc aggressus fuit Franciscus Cervantes de Salazar, utilibus additionibus ad rem facientibus. Compluti ex officina Joannis de Brocar anno 1546. in 4. mense Majo; et ob libri raritatem, et præstantiam prodiit iterum Madridii 1772. apud Antonium de Sancha, in 4. Secundò vero Didacus de Astudillo (alius a Monacho Dominicano ejusdem nominis) transtulit etiam *Introductionem ad Sapientiam*, et edidit: *Introduccion a la Sabiduria, compuesta en Latin por el Dotor Juan Luis Vives. Dialogo de Plutarco, en el qual se trata, còmo se ha de refrenar la Ira. Una Carta de Plutarco, que enseña a los Casados, cómo se han de haver en su vivir. Todo nuevamente traducido en castellano por Diego de*

Astudillo. Por Francisco Perez, en Sevilla año de 1604. 16. Cum Didacus Astudillus Brugis esset x. Kal. Augustas anni 1546. misit Alfonso Astudillo horum opusculorum versiones, in quibus laudabilem operam impendit. Alfonso Astudillo amicitiam fuisse cum Vive, et Gelida apparet ex illius libro *De Conscribendis Epistolis cap. 6. De Partibus Epistolæ*, ubi ait exempli causa: *Astudillus Jo. Gelidæ alteri Aristoteli.* Hæc verba ob oculos habebat Alfonsus Garcia Matamorus, cum in libro *De asserenda Hispanorum eruditione* scripsit: *Ne hoc quidem alumno* (Joanne Ludovico Vive) *solum gloriari Valentia potest, quoniam multorum cum Oratorum, tum Philosophorum, edito ab hinc annis viginti* (scribebat hæc anno 1553.) *beatissimo partu, susceptam priscis temporibus barbariæ maculam non delere solum suis viribus, sed aliis quoque Civitatibus eloquentiæ, et Artium omnium, ac disciplinarum lumen inferre valet. Nam, ut Joannem Gelidam præteream, quem magno Lodovici Vivis testimonio alterum nostri temporis Aristotelem liceret appellari, &c.* Et Caspar Escolanus *Lib.* 5. *Historiæ Valentiæ cap.* 23. loquens de doctissimo viro Jacobo Ferruzio ait: *De su auditorio, i del de Juan Geslida* (*varon a quien llama Luis Vivas segundo Aristoteles*) *salieron, como de un cavallo Troyano, un esquadron de Filosofos, i Theologos, que hasta hoi estan resplandeciendo en la Universidad de Valencia.* Et hîc, et in indice præcipuarum rerum voluminis primi *Gelidam* nuncupavit Escolanus *Geslidam*, retinens nomen vernaculum, non aptatum ab eo in Gallia latino sermoni. Hoc elogium, quod Vives contulit Gelidæ, imitatus fuit Palmyrenus in *Dilucida scribendi Epistolas ratione*, scribens: *P. Seva, Gastaldo Valentino Aristoteli S. D.* Emendandus est error typorum in Elegia Georgii Buchanani ad Ptolemæum Luxium Tastæum, et Jacobum Tevium, cum articulari morbo laboraret, anno 1544. cum pro

Cæteraque ut cessent gelide, pia cura sodalis,

legendum sit:

Cæteraque ut cessent, Gelidæ pia cura sodalis
Et patriis, et patriæ sustinet usque vicem.

Gelida enim, et Buchananus Professorium munus egerunt in Academia Burdegalensi maxime tunc florente.

Cum

Cum Ego viderem raritatem et præstantiam hujusce translationis, iterum feci eam juris publici, Valentiæ, apud Benedictum Monfort, anno 1765. et nuncupavi Excellentissimo Domino Comiti Arandæ, sæculi nostri ornamento eximio; et Astudilli, et Cervantes versiones in prætio habendæ, cum et doceant utilem doctrinam, et puram linguam Hispanam sæculo decimo sexto vigentem. Nec solum Hispani, sed et Galli, qui in vertendis alienis libris, et suos faciendi, sunt valde solliciti, *Introductionem ad Sapientiam* Vivis vulgarem fecerunt, per Gulielmum Paradinum, et Joannem Colin, ut diximus Pag. 83.

Satellitium Animi, sive Symbola, ad normam totius vitæ humanæ, maximè Mariæ Cambriæ Principis, cujus animum Vives, ut optimus Præceptor, voluit circumdare non satellitibus ad corpus tutandum, sed optimis præceptis, et etiam symbolis petitis ex intima Philosophia, et Religione Christiana ad mentem erudiendam: *Symbola* appellavit, quasi notas quasdam, cujusmodi mos erat vetus Principibus se insignire, quod et fit hodie: cum Symbolorum sit lex ut sententiam absolvant verbis ad summum quinque, et quo breviora sunt, hoc venustatis plus ostendant, ideo aliquid obscuritatis solent habere, idcirco Ludovicus expositiunculas addidit breves quidem pro rei argumento, sed in hoc tantum ne ambiguitas vel remoraretur, vel falleret: hæc scribebat Vives Brugis ad kalendas Quintiles anni 1524. cum tantum calamo esset institutor Mariæ: hoc opusculum ob argumenti similitudinem commitari solet *Introductionem ad Sapientiam*, ut in editione Burgensi anni 1544. in Lugdunensi anno 1551. apud Joannem Frellonium 8. in Salmanticensi apud Matthiam Gastium 1572. in 12. in Coloniensi apud Petrum Horstium 1589. 8. Lipsiensi 1594. et 1600. 8. et Lugdunensi ex officina hered. Symphoriani Berard. 1619. in 16.

Inter Symbola quæ in *Satellitio* leguntur, singulare est quod Vives selegit, et sibi aptavit, nimirum *SINE QUERELA. Vivendum ita, ut non sit cur vel de Te quisquam conqueratur, vel Ipse de quoquam, aut de Fortuna: nec Ipse cuiquam facias injuriam, nec factam Tibi credas. Seneca de Tranquillitate Vitæ: Assuescendum ita-*

que

que conditioni suæ, et quàm minimum de illa querendum, et quicquid habet circa se commodi apprehendendum. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inveniat: hoc est Symbolum nostrum. Tali, tantoque Philosopho Christiano dignum.

Quomodo Vives in Anglia valeret scripsit 6. idus Martii, anni ut conjicio 1525. Gilberto Cognato Nozereno, Erasmi a manu, dum esset adhuc Oxoniæ: *Me hîc cœlum istud ventosum, densum, humidum, inclementer accipit, et victus ratio multum diversa a consuetudine mea: cætera cedunt prosperrime Deo gratia; nam diligunt Principes, ac favent, idque re ostendunt; sed mihi certum est ad mensem Junium in Flandriam redire.*

Magno in pretio habendus est conatus Ludovici Vivis in pace revocanda apud Europæos, quam homo privatus viribus destitutus disponere non poterat nisi adhortationibus Christianis, uti videmus in epistola, quam octavo die Julii 1524. scripsit Brugis, ad Joannem Episcopum Lincolniensem, a Confessionibus Henrici VIII. Britanniæ Regis, quæ legi meretur una cum aliis duabus Epistolis sapientissimis scriptis anno sequenti 1525. ad eundem Principem *De Francisco Galliæ Rege a Cæsare capto*, die 12. Martii; et *De Pace inter Cæsarem, et Franciscum Galliarum Regem, deque optimo Regni statu, die* 8. *Octobris.* Quæ Epistolæ una cum alia ad Hadrianum Pont. Max. ejusdem argumenti, et *Dialogum De Europæ dissidiis*, et *Bello Turcico* conjunctim editæ fuerunt uno volumine sub titulo: *De Europæ statu, ac tumultibus diversa Opuscula: Basileæ ex officina Roberti Winter anno* 1538. *mense Martio.* 4. Hæc victoria parta fuit ductore Domino Antonio a Leva, in cujus gratiam sic cecinit Cælius Calcagninus:

QUANTA VIS IN ANTONIO LEVA.

Hexaphoro Levas vehitur, contractus in artus,
Nec facit officium pesve, manusve suum;
Spargit linguâ minas, oculi multo igne coruscant,
Præcedit terror, subsequiturque timor.
¡Rem miram! ¡Dî magni! animus sine corpore pugnat,
Atque tot armatos unus inermis agit.

Præ-

Præclare Jacobus Thuanus *Lib.* I. *Historiarum sui temporis* dixit: *Hac clade* (Ticinensi) *prostratis, uti videbatur, Galliæ viribus tamen Rex victus tantum efficere potuit, quantum incolumis vix ausus esset optare; exemploque suo verum esse comprobavit, Regum afflictas res multorum opes allicere ad misericordiam, dum quisque in præpotentum cladibus efficacius conditionis suæ admonetur.* Ludovicus Vives et si homo Hispanus, et privatus, præbuit auxilium quod potuit pennâ, et atramento: quo tempore hæc scribebat fortasse fuerunt multi qui hæc opuscula tamquam ab altero Phormione profecta putarent; sed maximas ei gratias referre debemus, cum tam multa, et præclara posteritati mandarit, et omnibus temporibus profutura: Philosophis nulla est Patria, Socratem Cosmopoliten imitantur, et ut Cato, credunt non genitos esse sibi, sed toti mundo.

Sed quando de Francisco Galliæ Rege nobis est sermo, a quo captus fuerit indicare volo. Joannes Genesius Sepulveda elegans rerum Caroli Cæsaris enarrator, *Lib. v. n.* 34. scripsit: *Multi etiam in fuga capti, et in his Rex ipse Franciscus, quem amisso exercitu, cum paucissimis equitibus fugientem, Jacobus Avila, et Joannes Urbieta, Hispani equites, paulisper insectati sunt, donec ad ponticulum quendam nonnihil hærentem Avila consecutus, equum Regium gladio per locum, neci opportunum, adacto, confodit, quo cadente, illi ad pedes desiliunt, et Franciscum, quem adhuc Regem esse nesciebant, ex ejus confessione cognitum, ex ephippio, ne cadens læderetur, exceperunt, cui Jacobus Avila gladium, Joannes torquem cum aurei velleris insigni, in testimonium capti ab ipsis Regis, ademerunt; mox tribus aliis equitibus invectis, et ab his, ut in societatem prædæ, captique Regis admitterentur, postulantibus, Carolus Lanojus superveniens controversiam diremit, eosque se, prout quisque meritus esset, donaturum pollicitus, Regem abduxit.*

Sed major fides adhibenda est ipsi Carolo Cæsari, qui in Privilegio concesso Joanni Aldanæ, fortissimo militi, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sic ait de Francisco Rege: *Cum Ticinum oppugnare tentaret, et in Suburbio jam diu castrametatus esset, tunc nostri, in hostes viriliter irruentes, et præter eorum votum, rupto violenter muro Parchi, qui non procul a Papia abest, ita pugnarunt, quod nescimus, quo fato suo, Rex ipse in manus nostrorum pervenit, reliquis tam Ducibus, quam Militibus, aut mortuis, aut deditis, aut*

dis-

dissipatis; in quo conflictu Tu Majoris Coronelli officium agebas omnium Italorum, ad stipendia nostra militantium, quibus comitibus, et te audaciter irrumpente, dicta pars muri cecidit, et primus, in deterrimo impetu ingressum fecisti, ubi tandem omnes egredientes, primam aciem cataphractorum, in qua ipse Rex aderat, prælium perquam horribile iniistis, et Rege dimicante ad manus tuas, et aliorum militum, ipse succubuit; tuque illius ensem, et pugionem perquam eximium, qualis Regem decuerat, et Torquem insignem, cum Ordine Velleris aurei, ex ipso Rege recepisti, quem, qui Tuysonus vulgo dicitur, cum postea Leonorem sororem eidem desponderamus, Regi ipsi restituendum curavimus.

Joannes ab Aldana inter alios filios habuit Marcum Antonium, cui Philippus Rex, hujus nominis secundus, Privilegium concessit anno 1589. die 1. Julii, in quo hæc narravit: *Quamobrem, cum non ita pridem, Tu dilecte noster Marce Antoni (Regiis Comitiis Montisoni peractis)* (1585.) *Dertosam nobis obvius processeris, ibique ensem perquam eximium, non modo multo auro gravem, sed insigni opere conspiciendum, ac plane Regium, nobis ultro obtuleris: quem quidem ensem quondam dilectus noster Joannes Aldana, pater tuus, in magno illo et memorabili conflictu, qui apud Ticinum habitus est, Caroli Cæsaris, patris nostri observandissimi, auspiciis, a Francisco Valesio, Gallorum Rege potentissimo, abstulerat quo tempore Rex ipse victus ad manus patris tui succubuit, deditionemque fecit; quo quidem in prælio Majoris Coronelli (ut vocant) officium gereret omnium Italorum ad Cæsarea stipendia militantium. Nec tu, hoc tam ingenti et præclaro munere, nobisque gratissimo, inservisse contentus, cum inde Valentiam proficisceremur, prosecutus es Nos, atque ibidem etiam obtulisti pugionem insignem ab eodem Gallorum Rege, pari fortunâ, una cum ense receptum. Quæ quidem per Don Didacum a Corduba equilis nostri Præfectum, in nostro Armamento reponenda adservandaque jussimus, magnum Paternæ gloriæ, et memorabile incrementum:* et postea Rex ei assignat ducentas libras Valentinas singulis annis persolvendas in Bajulia Generali Regni Valentiæ, ubi Aldana Gens patrimonium et domicilium habuit: neque, post testimonia adeo luculenta et præclara, uti prædicta, Caroli, et Philippi Hispaniarum Regum, pigebit legere Martinum Vicianam, in-

in secunda parte Chronici Regni Valentini, in qua de Familiis nobilibus egit, in gente Aldana armis et litteris inclyta: videndus etiam Dormerius in Annalibus Aragonensibus pag. 216. Neque iste Marcus Antonius ab Aldana studiorum laude caruit, siquidem Andreas Rei ab Artieda, Poëta non incelebris, in Discursu *De Insignibus Gentilitiis, et Cassidibus*, qui exstat inter Scriptores solutâ et astrictâ oratione Academicorum Nocturnorum Valentinorum in Bibliotheca Majansiana existentes, in quo discursu Artieda Marcum Antonium Aldanam laudat, tamquam equitem judicio et litteris florentem inter Nobiles Valentinos. Joannem Aldanam patrem *Dertosanum* appellavit Christophorus Despuig, Scriptor illius ævi, *in Colloquiis de rebus Dertosanis*, patrio sermone scriptis, et nondum editis, quæ legi et excerpsi cum voluptate, et fructu: Aldanæ cum essent limitanei, et Valentiæ, et Dertosæ morabantur: nobis debent esse relati in albo Scriptorum Valentinorum apud Vincentium Ximenum.

Joannes Ludovicus Vives sic in Civitatem Brugensium afficiebatur, ut in Valentiam suam in qua natus, et educatus fuerat, cujus rei præclarum et egregium testimonium reliquit, nuncupans Consulibus, et Senatui Brugensi *De Subventione Pauperum, sive De Humanis necessitatibus Libros duos*: prior, de Subventione privata, scilicet, quid unumquemque facere oporteat; alter, de Subventione publica, quid Civitatem deceat; diligere Vivem Brugas tam ardenter mirum non est; nam in illis erant tot, et tam divites Hispani Mercatores illo ævo, ut Ignatius a Lojola, quo tempore vitam litterariam Lutetiæ Parisiorum agebat, quotannis Brugas adibat, ut ab eis acciperet pecunias, quibus posset tolerare sævam paupertatem Parisiensem, ut Ribadeneira ait *Lib. 2. cap. 1. ejus Vitæ*. In opere magno de Actis Sanctorum die 31. Julii, in commentario prævio Vitæ S. Ignatii Loyolæ §. 16. sic legitur: *Franciscus Sacchinus, in præfatione apologetica parti primæ Historiæ Societatis nostræ præfixa, agens de excursionibus tempore Lutetianæ commorationis, instruit nos de aliquo facto singulari, quod S. Ignatio Brugis contigisse scribit his verbis: Brugas cum aliquando venisset, vocatus est ad convivium a Ludovico Vive, homine claræ eruditionis, ac famæ; postque convivium Vives de eo sodalibus sanctum hominem esse dixit, et religio-*

sum quempiam ordinem haud dubie conditurum: quod aliqui mox auditorum ipsi Ignatio retulerunt, et ab Ignatio certâ causâ proditum, Joannes Polancus scriptum reliquit.

Joannes Moyardus Monachus Cartusiensis tanti fecit hujus tractatus *De Subventione Pauperum*, ut ei adjunxerit Adnotatiunculas eruditas in calce operis ad enodandos difficiliores locos: et in lucem emissum volumen fuit in 8. Brugis typis Huberti de Croock, anno 1526. mense Septembri, quæ est editio princeps; et licet in fronte horum duorum librorum legatur: *Ab auctore ipso recogniti*: his verbis innuitur, notata fuisse errata typographica ex libro autographo quem Vives manu sua emaculatum miserat Moyardo pietatis et eruditionis amanti, et Vivi noto.

Ludovicus Lib. 1. cap. 9. hujus Tractatus *De Subventione Pauperum* ait: *Non potest iniri numerus eorum, qui tertio ab hinc anno in Bætica extincti sint fame*: quod facile concipi potest cum in viis publicis Hispalensis urbis, tunc temporis opulentissimæ, plusquam quingenti perierint fame, anno 1522. et sequenti, uti scribit Didacus Ortizius ab Stunnica, rerum Hispalensium historicus valde diligens: quod malum ad vivum pinxit Ludovicus in *Concione de Sudore nostro et Christi*, scribens: *Accesserunt fames, ut, quod nihil est auditu horribilius, homines in publico præ inedia sternerentur mortui, et bucceam panis implorantes spiritum exhalarent: nec erat qui dimidio pane vitam hominis vel posset redimere, vel vellet.* Huic stragi pestis accrevit in Aragonia, ut ait Franciscus Didacus a Sayas, cap. 90. anno sequenti 1523. Quæ miseriæ etiam in Regno Valentiæ graves fuere, id testante Michaële Garcia, Tabellione Valentino, qui *De Seditione titulo Fraternitatis facta* narrationem brevem, et veridicam scripsit sermone patrio, quæ in nostra Bibliotheca servatur.

Hi libri Viviani *De Subventione Pauperum* recusi fuerunt Parisiis apud Colinæum 1530. et 1532. et Lugduni cum fratris Johannis Moyardi Cartusii Annotationibus, ex Officina Melchioris et Gasparis Threchsel fratrum 1532. 8. Gallice prodierunt opera Jacobi Girardi Jurisconsulti, ex Tinurtio Castio; in Burgundia, hoc titulo: *L'aumonerie de Jean Luis Vives.* Lugduni 1583. ex officina Joannis Stratii in 8. Hoc subsidium deerat Hispaniensi ser-

sermoni, quod oportune præbitum est versione hujus operis hoc titulo: *Tratado del Socorro de los Pobres compuesto en Latin por el Dotor Juan Luis Vives, traducido por el Dotor Juan de Gonzalo, Nieto, Ivarra. En Valencia en la Imprenta de Benito Monfort, Impresor del Exc.mo Señor Arzobispo, año de* 1781. 4. mundissimis typis: versio est elegans, stilus similis illi qui videtur in libris antiquis judicio doctorum probatis: præmissa est Præfatio sapiens, succi plena, et lectoribus grata ob sermonis nitorem, præbens ideam exactam scriptionis Vivianæ, cui in hoc argumento nihil novum additum est ab Scriptoribus, neque a Magistratibus peractum.

Anno M. D. XXV. die 20. Septembris ita Ludovicus Vives scripsit Desiderio Erasmo e Brugis: *Britannos scito fecisse pacem cum Gallis: puto esse tempus hoc, si quod aliud, commodissimum tibi veteribus amicis revisendis: ego illuc non cogito ante proximum annum.* Et die 14. Februarii anni 1526. *Ante quartum diem, Christo adjuvante, dabo me iter Britannicum: illinc scribam ad te longius, nunc enim nihil est inscriptione dignum*; sed Vives parum commoratus fuit apud Britannos, nam eodem anno 1526. die 6. Augusti jam e Brugis ita scripsit Erasmo: *Ego ad te litteras dedi ex Britannia bene longas multis de rebus, more meo.*

Joannes Ludbvicus Vives, cui mala publica cordi erant, mense Octobris anni 1526. scripsit Brugis Dialogum *De Europæ Dissidiis, et Bello Turcico*, in quo apparet quantum Vives valeret hoc scribendi genere, nam leporem cum judicio, et prudentia conjunxit: et ut Vivis mentem melius assequatur, et scopum quo tendebat, scire debet lector hoc anno Franciscum I. Galliæ Regem a Carolo V. dimissum e custodia, qui et uxorem ei dedit Eleonorem, sororem suam; ille vero, ut in Gallias venit, cum Papa, et Venetis fœdus contra Cæsarem init: hoc opus editum fuit Antuerpiæ anno 1526. et Basileæ 1538. 4. Huic operi adnecti debetur aliud *De conditione Vitæ Christianorum sub Turca*, editum Antuerpiæ, apud Hubertum de Croock 1526. et apud Michaëlem Hillenium 1529. 8. et Lugduni 1532.

Anno M. D. XXVII. (non 1517. ut legitur apud Episcopium tom. 2. pag. 972.) die 18. Martii gratulatus fuit Vives Erasmo

 prop-

propterea quod in Hispania ejus *Enchiridion* cœperat loqui linguâ vernaculâ, et quidem secundo populo: interpres hujus operis fuit Alphonsus Fernandez de Madrid Archidiaconus Alcorensis in Ecclesia Palentina, qui, ut ait Hieronymus Gudiel, in *Compendio Historiarum Gironum*, fol. 10. fuit *Uno de los mui señalados varones en historias, i antiguedades.* Doctissimus auctor *Dialogi Linguarum* editi cum *Originibus Linguæ Hispanæ* Majansianis, scripsit sub persona Martii: *Decid, ¿qual es el otro romanzado de Latin, que os contenta? Valdes. El Enquiridion de Erasmo, que romanzò el Arcediano del Alcor, que a mi parecer puede competir con el Latino, quanto al estilo. Marcio. Si el estilo Castellano no es mejor para el Castellano, que el Latino para el Latino, poco hizo el que romanzò. Valdes. No es posible que vosotros concedais, que uno que no sea Italiano, tenga buen estilo en Latin.*

Alia etiam Erasmi opera Hispanitate donata fuisse apparet ex Indice, et Catalogo librorum prohibitorum Cardinalis Quirogæ, in quo, fol. 66. edicitur: *Erasmo, todas sus obras en Romance*: et jam antea omnia Desiderii opera Hispanis interdicta esse deprehenditur ex ipso Vive, historiolam hanc narrante in fragmento epistolæ Cornelii Duplicii Scepperi descripto a Vive, ut Erasmus pernosceret quo in statu essent negotia ejus in aula Cæsarea, in qua Scepperus versabatur anno 1527. multa cum laude, et auctoritate: *Hîc*, (Vallisoleti) *magno animo Monachi bellum adversus Erasmum suscepere; id moliuntur, in id invigilant ut omnium Erasmi librorum lectio Hispanis interdicatur.*

Joannes Vergara, doctissimus Canonicus Toletanus, qui Vivem de facie noverat, in hunc modum ei scripsit pridie Idus April. anno 1527. *In Erasmum conspirarunt nuper Monachi nostri: non omnes quidem, sed plerique: quo enim quisque istorum Ordo abest a mendicitate, hoc minus illi est iniquus: res ad Magistratus relata est, atque hactenus quidem, summo cum Erasmi favore procedit: princeps meus* (Enneco a Mendoza, Infantatus Princeps, et Marchio Sanctæ Julianæ) *hominem sibi penitus tuendum suscepit: favet illi etiam Cæsar apertissime* (adeo ut super hac re litteras ipsi Erasmo dederit benevolentiæ plenas): *favent Magistratus ipsi: favent denique boni omnes: adversarii quoniam vident nihil sibi, hac contentione, nisi commu-*

ne

ne odium quæri, paullatim jam frigere incipiunt, libenterque, quantum existimo, quod cum bona omnium pace fieri liceret, factum mutarent. Quid acciderit ipsi Vergaræ hæc scribenti, nec opinanti, alibi enarrabit Ludovicus: inter fautores eruditionis Erasmi in Hispania primarium locum habebat Alfonsus a Fonseca, Archiepiscopus Toletanus, qui monitis suis Desiderium hortabatur ad tranquillitatem: Erasmus in gratiam tanti Mœcenatis dicavit ei editionem operum B. Augustini amplissima Dedicatione, seu potius Præfatione collectioni præmissa, in eaque dixit: *Quintus* (tomus editionis operum B. Augustini) *habet Civitatem Dei, quod hoc opus, simul, et docens, et confutans errores maxime Paganorum, utrinque mixtum esset. In hac portione, nihil est nostræ industriæ, quod hanc provinciam, hortatu meo, sibi proprie sumsisset vir apprime doctus Joannes Ludovicus Vives.*

Sed non Hispanis tantum, sed omnibus interdicta fuere Erasmi Opera in Indice Romano jussu Pauli IV. confecto, in quo auctor, et omnia ejus opera damnabantur; sed Patres Concilii Tridentini, pro sua sapientia, et æquitate, in conficiendo novo Indice delecti, mitius cum illo agentes eam censuram temperarunt. Displicuit Laurentio Palmyreno quod a Censoribus Romanis profectum fuerat; et in admonitione quadam in opusculo *De vera, et facili imitatione Ciceronis*, edito anno 1560. in hunc modum scripsit: *Deus concedat longam vitam Inquisitori maximo* (Ferdinando Valdesio) *qui in hoc*, (opere Xysti Betulei in aliquot libros Ciceronis) *et aliis libris, liberalior fuit erga studiosos, quam Papa*, (Paulus, scilicet IV. cujus auspiciis primus Index Romanus confectus fuit, ad exemplum Indicis Lovaniensis) *nam si Erasmi Adagia nobis eriperentur, uti Papa volebat in suo Catalogo, valde nobis sudandum esset*: abs dubio hîc loquitur Palmyrenus de Indice Expurgatorio Vallisoletano, quem Hispani ignorant existere, sed Galli Scriptores ad manum habent, laudantque. De opere Adagiorum Erasmi dixit Vives *Lib. 6. Commentarior. cap. 7. Civitatis Dei*: *Quod, ut reliqua alia, ita et hoc accuratissime explicat Erasmus noster in Adagiis suis, sive, ut Budæus vocat, in salino Mercurii, et logotheca Minervæ.*

Periculosæ plenum opus aleæ tractabant qui partes Erasmi tueban-

bantur, præsertim inter Hispanos, quibus Vives ex animo optabat ut Desiderii libri arriderent, ideoque Brugis die 16. Junii an. 1524. illi scripsit: *Salutaris a Claymondo: et fere illâ Academiâ nihil audivi multis diebus gratius quam opera tua, nostris quoque Hispanis esse cordi: spero fore, ut illis, et similibus assuefacti mansuescant, exuantque barbaricas aliquot de vitâ opiniones, quibus acuta quidem ingenia, sed ignoratione humanitatis sunt imbuta, quas alii aliis velut per manus tradunt.*

Non potuit non esse gratissimus Erasmo conatus doctissimi Alphonsi Fernandezii Madridii, Archidiaconi Alcorensis in Ecclesia Palentina, in ejus opere interpretando, et ideo ei fuit non mediocriter carus, et ab eo aliquibus litteris doctrinæ ac judicii dotibus laudatur, et ab historicis Hispaniensibus ejus scripta magno in pretio habentur, etsi nondum edita, fortasse quia quæ ediderat feralia experta fuerant.

Joannes Ludovicus Vives, qui Christiani Philosophi officia adimplevit, æternum animi sui exemplum reliquit edito libro *De Officio Mariti, Brugis apud Robertum Crocum* 1528. 8. Illum nuncupavit Joanni a Borgia, Gandiæ Duci in tractu amœnissimo Regni Valentiæ; toparchæ illis temporibus non in urbe regia, neque in aula, vitam ducebant, sed omne studium impendebant in patrimonio augendo, et exornando; cumque litteræ eruditæ eo tempore reflorescerent, Ludum Litterarium Gandiæ instituit, in quo litteræ elegantes traderentur; sed Studium Gandiense a Joanne Duce erectum, cujus Vives meminit anno 1528. aliud fuit ab Academia Gandiensi condita anno 1547. teste Martino a Viciana, in *secunda parte Chronicæ Regni Valentiæ*, in qua egit de familiis nobilibus, in Borgia.

Andreas Schottus, vir doctissimus, et de Hispania optime meritus, elegantem Elegiam scripsit in laudem Urbis et Regni Valentini, in quo commoratus fuerat, magno cum famæ eruditorum Valentinorum quæstu, adversus Julium Cæsarem Scaligerum acerbe Valentinos increpantem: in qua, inter alia, sic cecinit:

:::: *liquor, en, in arundine dulci,*
Nimirum hic Superûm nectar, et ambrosia est.

Gan-

Gandia terra ferax, o terque, quaterque beata;
Mella fluunt calamis, saccareusque liquor.

Schottus hanc laudem tribuit Gandiæ, et non Olivæ, cui magis debebatur, ob vestem qua indutus erat.

Ad hæc Joannes a Borgia, Gandiæ Dux, maxime colebat eruditos viros Valentinos, uti Joannem Andream Straneum, Joannem Baptistam Agnesium, Honoratum Joannium, Martinum Vicianam, et Joannem Ludovicum Vivem, qui grato erga Borgiam animo nuncupavit ei librum, *De Officio Mariti*: de quo argumento aliquid antea commentatus fuerat linguâ Hispanâ, in gratiam Alvari a Castro, Joannis filii, Civis Burgensis, et postea auctum, et elimatum, sermone Latino exaravit, ut commitaretur libros tres *De Institutione Feminæ Christianæ*, qui cum cito in Hispanam linguam versi fuissent, gratissimisque auribus recepti in aulis Ducum Calabriæ, et Gandiæ, maximum incitamentum fuere Vivi ad novum argumentum suscipiendum.

Proxeneta inter Gandiæ Ducem et Ludovicum Vivem fuit Joannes Andreas Straneus, discipulus Ælii Antonii Nebrissensis in Schola Complutensi, qui in Parisiensi, se totum Musarum studiis dedit, per omnia litterarum genera magno studio peregrinatus; contulit Plinii Historiam Naturalem cum omnibus exemplaribus M. SS. quæ Valentiæ videre potuit, vidit autem plurima, et variantes lectiones annotavit: cujus eruditissimi operis superest unum exemplar in Bibliotheca Collegii Corporis Christi Valentina, et alterum eâdem manu descriptum, in Regia Bibliotheca Madridensi, quod ego manu mea exscripsi: eodem modo contulit et emaculavit Lactantii Firmiani opera, Beati Gregorii Dialogos, et Senecæ opera: numismata antiqua, maximo studio, curis, laboribus, atque sumtibus conquisita, Martini Stranei, fratris germani, heredisque ex testamento instituti, supinâ quâdam socordiâ, ac temeritate funditus interiere; cum enim esset pharmacopola, ratus supellectilem illam prorsus inutilem, nullique usui futuram, ex illis omnibus mortarium, ad suæ officinæ usum, conflandum curavit.

Post editionem principem libri *De Officio Mariti* secuta est

alia

alia Basileensis, ex officina Roberti Winter, anno Domini 1538. mense Martio, multis in locis aucta, atque recognita, una cum rerum et verborum indice. Dum Vives scriberet Institutionem Christianæ Feminæ non arbitrabar futurum ut essent viri principes Hispanienses, qui illum ad commentandum de Marito hortarentur, neque illi de hoc argumenti genere occurrebat in animum exarare; itaque aliqua illis voluminibus admiscuit, quæ non magis ad Feminam, quàm ad Virum videri possunt pertinere, sed adeo præclara, et eximia sunt, ut ea denuo relegere perjocundum sit.

Cum anno M. D. XXIX. in Belgium, cui præerat Margareta Maximiliani Imperatoris filia, invasisset morbus sudarius subitus, et horribilis, Ludovicus Vives existimavit accurrendum esse cœlesti Medico Jesu-Christo, scripsitque *Diurnum Sacrum de Christo sudante*, ad normam quam Ecclesia Catholica servat in Horis nocturnis et diurnis, et in re divina peragenda; quem morem scribendi Joannes Baptista Agnesius, Joannes Miconus, et alii pii viri illius sæculi servarunt: credo Ludovico venisse in mentem religiosam hanc recordationem ob Sacrum, seu mavis Missam, quæ eo tempore habebatur in libro Missali Ecclesiæ Metropolitanæ Valentinæ fol. cc. xxx. *De Sanguineo Sudore Domini*: Vives, ne quid deesset pietati Christianæ, etiam Concionem *de Sudore nostro, et Christi*, adjecit: devota hæc opuscula edita fuere Lugduni apud Melchiorem, et Gasparem Trechsel, fratres 1532. 8.

Licet inter Meditationes, quas Ludovicus Vives scripsit, et suo discipulo Cardinali Crojo nuncupavit, anno 1518. in septem Psalmos quos vocant Pœnitentiæ, legatur tertia in Psalmum XXXVII. tali, tantoque viro digna, nescio quo modo, quave ratione, adjecta fuit etiam alia, inscripta: *De Passione Christi*, quæ incipit: *Quæcumque in hac universitate mundi, &c.* quam, ob stili scabriciem, resque duriusculas, suspicari potest tributam ei fuisse, tamquam exaratam Brugis, anno 1529. Cardinalis Crojus, in cujus gratiam hæc conscripserat, anno 1521. ad plures abierat.

Europæ statum Politicum sic descripsit Vives, tamquam vir cordatus, et testis integer, litteris ad Erasmum datis, Brugis Kal. Octobris anni 1528. *Ita Alecto hæc, vel Ate res hominum infestat,*

ut

ut nihil publicum, nihil privatum, quietum relinquat. Inter Principes bella, inter Litteras dissidia, in Humanitate ipsa rabies, in Religionis unitate diversitas, in Caritate pietatis odium, ac sævicia; utinam dignetur aliquando Christus mitiore suo aspectu tantis malis finem imponere, et turbatis hominum rebus quietem serenitatemque adferre; et tamen, si quos oportebat concordes esse, ii sumus nos qui earum Artium ac Disciplinarum studio tenemur, quæ plurimis sunt invisæ ac oppugnatæ magna auctoritate fretis, ac magna potentia. Hæc postrema verba anchora superiori notanda sunt.

Sed nihil Europæ quieti erat exitiabilius quàm bellum inter duos illos populos, Hispanos, Gallosque, Orbis terrarum victores, qui intensissimis odiis in mutuam perniciem conjuraverant: impares erant Vivis vires huic malo medendo; sed homini Philosopho, et Christiano visum fuit mittere Carolo V. Imperatori, et Regi Hispaniæ quatuor libros scriptos kalendis Julii anni 1529. *De Concordia et Discordia in Humano Genere*, in quibus congessit quæ illi tantis, et tam variis de rebus in mentem pro tempore venerunt de bonis Concordiæ, deque malis Discordiæ: primo volumine disseruit unde, et quemadmodum nata sit inter Homines Concordia; quomodo Discordia tamquam lollium in bona segete succreverit; hinc quanta rabie homines inter se Discordiam exerceant; tum ex his capitibus, et quasi fontibus quæ bona dimanent, quæ mala; postremo, quæ sit via, quâ veram inter se homines Concordiam, ac Pacem conservent: nec tantum Carolo Imperatori, Regique hæc scripsit, sed omnibus, et privatis, et Principibus, ut communibus rebus, adeo fractis, perditisque, mature subvenirent, antequam in id exitium ruerent unde postea non possent eas, etiamsi maxime vellent, et conarentur, eximere ruinâ: nemo potest melius mentem Vivis aperire in hoc opere exarando, quam ipse fecit scribens Guilielmo Budæo, his verbis: *Accipies a Valdaura meo librum De Concordia scriptum a me proxima æstate, dum me horum temporum miseret; et quando remedium tot malis adferre nequeo propter imbecillitatem virium, chartis saltem animum meum testor; in quo uno me consolor, et utcumque acquiesco.* Ut nihil aliud præstiterit, officio sane satisfecit, quod præstare æquum erat multa lectione virum, atque ex ea, non ignarum rerum quæ

ab omni memoria in orbe contigerunt; editum fuit hoc opus Antuerpiæ 1529. in 8. apud Michaëlem Hillenium, et Lugduni 1532. in 8. simulque *De Pacificatione, Liber unus*, exaratus etiam eodem anno 1529. adjectusque post quatuor libros *De Concordia Humani Generis*, inscriptus Alfonso Manrico, Archiepiscopo Hispalensi, et doctorum virorum fautori: primum fuit Episcopus Pacensis, et Mahumetanos ibi degentes in gregem Christianam recepit, et isti proselyti in memoriam tanti beneficii (malo exemplo) cognomen Manrici sibi asciverunt: haud dubie præclaro isto facinore, multum auctus fuit numerus Manricorum, qui jam antea tot erant, ut de eis in proverbio esset: *Muchos, i pobres, i mal avenidos, como los Manriques*: magnis negotiis interfuit, et inter alia, celebre fuit illud quo munere Inquisitoris Generalis fungens, anno 1527. congregavit Vallisoleti triginta duos celebres Theologos, ut judicium ferrent de doctrina Desiderii Erasmi Roterodami, cujus operibus multi opitulabantur, sed erant plures numero qui Erasmum oppugnabant: cœtus ille Theologorum duobus mensibus a die 27. Junii habitus fuit in ædibus, et coram Alphonso, qui, cum videret perennitatem disputationis, dextere cœtum dissolvit, et, ne de illo negotio ageretur, jussit: certum est rem difficilem tractasse, et ad Vivis palatum, siquidem Manricum coluit hoc negotio confecto: et in epistola ad Erasmum scripta Brugis, festo Margaretæ an. 1527. expressit nomina Theologorum Hispanorum pro scriptis Erasmi pugnantium, quorum notitia fortasse non ingrata foret lectoribus, sed stilus ad alia ducendus est. Nobilissimus hic vir non improlis obiit, nam filium habuit Rudericum, de quo memoriæ proditum est, litteris incubuisse Parisiis; et hunc credo esse Manricum partes discipuli gerentem in Dialogo *Scriptio, Exercitationis Linguæ Latinæ*. Vives libro *De Conscribendis Epistolis*, hujus Ruderici meminit: *Salvebit a me Rodericus Manricus meus*. Grata etiam esse debet Alfonsi recordatio, quia fratrem habuit Georgium Manricum Poëtam venustissimum.

Sed operæpretium est audire jam ipsum Ludovicum, ut lectoribus innotescat quomodo Vives se gesserit in celeberrimo illo et lacrimabili dissidio inter Henricum VIII. et Catherinam Aragoniam ejus uxorem; quo in negotio contigit quod sæpe videmus

mus

mus evenire, ut homines prudenter, et juste agentes ab omnibus impetantur: paucis ipse negotium sic narrat Joanni Vergaræ: *In rebus meis Britannicis magna mutatio: de hoc Regis, et Reginæ dissidio audivisti, etenim est fabula toto notissima cælo, ut ille dicit* (1). *Ego Reginæ me adjunxi, quæ mihi meliore caussa visa est niti, eique, quam potui opem tuli, et dicendo et scribendo.* (Quod adeo aperte fecit, ut eidem Henrico, de hoc negotio scripserit epistolam sapientem, e Brugis 13. Januarii 1531.) *Ea res animum Regis offendit, ita ut me liberâ custodiâ juberet detineri sex hebdomades* (male Guilielmus Cave scripsit sex menses) *unde sum dimissus ea conditione ne Regiam ingrederer: itaque liber jam, consultissimum judicavi domum redire,* (ergo Brugis adhuc habebat Vives domum, fortasse uxoriam, in qua mercimonium exercebatur) *idque Regina per codicillos suasit clam missos. Post menses aliquot missus est Campegius Cardinalis in Britanniam judex caussæ* (scilicet, anno 1528.) *Rex mira festinatione misit Reginam quærere sibi patronos, et advocatos ad dicendam caussam apud eum ipsum Campegium, et Cardinalem Angliæ.* (Thomam Wolsæum.) *Accivit me Regina ut sibi adessem: negavi expedire ei a quoquam in illo foro defendi: præstare, ut indictâ caussâ condemnaretur, quàm ut aliqua specie defensionis: regem tantummodo prætextum quærere ad suum populum, ne Regina videatur esse circumventa: reliqua eum non magnopere curare. Irata est mihi etiam Regina, quod non statim voluntati potius suæ paruerim, quàm rationi meæ, sed mihi mea ratio instar est omnium Principum; ergo et Rex tamquam inimico, et Regina tamquam immorigero, et refractario, uterque annuum mihi salarium ademit; itaque his tribus annis ego ipse admiror unde me toleraverim: ut facile intelligam, quanto majus sit quod Deus tacite suppeditat, quàm quod ab hominibus cum magno strepitu exprimitur.* Cum his consonant quæ Vives scripsit eidem Henrico VIII. Brugis 13. Januarii 1531. in hunc modum: *Inclyte Rex, aluit annos aliquot benignitas tua otium meorum studiorum; jam hic tertius est annus, ex quo nihil abs te accipio* (ab anno scilicet 1528.); *ægre ferre me non convenit, si non datur quod nec debetur; sed gratias agere pro beneficio tam diuturno; ego vero, et ago, et habeo semper, et Te vehementer oro ut me non utaris aliter, quàm eo qui Tibi felicia optat omnia, et prospera: nec a Regina jam pridem quicquam accipio, sed et Te, et illam videre cupio con-*

(1) Ovid. *Artis Amatoriæ lib. 2. vers. 560.*

cordissimè, ac lætissimè quod restat ex hac ævi brevitate transigentes; *et quando aliud non habeo, quo animum hunc erga vos meum testificer, decrevi ad Te paucis de eo scribere in quo magna pars sita est salutis Christiani nominis. Sciscitaris Academiarum sententiam de loco illo Levitici: Frater non ducet Uxorem Fratris: quid respondeant eruditi nescio*; *quid responderi oporteat scio*; *de quo libellum, cum in Britannia essem, rogatu Cardinalis Eboracensis* (Thomæ Wolsæi) *composui, quem quia incertus sum an legeris, visum est in præsentia ad Majestatem tuam mittere.* Timebat ergo Vives artes politicas hujus Præsulis, qui apud Henricum in magna erat gratia: credo huc pertinere mentionem operis quod Vivi tribuitur: *Philalethæ Hyperborei in Anti-catoptrum suum, quod propediem in lucem dabit, parasceve, &c.* 1533. hæc scriptio est adversus divortium Henrici VIII. ignoratur an *Anti-catoptrum* quod promittit excussum sit.

Aubertus Miræus in Scriptoribus Sæculi XVI. ita de hoc negotio scripsit: *In Anglia Mariam Henrici VIII. filiam, quæ postea Regnum tenuit, Latine docuit, et in ejus gratiam libellos De Ratione Studii concinnavit.* (Primum scilicet, nam alterum scripsit in obsequium Guilielmi Montioji ad institutionem Caroli, Guilielmi filii). *Cumque Henricus VIII. Catharinam Uxorem repudiare vellet, rem illam Vives et voce, et scripto improbavit, Regisque animum graviter offendit*; *qui hominem adeo liberum mensibus sex* (hebdomadibus sex dicere debuit) *in custodia libera detineri jussit*: *ita dimissus* (a carcere scilicet, ea conditione, ne Regiam ingrederetur, et compos libertatis, consultissimum judicavit in Belgium redire) *ne malæ caussæ subscripsisse videretur, jubente Regina in Belgium secessit.*

Joannes Ludovicus Vives, qui morem gerere noluit Reginæ ut caussam suam patrocinaretur coram Judicibus corruptis, nec timuit, nec erubuit justitiam propugnare apud Regem animi impotentem, qui illos, qui constanter ejus voluntati refragabantur, de medio tollebat, quorum principes fuerunt Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, et Thomas Morus, viri doctrina et pietate, etiam ante hoc testimonium clarissimi; itaque Vives annumerandus est inter Scriptores Hispanos, qui matrimonii inter Henricum VIII. Angliæ Regem, et Catharinam Aragoniam, olim contracti, caussam propugnarunt, et silentio eum prætermisit Nicolaus Sanderus,

Lib.

Lib. I. de Schismate Anglicano: apud Hispanos vero (scripserunt) *Franciscus Roxas, Alphonsus Viruesius, Alphonsus de Castro, et Sepulveda.*

Vincentius Ximenius, cui Scriptores Valentini plurimum splendoris debent, assecutus non fuit duos fuisse Alphonsos Viruesios; sed Vives noster præbebit nobis facem ad eos internoscendos. Alphonsus Viruesius, e Castella veteri patria Ulmetanus, Monachus Benedictinus, Doctor Theologus, Carolo V. Imperatori a concionibus, et Ecclesiastes, et Canariensis Episcopus, carus denique Vivi, et Erasmo, ut horum Epistolæ ostendunt, de quo Ludovicus in Epistola ad Desiderium describens cœtum illum Vallisoletanum, anni 1527. de scriptis Erasmi narrat ei: *Viruesius inclusit fasciculo meo hasce omnes litteras*, (Cornelii Duplicii Scepperi, et Joannis Vergaræ) *quas ad te transmittam, ut intelligas non eum esse, qui tibi in suspicionem venire debeat, tamquam non satis bona fide tibi faveat, aut caussam tuam prævaricabundus susceperit*, (Viruesius enim etsi patronus caussæ Erasmi, non omnia hujus viri ei arridebant, et cum eo septem Collationes habuit, in quibus eum admonuit non minus rectæ doctrinæ) *de quo narrant mihi omnes, qui ex Hispania veniunt, atrocissimas simultates susceptas illi esse cum Fratribus tuâ caussâ: nec ullum simplicius, aut sincerius, doctrinamque tuam vel amplecti, vel tueri, et est alioqui Concionator, ut ajunt, primi nominis, mira gravitate morum, et vitâ inculpatissimâ, homo dignissimus, quem propius cognoscere, et amare velis, et referre, sicut amicus noster solet dicere, in calendarium amicorum tuorum, illorum, inquam, selectissimorum, ac præcipuæ notæ, et quidem loco honestissimo; adducitur ad venerationem tui, et ad te defendendum, ornandumque quantum pro virili potest, non alia utilitate, aut ratione, quam quòd doctrinam tuam censet derivatam ex vero, ac puro fonte Christianæ pietatis: noli, quæso te, spernere tales patronos optimæ illius caussæ, quam suscepisti::::* *Simul misit mihi Alvarus Hispanam Epistolam Viruesii ad Minoritam quendam magnæ in Hispania auctoritatis, ac nominis; ea Epistola circumfertur per Hispaniam et legitur cum maxima omnium approbatione; est elegantissime scripta nostrâ linguâ; eam ego in latinam converti, tantum ut intelligi abs te possit.* Fortasse Minorita iste fuit unus ex numero eorum, qui caussam dederunt Erasmo ut scribe-

beret *Apologiam ad Monachos quosdam Hispaniæ.*

Paullo antea scripserat Vives Erasmo de Congressu Theologico Vallisoletano: *Summa tamen hæc erat: delatum esse nomen tuum a Mendicantibus ad summum Quæstorem*, (Inquisitorem Generalem) *Archiepiscopum Hispalensem*; (Alphonsum Manricum) *itum esse in consilium, et disquisitionem in Quadragesima; ibi nihil esse aliud actum quam audita contra te Fratrum crimina, pro te vero Orationes duorum Benedictinorum*, (quorum unum fuisse Alphonsum Viruesium pro certo habeo) *et Fratris Dionysii Augustiniani*, (hic erat Dionysius Vazquez Toletanus, Eremita Augustinianus, Caroli V. Ecclesiastes) *et mediam quandam Castelli cujusdam Minoritæ*, scilicet Nicolai, Caroli Cæsaris Concionatoris, celeberrimi. Vives etiam libro *De Conscribendis Epistolis* scripsit hoc exemplum: *Quum hoc litterularum ad te exararem, aderat, vel intervenit, vel nunciavit mihi Alphonsus Viruesius, uti suo nomine salutem tibi impertirem.* Et hæc dicta sufficiant de Alphonso Ruizio a Viruesio, quemadmodum eum nuncupavit Didacus Ortizius ab Stunnica in *Annalibus Hispalensibus*, in Catalogo Episcoporum Canariensium Insularum. Joannis Maldonati superest volumen epistolarum nondum editum ad viros suæ ætatis celeberrimos, ut Nebrissensem, Erasmum, Vivem, et Alfonsum Viruesium: harum litterarum evulgationem expectant philomusi Hispanienses per Franciscum Cerdanum, cui Opuscula selecta, et rariora clarorum Hispanorum debent novum nitorem, ornatumque magno reipublicæ litterariæ bono.

Transeamus ad alium Alphonsum Viruesium, Valentinum, Doctorem Medicum, discipulum Joannis Angeli, bonarum litterarum professoris, ab anno 1527. usque ad annum 1532. (quo tempore Viruesius Theologus ad magnum gradum famæ pervenerat) patrem denique Christophori Viruesii, et doctorum Hieronymi, et Francisci poëtarum illustrium, nec non Hieronymæ Augustinæ Benedictæ, quæ etiam latices Aonios bibit; Hieronymus notior fuit quam Franciscus, et ad illum credo pertinere quæ Gaspar Gravius a Montemajore dixit in dicacissima satyra Professorum Valentinorum:

Fonch estampada  *En l' obrador*
La paperada *Del cast Doctor*

Vi-

Virues florit,		*De Castellà,*
Qui te sperit		*Abon està*
De mal diyent,		*Tot son saber,*
Ab son corrent		*E gran plaher.*

Petrus Augustinus Morla in Epistola nuncupatoria præfixa *Emporio Juris* laudavit Alphonsum Viruesium, ornantem Centuriam Amati Lusitani, *De Vulneribus capitis*, nec non etiam *Flores* Guidonis de Cauliaco, cujus opera chirurgica notis illustravit Joannes Falconus, Aragonensis, Sarignæneus, Professor in Academia Monspessula, et in vulgarem sermonem transtulit Joannes Laurentius Carnicer, et dicavit Rectoribus Nosocomii Cæsaraugustani, ediditque Cæsaraugustæ anno 1555. in fol. Vincentius Marinerius Elegiâ in celebres Poëtas Valentinos cecinit:

Hîc Phœbi fulget Viruesius inclytus arce,
Quem cultâ versus luce Tibullus amat:
Utroque affulsit divinus Apolline summo,
Splenduit et Medicus, versibus et nituit.

Remotus Ludovicus Vives ab animis Henrici, et Catherinæ, erat in maxima egestate, animum tamen non relaxabat a scribendo opere immortali *De Corruptis Artibus*, *De Tradendis Disciplinis*, et *De Artibus*, quod, nomen Vivianum, inter eruditos, æternum fecit: in tres partes illud divisit, ita ut De Corruptis Artibus septem Libros scripserit; Primus scilicet, De Corruptis Artibus in universum; Secundus, De Corrupta Grammatica; Tertius, De Corrupta Dialectica; Quartus, De Corrupta Rhetorica; Quintus, De Corrupta Philosophia Naturæ; Sextus, De Corrupta Philosophia Morum; Septimus denique, De Corrupto Jure Civili.

Secunda Pars hujus operis continet libros quinque *De Tradendis Disciplinis*, sive *De Doctrina Christiana*; Primus liber, De Institutione Christiana; Secundus, dicit quæ, quomodo, quatenus, a quibus, quo loco sint tradenda singula; Tertius, De Sermone; Quartus, et Quintus, sunt varii argumenti; et huic annectitur aureus libellus *De Vita et Moribus Eruditi.*

Denique Tertia Pars *De Artibus* continet libros octo, quorum prio-

priores tres sunt *De Prima Philosophia*, *sive De intimo Naturæ Opificio*, qui sunt doctissimi, et eruditissimi; *De Explanatione cujusque Essentiæ* liber unus, Dialecticis valde utilis; *De Censura Veri, et Falsi* libri duo; *De Instrumento Probabilitatis* liber unus; *De Disputatione* liber unus, scriptus Brugis, anno 1531. cum jam vale dixisset Aulæ Britannicæ, totum opus nuncupavit Joanni Tertio, Lusitaniæ Regi, Litterarum et Litteratorum fautori eximio.

Quam grato animo acceperit Rex oblatum sibi munus litterarium, videmus in Epistola Vivis ad Damianum Goesium scripta Brugis 17. Junii anni 1533. ubi sic ait: „ Quod te scripturum ex patria recipis, rem utique feceris mihi multo gratissimam: iter tibi prosperum precor, fac quæso ut per occasionem Regi tuo, atque adeo beneficio illius in me meo quoque, salutem dicas meis verbis reverentissime, atque officiosissime; et gratias pro me agas de amplissimo congiario quo me superiore anno (1532) prosecutus est; quod eo rerum mearum articulo contigit, ut non potuerit non et maximum, et multo jucundissimum videri. „ Optime assequitur sensus horum verborum si conferatur cum his quæ Vives scripsit Joanni Vergaræ anno 1531. quæ sic se habent: „ Ergo et Rex (*Henricus*) tamquam inimico, et Regina (*Catherina*) tamquam immorigero, et refractario, uterque annuum mihi salarium ademit; itaque his fere tribus annis ego ipse admiror unde mihi toleraverim, ut facile intelligam, quanto majus sit quod Deus tacite suppeditat, quam quod ab hominibus cum magno strepitu exprimitur. „ Damianus Goesius, quo proxeneta usus fuit Vives in hoc negotio conficiendo, vir erat illa tempestate celeberrimus, ob utiles peregrinationes, obeundo, et scribendo, et commercium litterarium cum viris eruditione præstantibus, quorum ingenia auctoritate fovebat: in ejus effigiem Benedictus Arias Montanus scripsit hunc titulum:

Gentis Thucydides enarrat gesta Pelasgæ,
Romanâ claret Livius Historiâ,
Hic, alia ut taceam, serâ data scripta senectâ
Æthiopum accepit nomen ab Historia.

Edi-

Editum fuit hoc opus æternum victurum Antuerpiæ, apud Michaelem Hillenium 1531. cujus editionis meminit idem Ludovicus epistolâ ad Honoratum Joannium, cum ait: *Disciplinæ meæ cœptæ sunt Antuerpiæ excudi.* Coloniæ apud Gymnicum 1532. et Lugduni, apud Joannem Frellonium 1551. 8. quam editionem, manu Hieronymi Wolfii, et Davidis Hœschelii in margine notatam, habuit Jacobus Bruckerus, eâque usus fuit, uti ait in vasto opere *Historiæ Philosophiæ.*

Ex hoc labore maximo Viviano biberunt quotquot eruditi, de litteris post eum benemeriti fuerunt: inter quos primus fuit Ramus, natus anno 1515. et interemtus in laniena Parisiensi anno 1572. Usque ad annum 19. ætatis suæ ne quidem primas notas didicerat: Lutetiam deductus tantum profecit maximo discendi desiderio percitus, ut quamvis repugnante ingenio rudi, et (quod majus est) institutione sera, labore et diligentia in id litterarum decus pervenit, quo pervenisse vix credibile sit, ita ut anno trigesimo contra Aristotelem scripserit meliori stilo quam posterioribus annis. Alfonsus Garcia Matamorus, eruditus Professor Complutensis, epistolâ nuncupatoriâ opusculi *De formando Stilo* scripsit: „Lodovicus Vives Valentinus, hujus calamitatis caussas quamplurimas in eo libro refert, quem De Corruptis Disciplinis erudite conscripsit, imitatus, quantum arbitror, Fabium Quintilianum, qui multis antea sæculis de Caussis Corruptæ Eloquentiæ volumen ediderat. (*Quod ab aliis Cornelio Tacito adjudicatur.*) „Nec est cur ego dubitem, quin omnia in hoc opere prudenter „prius cogitarit, ac viderit Vives Valentinus, quàm librum suum „foras emitteret; quippe homo fuit acerrimi ingenii, et prudentiæ non vulgaris: verum ejus quoque prudentiæ fuerat quasdam „Corruptarum Artium caussas silentio præterire, ne (quod postea „evenit) audacissimis hominibus ansam præberet debacchandi in „optimos auctores. Hinc enim (ni ego fallor) arrepta occasione, „Petrus Ramus stilum strinxit in Aristotelem, Ciceronem, et Quintilianum, non leviore quidem impietate, ac scelere, quam gigantes olim (ut est in fabula) Jovem, atque cæteros Deos a „cælo deturbare conarentur.

Sed operæpretium est audire Bartholomæum Keckermanum, in

tractatu 2. *Præcognitorum Logicorum*, *cap.* 4. simpliciter, candideque scribentem: „ Hæc principia, etsi sunt a natura ipsa dicta-
„ ta, et ab Aristotele dudum nobis tradita, et hoc ipso etiam sæ-
„ culo (*decimo sexto*) ante Ramum contra Aristotelem, totidem
„ verbis, longe modestius, ac prudentius a Ludovico Vive publi-
„ ce proposita, ac defensa. „ Et paullo post scripsit laudatus Keckermannus. „ Ad secundum veniam mei de Petro Ramo instituti
„ caput, collationem nempe doctrinæ ejus cum Ludovico Vive:
„ ubi quidem brevis futurus sum, nec acturus aliud quàm ut cons-
„ tructâ tabellâ, ac velut parallelo indice, evidenter ante oculos
„ lectoris ponam, quid annis ante Ramum viginti, et amplius,
„ Ludovicus Vives Hispanus docuerit, et quæ doctrinæ Aristote-
„ licæ capita improbarit; et ex altera parte quid scripserit, et
„ disputarit Petrus Ramus tot nimirum post Ludovicum Vivem
„ annis, quem tamen, quod in scholiis suis, atque animadversio-
„ nibus in Aristotelem scriptis non citet, aut nominet ejusmodi
„ dogmatum auctorem, id vero quod mirari, et indignari merito
„ possit is qui novit quam suum cuique auctori sit tribuendum,
„ quamque non juvanda alienæ laudis, et gloriæ possessio. „ Adeo verum est illud effatum Justi Lipsii epistolâ gratulatoria, et monitoriâ ad Paulum Busium: „ Juventus nostra a me hoc audiat:
„ nunquam ille magnus erit, cui Ramus est magnus. „

Sed resumamus filum laudandi Hornii: „ Petrus autem Ramus
„ homo dexterrimi ingenii, solidæ doctrinæ, et liberrimi judicii,
„ cum quoquo modo ad famam, etiam per alienæ existimationis
„ ruinam, sibi contendendum putaret, ex omnibus antiquis exa-
„ gitandum, atque explodendum (*Aristotelem*) sibi sumsit; adeo-
„ que ea, quæ ex Valla, et Vive hauserat, velut interpolata in lu-
„ cem emisit. „ Sed ambitiosi famæ aucupandæ, modestis hominibus, veluti Lipsio, ridiculi videntur, ideoque ajebat Justus de Ramo: „ Puerorum enim ista (dicam libere) illudia, et Saturna-
„ litia dierum aliquot regna. „

Rapinus Animadversionibus in Logicam ait: „ Ramo non
„ successit feliciter consilium a se initum Aristotelis auctoritatem
„ subruendi juxta Vallæ et Vivis documenta; idea enim quam
„ efformavit novæ Dialecticæ nihil habet rationi consonum, præ-

„ ter

„ ter id, quod ab Aristotelis Dialecticâ mutuatus est, quam cum „ reformare voluit, ipsam destruxit. „ Petrus Gassendus Philosophus eruditissimus libro De Logicæ Origine, et Varietate dicit: „ Anni sunt ducenti, ex quo Laurentius Valla, conscriptis tribus „ Dialecticarum Disputationum libris, licère ostendit ab Aristotele „ dissentire : : : : Ante unum vero sæculum Ludovicus Vives plu„ rima declamavit in eandem sententiam, is scilicet De Causis Ar„ tium Corruptarum conquerens, tum aliqua in Organo Aristo„ teleo redarguit : : : : Hisce itaque ducibus Petrus Ramus tum „ Animadversiones adversus Aristotelis Organum conscripsit, tum „ Dialecticam condidit, de qua dicendum ideo est quia fami„ liam ducit eorum, qui Rameos se, et Ramistas dicunt; nam plu„ res quidem extitere Dialecticarum specialium Auctores, ut Ro„ dolphus Agricola, Franciscus Titelmannus, Philippus Melanch„ ton, Hieronymus Cardanus, aliique pene innumeri; sed nulla „ evasit Rameâ celebrior. „

Petro Ramo venit in mentem nomen suum celebrari in scholastico pulvere, et novam sectam condere, Ludovico Vivi novare studium veritatis, et ut judiciose scripsit Joannes Franciscus Buddeus: „ Renascentibus bonis litteris longe alia cœpit esse Phi„ losophiæ facies viris doctis certatim Scholasticæ Philosophiæ ju„ gum excutientibus; qui tamen non unam, eandemque omnes „ ingressi sunt viam; quidam enim nævos, et barbariem Scholas„ ticæ Philosophiæ perstrinxerunt, et de alia Philosophia substi„ tuenda in ejus locum non fuerunt solliciti: alii unam ex ve„ teribus sectis restaurandam sibi sumserunt: alii novam prorsus „ Philosophiam condiderunt: ad primam classem referri possunt „ qui in Humanioribus litteris resuscitandis operam studiumque „ collocarunt, licet enim haud pauci illorum certæ sectæ dederint „ nomen suum, in eo tamen consenserunt, idque egerunt mag„ no conatu, ut Scholasticorum barbariem profligarent; sed præ „ cæteris tamen, suo velut jure, huc referendi sunt Joannes Ludo„ vicus Vives, Laurentius Valla, Marius Nizolius, Adrianus Car„ dinalis, atque alii. „

Nequeo satis mirari rationem Vivis adversus Sophistas, quæ longe alia fuit ac illa quam habuit Petrus Ramus, de qua sic scrip-

sit Georgius Hornius in *Historia Philosophiæ*: „ Occasionem ei „ (*Ramo*) dederunt Pseudo-Peripatetici Sophistæ Parisiis, et alibi, „ Scholastica barbarie, et corruptissimâ Philosophiâ in media lit- „ terarum luce delectati, nec non interpretes pravi, et rudes, Aris- „ totelis; quorum furias non tolerans, primo in ipsos, mox in ip- „ sum Aristotelem acriter invectus est, et adversariorum calumniis „ divexatus longius processit, novamque sectam de suo nomine, „ plurimos in Gallia, Anglia, Germania, nactus sectatores, con- „ didit: in Italia, et Hispania obscurum vix, et pene ignotum „ nomen ejus est.„

Postremo Jacobus Bruckerus hoc nostro sæculo scripsit: „ Nec „ defuerunt, qui plagii suspicione eum (*Ramum*) onerarent, cre- „ derentque invectivas, atque reprehensiones Aristotelis eum non „ suomet ingenio debuisse, sed lectioni Vallæ, Agricolæ, et Vi- „ vis; nec esse hanc suspicionem ex toto vanam, fatendum est, „ quamvis ipsius Dialecticæ novæ formam, et majorem animad- „ versionum Aristotelicarum partem, ejus doctrinæ deberi inficia- „ ri nemo a partis studio alienus possit.„

Observare debet lector quod Jacobus Thuanus dixit de Petro Ramo, *Lib.* 52. *Historiarum sui temporis*: „ Ex eo commendatio- „ ne dignus fuit, quòd, ingenio, diligentia assiduitate, et opibus „ etiam suis, quantum in ipso fuit, rem litterariam juvit, ac pro- „ movit, institutâ Mathematices professione cui annuum vectigal „ 130. librarum e facultatibus suis attribuit.„ Qua in re Petrus Ramus obtemperavit judicio Ludovici Vivis, qui Dialogo *Sapiens* dixerat de Academia Parisiensi: „ VIVES. Mathematicos visamus „ (si tibi est cordi, Gaspar, (*Lax*) mi Magister) eos certe qui Geo- „ metriam, qui Arithmeticen, qui Musicen, qui Astronomiam, „ qui Perspectivam callent. GASPAR. Mathematici (mi fili) pro ne- „ mine Parisiis verificantur. VIVES. ¿In tanto Studio, tam bonæ „ Scientiæ non sunt cognitæ, in quibus cum primis versari debe- „ rent? GASPAR. Deberent quidem, sed nec omnia faciunt quæ de- „ bent: tenentur illas Universitatis præcepto audire, sed novus „ abusus antiquum usum expulit, qui nisi antiquetur, non video „ cur jure Docti Viri Parisienses nominari possint: satis tamen le- „ gi facere putant, ubi de Punctis, Lineis, Superficiebus, cavilla-

„ to-

„ torie disputant, sint ne hæc divisibilia, an indivisibilia: Ramus occurrit huic malo Vivis monitu.

Doctores Sorbonnici illi valde infensi fuere, cumque litteram Q. exprimerent tamquam K. in usu habebant efferre *Kiskis*, pro *Quisquis*, Ramus hunc errorem sustulit, et veram appellationem litteræ substituit, sed Doctores adeo id ægre tulere, ut voluerint interdicere cuidam Scholastico redditibus Beneficii, quia sententiam Ramisticam sequebatur, et non Sorbonicam, sed Ramus appellavit ad Parlamentum a quo decretum fuit ut exprimerent litteram quemadmodum libuerit: Petri Rami opera, scilicet, *Dialecticæ Institutiones*, et *Aristotelicæ Animadversiones*, recusa sunt ex Bibliotheca Gerardi Meermani, viri mihi dum viveret amicissimi, una cum *Responsione pro Aristotele* Antonii Goveani, et reliquis hujus operibus valde selectis; sed satis de Ramo.

Petrus Gassendus, vir doctissimus, et candidi, et aperti ingenii, in præfatione ad *Exercitationes Paradoxicas adversus Aristoteleos* ingenue fassus est: „ Hærebat tamen lethalis arundo generalis præ„ judicii, quo videbam Ordines omnes probare Aristotelem, ve„ rum mihi animos adjecit, timoremque omnem depulit, et Vi„ vis, et mei Charronii lectio, ex qua visus sum non injuriâ sus„ picari Sectam illam non esse penitus probandam, quòd proba„ retur quamplurimis; sed et vires accrevere ex Ramo præsertim, „ ac Mirandulano, quorum idcirco mentionem facio, quod in„ genuum semper duxerim profiteri per quos profecissem. „

Multa proferre possem in laudem operis Viviani, sed contentus ero hoc elogio Jacobi Bruckeri in *Historia Philosophiæ*: „ In „ his contra Artes Corruptas libris, illam judicandi vim, et Phi„ losophiæ Scholasticæ censuram Orbi erudito probavit, quam „ merito in hoc viro stupeas; sic ut fatendum sit, neminem eo „ tempore hoc ulcus, vel melius tetigisse, vel fortius illi vulnus „ inflixisse; ubique enim regnat Philosophiæ haud proletaria cog„ nitio, lectio in veterum Philosophorum libris probata, et accu„ rata, sensus Philosophiæ emendatioris justus, et maxima in de„ tegendis nævis Philosophorum veterum, et recentiorum perspi„ cacia; his vero virtutibus ingenii junxit animum fortem, erec„ tum, præjudiciorum hostem, superstitionis osorem, et ad auden-

„ da

„ da meliora, rectioraque, magnis passibus grassantem. „

Est, ut arbitror, plenum ingenui pudoris proferre non solum elogia, sed etiam censuras doctorum virorum: verbis exprimi haud valet damnum quod datur lectoribus a censoribus contemnentibus scripta, de quibus candide, et procul ab affectibus judicium proferre deberent; hoc præjudicio deterrent lectores ab illis legendis, putantes juste reprehendi, cum magna pars hominum alieno judicio utatur, et præoccupationibus indulgeat; in hunc censum venire arbitror Melchiorem Canum, Canariensem Episcopum, virum celeberrimum, qui molares dentes infixit in aliquos viros: ex eorum numero fuit Joannes Ludovicus Vives, qui cum scripsisset Jus Civile Romanorum non debere habere magnam auctoritatem in Theologicis; cum hæc propositio sit vera, si tantum loquitur de Jure Civili, illam impugnavit argumentis non magni ponderis, et auctoritatibus, quæ argumentum propositum non firmant, ut facile posset ostendi, si de isto ageretur.

Hac occasione dixit Canus; *cap. ult. lib.* 10. *Locorum Theologicorum.* „ Nec enim mihi Ludovicus Vives probari potest, in eo quod „ universam Legum Romanarum et vim nititur frangere, et ele- „ vare auctoritatem; plus ille nimio interdum sibi indulget, dum „ Corruptas Disciplinas persequitur; nec novitios solum errores, „ qui, vel irrepserunt, vel invaserunt, coarguere, sed antiquorum „ recepta placita convellere pertentat, maximo quidem semper „ verborum ambitu, sed vi quandoque argumentorum minimâ: „ dixit ille quidem in libris De Corruptis Disciplinis multa ve- „ re, multa præclare; atqui fidenter pronunciavit aliquando, tam- „ quam e divorum concilio descendisset: multo autem viris doc- „ tis probaretur magis, si quâ diligentiâ, et disertitudine causas „ corruptarum Artium expressit, eâdem collapsas restituisset: sed „ in Tradendis Disciplinis elanguit, cum in carpendis erroribus „ viguisset; nec mirum; nam aliorum errata etiam probabiliter re- „ prehendere, facile est id quidem; artes vero, quas jam inde „ a multis annis viri quidam et indocti, et barbari deflexerunt, „ ad rectam lineam revocare, scilicet hoc opus, hic labor est: huc- „ que erat omnino conandum, si quicquam magna laude dignum „ agendum erat. „

Cen-

Censura Jacobi Bruckeri similis est huic, quâ Canus Vivem vexavit, in *Historia Philosophica*, ad hunc modum: „ Qui, si nova, et saniora dare, quam morbosa, et putrida retegere, maloque detecto medicinam convenientem afferre voluisset, inter „ maximos sæculi sui reformatores Philosophiæ referendus esset; „ nam virtutibus illis satis instructus fuit, quæ ad hujusmodi conatus suscipiendos requiruntur; animo nempe magno, qui scriptoribus ævo consecratis ausus est repugnare, et imprimis Aristoteli, sinceritate haud vulgari, quâ nec auctor unquam sectæ, „ nec suasor esse cupiebat, perspicuitate, et elegantia verborum, „ quibus aperte, ac dilucide cuncta potuit exponere, ut percipi „ facile, ac teneri possent; sed sufficiebat viro eruditissimo, nuditatem Philosophiæ receptæ demonstrare, errores retegere, et ad „ meliora ablegare juvenum ingenia: quem laborem parum quidem feliciter cessisse Vivi judicat Rapinus, verum vix audiendus est, cum lectio librorum istorum, quos De Corruptis Artibus, et Tradendis Disciplinis scripsit, partis studio non occupatum accurate doceat, plurimum detexisse Vivem illud monstrum horrendum, et ingens, quod damnari totum vix Rapinus, „ ob rationes sectæ suæ, pati poterat. „ Hactenus Bruckerus, cujus censuram referre hîc volui, una cum altera Canariensis Episcopi, ut lector eas habeat simul præ oculis.

Debuisset Canus notare qualia erant antiquorum recepta placita, quæ Vives convellere pertentavit, maximo verborum ambitu, et vi argumentorum minima.

Debuisset ostendere quomodo veritates Theologicæ fulciantur testimoniis petitis e Jure mere Civili; nam si e Jure Naturali petantur, jam hoc pertinet ad alium locum Theologicum.

Magis debuisset revereri modestiam Vivis, laudatam ab omnibus sui sæculi viris, magnis, et minimis, quam comitatus fuit gravitate Philosophica, et Christiana.

Debuisset exprimere nomina doctorum virorum præferentium libros *De Corruptis Artibus* præ illis *De Tradendis Disciplinis* cum horum despicientia, cum si valde perspicax se ostenderit in illis, et sapientissimus in his postremis, et non solum detexerit vitia in-

intromissa in Artibus, et Scientiis, verum ostenderit modum eas docendi, præbens perfectam ideam doctorum, et magistrorum, simulque regulas apertas eas docendi: et quod magis in prætio haberi debetur, redigens methodice Artes, et Scientias, aut earum partes nobiliores.

Hoc pacto videmus instituisse pueros modo discendi *Linguam Latinam* duobus libellis *De Ratione Studii Puerilis*, *quibus* (asserente Joanne Jacobo Frisio in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ) *absolutissimam ingenuorum adolescentum, et puellarum institutionem, doctissima brevitate complectitur*; et ut sermonem Latinum discerent facilius dissertissimos Dialogos scripsit puerorum captui accommodatos, complectentes mirificam vocum abundantiam, et modos valde elegantes loquendi.

Tribus libris doctissimis *De Ratione dicendi* scripsit Rhetoricam, principem inventione, methodo, et reliquis partibus: hanc ideam perfecit libro *De Consultatione* mirabili prudentia scripto! Exaravit etiam *Declamationes*, in quibus certe æmulatus fuit Declamatores celebriores Antiquitatis, L. Junii Gallionis majoris, et minoris, M. Annæi Melæ, M. Fabii Quintiliani, et aliorum quorum fragmenta, et excerpta præ manibus habemus: quid in Arte Poëtica profecerit ostendit *Veritas fucata*, sive *De Licentia Poëtica Dialogus.*

Si de Philosophia agendum est, in qua præcipue versatur censura Bruckeri, nullum alium propugnatorem adhibere volo, nisi eundem accusatorem, qui nobis enarrabit quid in ea præstiterit Vives, et quantum profecerit; audiamus ergo eum in *Historia Philosophiæ*: „Certum est inter litteratissimos sui sæculi viros Vi„vem locum merito occupasse; quamvis autem Philosophum se „præstare, et nova Philosophiæ lumina accendere, præter paucos „quosdam libros, conatus haud sit, cum præter breves quasdam „tractationes, quæ tomum tertium (in editione Frelloniana quâ „utebatur) operis De Corruptis Artibus, et Tradendis Disciplinis „occupant, et De Prima Philosophia, De Explanatione Essentia„rum, De Censura Veri, De Instrumento Probabilitatis, et De „Disputatione agunt, nihil, quod ad Philosophiam spectet, scrip„to tradiderit, non negligendus tamen in Historia sæculi XVI.

„Phi-

„ philosophica est, tum ob librum De Initiis, Sectis, et Laudibus „ Philosophiæ, tum ob scripta Polemica contra corruptores Ar„ tium, et Disciplinarum, librumque in Pseudo-Dialecticos.

Et non solum in Operibus mere Philosophicis, verum et etiam in Patristicis degrumavit viam ad ejus cognitionem, ut candide fatetur Bruckerus in præfatione voluminis 6. „ Pari vero ratione, „ jucundo exemplo, Philosophicam Historiam ad Ecclesiasticam „ illustrandam, in Commentariis bonæ frugis plenis in Augusti„ ni libros *De Civitate Dei* adhibuit, unde hodie quoque hi ejus „ libri ab Historiæ Philosophiæ studioso diligenter legi meren„ tur. „ Sed de Bruckero satis: redeamus ad Canum.

Laurentius Palmyrenus, in catalogo auctorum Catholicorum legendorum, in Dialectica, et Philosophia Naturali, et Morali, in votis habebat, ut adolescentes Latinis litteris jam imbuti, antequam Philosophiæ operam darent, legerent Vivis librum *In Pseudo-Dialecticos* ad Joannem Fortium conterraneum suum, et tertium *De Tradendis Disciplinis*.

In Philosophia igitur Vives acriter certavit adversus sophistas scholasticos sui temporis, et feliciter hostes prostravit vicitque scripto laudato libro *In Pseudo-Dialecticos*, et alium *De Initiis, Sectis, et Laudibus Philosophiæ*.

Acute Ludovicus tractavit quæstiones subtiliores Logicæ, in libro *De Explanatione cujusque Essentiæ*, et duobus *De Censura Veri*, et alio *De Instrumento Probabilitatis*, et altero *De Disputatione*.

Docuit etiam non theoretice, sed practice, modum christianum scribendi physice libros *De Anima, et Vita*, a Julio Cæsare Scaligero valde laudatos, quos, non sine pudore, legent scriptores hodierni ad impietatem vergentes.

Fodit Vives fundamenta firmissima ad veram Philosophiam ædificandam, quam postea struxit Franciscus Baconus; transtulit pius noster vir in rem suam omnem Ethicam Scriptorum æthnicorum ex eorum operibus, Christianamque fecit, agens de Animi Affectionibus, virtutibusque secundum sensum sanctarum Scripturarum, præcipue vero in tractatibus *De Officio Mariti*, et *De Institutione Feminæ Christianæ*.

Ejus *Introductio ad Sapientiam* enchiridion est totius Ethicæ

Christianæ; lapsus fuit Continuator Historiæ Ecclesiasticæ Claudii Floridi, aiens, Vivem imitatum fuisse serviliter modos philosophandi Scriptorum Paganorum.

Idem Ludovicus recte, ac scite judicium tulit de scriptis Philosophorum, Historicorum, et Poëtarum, ut qui eos legerat, et in succum, et sanguinem converterat ad Artes, et Disciplinas mutuo inter se complectendas.

Criticus fuit maximi judicii, ut ostendunt septem ejus libri *De Corruptis Artibus*, quinque *De Tradendis Disciplinis*, sive, *De Doctrina Christiana*, et octo *De Artibus*, qui ei, dum viveret, palmam dedere tamquam Scriptorum omnium sui sæculi judiciosissimo.

Politicus fuit cordatus, et Christianus, ut testantur ejus *De Concordia, et Discordia libri IV. De Pacificatione liber unus, De Europæ dissidiis, et Bello Turcico Dialogus, De Conditione Vitæ Christianorum sub Turca liber unus, De Communione rerum ad Germano-inferiores, De Subventione Pauperum*, sive, *De humanis necessitatibus libri duo*, etiamque *Epistolæ, De Francisco Galliæ Rege a Cæsare capto*, et *De Pace inter Cæsarem, et Franciscum Galliarum Regem.* Joannes Ludovicus Vives vir fuit tantæ auctoritatis, ut, Europa laborante maximis discordiis, ipse, homo privatus et pauper, fretus sua sapientia, non dubitaverit litteras pacificas mittere ad Summum Pontificem Romanum, tamquam ad communem Christianorum Patrem, ad potentissimos Reges, ut Hispaniæ, Galliæ, et Angliæ, et nemo illorum ausus fuit ejus zelum christianum despicere; adeo erat gratus omnibus illis. Præclare Gabriel Naudæus in *Bibliographia Politica* de ejus scriptis Politicis censuit: „Illud tan„tum moneo, Sebastianum Foxium Morcillum, Ludovicum Vi„vem, Erasmum Roterodamum, et Jovianum Pontanum, sedatæ „ac compositæ mentis homines, multa et præclara de hac facul„tate dixisse, hominumque generi summopere conducentia.„ Et auctor anonymus *Bibliothecæ Politicæ contractæ* scripsit: „E junio„ribus huc spectant Æneas Sylvius, Erasmus Roterodamus, Gui„lielmus Budæus, Ludovicus Vives, Hugo Grotius, Thomas Mo„rus, Joachimus Camerarius, Augerius Busbequius, Hubertus Lan„guettus, Christophorus Fornsterus, et si qui præterea solide judi„care de rebus Civilibus didicerunt.„

Li-

Licet Vives adnumeretur inter eruditos imbutos litteris humanitatis, et Juri Civili operam dederit, laureamque Doctoralem in eo adeptus fuerit, tamen Theologiæ studium adhibuit, ideoque modestiâ, quâ solet, dixit in Præfatione Commentariorum in libros Augustini *De Civitate Dei*: „Mihi libros attribuit (Desiderius „Erasmus) De Civitate Dei duos et viginti, quòd opus bona „ex parte tum rerum gestarum, fabularumque narrationibus, tum „disputationibus Philosophicis consumeretur, quibus rebus bo„nam ætatis partem videbamur impendisse, magno quidem co„natu, ac voto, utinam pari successu; Theologica, tametsi mul„ta inerant, tamen non ita forsan ut aliis libris crebra; quanquam „ab hac etiam sacrosancta disciplina nunquam alieni fuimus, quan„tum per ætatem nostram (trigesimum attingens annum) et alia„rum Artium quæ nos mirifice ceperunt studia, licuit.„ Verumtamen, si ob opus inmortale *De Corruptis Artibus*, et *De Tradendis Disciplinis* censetur Vives inter maximos Criticos, ob aliud posthumum *De Veritate Fidei Christianæ* percensetur inter Theologos sui sæculi nemini secundus.

Tractatus *De Locis Theologicis* celeberrimum fecit nomen Cani in orbe Theologico; opus posthumum editum fuit Salmanticæ anno 1562. sub patrocinio Ferdinandi Valdesii, Archiepiscopi Hispalensis, et Hispanicæ Inquisitionis summi Præfecti, cui auctor opus mandaverat anno 1560. quo ad plures abiit: qualis status esset Theologicorum studiorum intra Hispaniæ fines, puto non ingratum futurum lectoribus historiam litterariam appetentibus.

Alphonsus a Castro anno 1534. edidit e prelo Ascensiano *libros XIV. adversus omnes Hæreses*, tanto cum plausu exceptos, ut anno 1556. scripserit Philippo Hispaniarum Regi: *Quod opus (Deo favente) causamque (ut Christiane loquar) suam agente, adeo Catholicorum omnium oculis placuit, ut, infra hos viginti duos annos elapsos, fuerit jam plusquam decies in Gallia, Germania, et Italia typis excusum.* Hoc opus eximium scribebat Castrus anno 1533. ut ait verbo *Cibus*.

Merito suo recensendus est in hunc numerum Ludovicus Carvajalus, Monachus etiam Franciscani sodalicii, de quo Joannes Eisengreinius in *Catalogo testium Veritatis*, dixit: *Eruditione, et elo-*

quentia clarus philosophus, atque orator perfectissimus, nec ulli Theologorum secundus. Anno M. D. XLV. edidit Coloniæ librum *Theologiæ restitutæ*, in quo conatus fuit pro virili eam repurgare a sophistice, et barbarie: quod opus recudit Antuerpiæ Joannes Gravius anno 1548. in quo, pulcherrimo conatu Theologiam cum eruditione conjunxit, docuitque.

Etiam Martinus Perezius Ayala, Episcopus Accitanus, Segoviensis, et Archiepiscopus Valentinus, scripsit opus eximium *De Divinis, Apostolicis, atque Ecclesiasticis Traditionibus, deque auctoritate, ac vi earum sacrosancta, Adsertiones, ceu libros decem*, editum Parisiis, et in fronte legitur: *Apud Poncetum le Preux, in via S. Jacobi, sub intersignio lupi, e regione Mathurinorum* 1549. ad calcem vero: *Excudebat Renatus Aprilis in alma Parisiorum, anno* 1549. 8. Auctor epistolâ nuncupatoria Philippo Asturum Principi, Augustæ Vindelicorum, sexto calendas septembris, anno salutis nostræ 1548. inter alia dixit: »Et video, Princeps Serenissime, laborem hunc meum, quem magnum diuque suscepi, de »Doctrina Divinarum, et Apostolicarum Traditionum, non posse numeris omnibus absolutum esse, tum propter rei ipsius novitatem, quam nemo (quantum suspicor) perfecte hactenus tractavit, tum etiam propter doctrinæ meæ tenuitatem, quam ipse »agnosco.» A doctissimo hoc Præsule edita etiam fuit: *Sinodo de la Diocesi de Guadix, i de Baza, celebrado por el Reverendissimo Señor Don Martin de Ayala, Obispo della, año de mill i quinientos i cinquenta i quatro; en Alcalà de Henares, en casa de Juan de Brocar.* 1556. *fol.*

Postremo, in hanc recensionem occurrit Petrus a Soto Dominicanæ Familiæ, ab omnibus Eruditis mirifice laudatus, et Scriptor maximi pretii ob eximiam doctrinam, pietatemque minime fucatam; Otho Episcopus Augustanus, et Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, ejus doctrinam plurimi æstimavit, et in Epistola Pastorali, pietate et doctrina referta, exarata Dilingæ, in Castro residentiæ Episcopalis 15. die Martii 1558. quæ legitur initio operis inscripti: *Tractatus De Institutione Sacerdotum, qui sub Episcopis animarum curam gerunt*: Otho, inquam, laudatâ epistolâ Pastorali inter alia dixit: „Sed et recentiorum in hoc genere multa extant egre-

»gia

„ gia scripta sub variis titulis edita, maxime vero in Catechis-
„ mis, in quibus omnia fere, quæ ad curam animarum pertinent,
„ explicantur, et Divinarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, et
„ sacrorum Conciliorum auctoritate, ac testimonio confirmantur:
„ inter quæ, et unum extat, quod a R. P. Doctore Petro a So-
„ to, Dominicani Ordinis Theologo doctissimo, tempore quo
„ Scholæ nostræ (Dilingensi) Primarius præfuit moderator, ore
„ pronunciatum, et à discipulis quibusdam ipsius in certas lectio-
„ nes digestum, exceptum est: in quo vir ille, et verbo, et ope-
„ re ad docendum ea quæ sunt pietatis potens, multa ad doc-
„ trinam sanam et catholicam, multa ad officium Pastorum Ec-
„ clesiæ, et reformandam eorum totiusque Cleri vitam et mores
„ pertinentia, tanto pietatis studio, et tanto dicendi ordine com-
„ posuit, ut dignus nobis videatur hic liber, qui ad promovenda
„ pietatis studia in publicum edatur, omnibusque animarum cu-
„ ram vel jam administrantibus, vel in futurum administraturis,
„ communicetur.„

Hos Theologos Hispanos enumeravi ut lector perpendat eorum scripta, et doctrinam eximiam, simulque trutinâ penset quàm oscitanter scripserit Joannes Ferreras in *Synopsi Historica*, pag. 3. Canum antiquiorem fuisse Vive; sed condonandum est hoc erratum contra temporis rationem scriptori extrahenti tunc temporis pedem e cœno pseudo-scholastico: vel ipsa Cani lectio rara erat apud suos: Carvajalus, Ayala, et Sotus post mortem Vivis scripserunt; sed Canus omnes eos et Castrum potuit legere, et se gerere quemadmodum Cajetanus erga Erasmum, uti monuit Alphonsus a Castro, Lib. XI. „Et quantum ego conjicere possum, omnia quæ
„ Cajetanus pro hac sententia affert, accepit ex Erasmi annota-
„ tionibus, sicut in aliis multis, quæ super Novum Testamentum
„ dixit, est illum secutus: in quibus multo prudentius egisset, si
„ longe ab illo discessisset; in hac tamen sententia aliqua pruden-
„ tia usus est.„

Verum quod attinet ad scripta Theologica Melchioris Cani, ejus *Relectiones De Sacramentis in genere*, et *De Pœnitentiæ Sacramento*, sunt veluti duo Tractatus Scholastici, quorum argumentorum multa erat et uberrima Salmanticæ seges, ex veteri illius Academiæ instituto.

Lo-

Loci vero Theologici Cani sunt pars Theologiæ, qualis est Topica; Attamen Vives scripsit Theologiam absolutam doctissimis, et eruditissimis libris *De Veritate Fidei Christianæ*; si institueretur diligens collatio operum utriusque Scriptoris, invenirentur non pauca quæ Canus exaravit jam antea legi apud Vivem; sed dissimili oratione, ac stilo, nam Canus secutus fuit scholasticum suorum temporum, proponens longam seriem dubiorum, et argumentationum uno capite, et altero præbens enodationes; quibus obruitur, ac fatiscit memoria legentis, redigendo lectores ad colligationem argumentorum cum quaque resolutione eorum, magna temporis jactura: Vives usus fuit methodo, in qua resolutio innixa veris probationibus supponit et dissolvit dubitationem breviter, et aperte: Canus proponit quæstiones; Vives ostendit corruptionem sæculi, et motus animorum, cum pietatis spiritu, et animi inunctione, indicens bellum et vitiis, et vitiosis, optimeque instructus librorum sacrorum lectione, et Catholicis Traditionibus, et Sanctorum Patrum, et Magistrorum doctrinâ, stabilivit Religionis dogmata, explicuit mysteria sacra, et Sacramentorum efficaciam, et virtutem; cogitato oppugnavit Atheos ratione naturali; Judæos Testamento veteri; Mahumedanos irrationabilitate Alcorani; Hæreticos Divinis Scripturis, et Traditionibus Apostolicis; ita ut ex Vivianis Operibus possint concinnari plenissimæ Institutiones Catholicæ in modum Catecheseos, et Theologia omnibus suis partibus absoluta: Eruditionem Vives velat, quantum potest, utens ut plurimum verbis Philosophorum, et sacrarum Scripturarum absque prolatione loci eorum.

In Vive est stylus æqualis, profundus meditatione, et gravitate, redolens Scriptorem principem, et ut talis ab omnibus est habitus; varietas scriptionum Ludovici est mirabilis; inter has, singulari in pretio habenda sunt Commentaria quæ scripsit in libros *De Civitate Dei* B. Augustini, quo opere nihil eruditius inter Ecclesiæ Latinæ Patres; Ea exaravit magna librorum penuria et in memoriam redigendo ea quæ legerat, aut excerpserat, antequam trigesimum attingeret ætatis annum: et fortasse hoc opus ansam dedit dictis, nam cum in eo scripserit *De veteribus interpretibus hujus operis*, et sine fele descripserit aliquas supinitates Commen-

men-

mentariorum Thomæ Valois, et Nicolai Triveth, et Additionum Jacobi de Passavant, Dominicanorum, et Veritatum Francisci de Maironis, Minoritæ, credo Canum, ab aliquo imbutum, minus recte de Vive judicasse: et Canariensis Episcopi tanta fuit auctoritas, ut videri possit etiam Bruckerum ad suas partes traxisse; duo quippe mala Ludovico Vivi objecta fuere; laudasse supra modum Mœcenatem Erasmum, et acerbe de veteribus interpretibus Augustini scripsisse.

Sed ingentia Joannis Ludovici Vivis beneficia in Rempublicam Christianam, et Litterariam, æternæ memoriæ hominum commendata erunt; vir fuit humanis opibus destitutus, litteris incubuit egestate laborans, utens libris eruditis ab amicis commodatis, pauper inter dynastas, modestus inter viros Principes, litans veritati, et non ambitioni, vexatus ideo à Rege impotenti iræ, et corrupto amoris illecebris, Religionis Catholicæ caussâ, quam a puero imbiberat, una cum matris lacte, et semper tutatus fuerat exemplo, verbo, et scriptis, ostendens suam rationem ei fuisse instar omnium Principum: artes Liberales, et Scientiæ debent Joanni Ludovico Vivi renovationem, et illustrationem; nam quas ob caussas, quove modo corruptæ fuerant, evidenter demonstravit; docuitque etiam, operibus, datâ operâ, a se elucubratis, optimam rationem tradendarum Disciplinarum, etsi contrarium visum fuerit Melchiori Cano non jure sed injuria; Richardus Simonius, criticus longe peritissimus, si ingenio suo moderari scivisset, exhibuit ideam valde accuratam hujusce operis Viviani volumine secundo *Novæ Bibliothecæ selectæ*, editæ Amstelædami, anno 1714. operis exquisita eruditione referti: præjudicium Cani non adimet Vivi gloriam æternùm victuram.

Obiit Ludovicus anno duodequinquagesimo ætatis suæ; et in curriculo non annoso, quin et etiam vigesimo sexto vitæ suæ circulo, judicio Desiderii Erasmi, omnes sæculi sui studiosos viros eruditionis gloriâ præminebat: sæculum decimum sextum dixi, eruditius duobus sequentibus: hoc elogium collatum ei fuit ob sapientiam Christianam, quæ unice sophiæ nomine gaudere debet, ob eamque enumeratur inter præcipuos Litterarum instauratores, eoque duce, ac principe, studiis incumbere debemus animo

mo forti, atque obfirmato; et iterabo cum doctissimo viro Ferdinando Nonio Pintiano nuncupatoria suarum *Observationum Plinianarum*: „ Libetque nunc mihi, tamquam e celsissima quadam „ specula unde ab omnibus exaudiri possim, altissima voce, ut „ vel Gradivum illum Homericum vincam, queri, vociferari, qui- „ ritare: Huc, huc, Vos, o clarissimi Litterarum Antistites,

— Sacri hujus quibus est permissa potestas:

„ Huc, Vos, ut paretis, exhortor:::: Sin autem (quod dii aver- „ runcent) mihi non auscultatis, et hæc res neglectui Vobis est, „ exclamabo cum Comico:

¡O cœlum! ¡o terra! ¡o maria Neptuni!

„ Actum est de litteris; tot enim hydræ capita, non in annos „ modo, sed in menses, diesque, ac horas, passim renascuntur, ut „ nisi in promtu sint numerosi Iolai, qui ardentibus ingenii ac „ eruditionis facibus rediviva præurant, absortura timendum sit „ intra pauca annorum curricula quicquid doctrinæ, ac eloquen- „ tiæ, majorum nostrorum socordia reliquum nobis fecit. „

His Tractatibus criticis colophonem imposuit Ludovicus Vives Brugis, anno M. D. XXXII. ideoque litteris ad Honoratum Joannium scripsit: *Disciplinæ meæ cœptæ sunt Antuerpiæ excudi*; (anno 1531.) *Rhetorica, et de Sermone, ac Linguis* (subintelligit librum tertium *De Tradendis Disciplinis*) *in aliud tempus distuli, Philosophicis, plusquam gestare possim, onustus*: Nimirum Librum Quintum, *De Corrupta Philosophia Naturæ*; et Sextum, *De Corrupta Philosophia Morum*; sicuti, et libros tres *De Prima Philosophia*.

Laurentius Palmyrenus, Grammaticorum Hispanorum nemini est posthabendus si varietas, et utilitas suorum operum perpenditur; post finem libri *Studiosi Aulici* (*el Estudioso Cortesano*) recusi Compluti anno 1587. apud Joannem Iñiguez de Lequerica, auctore denato, additum fuit in ea editione opusculum inscriptum, *El Proverbiador, o Cartapacio*, quâ scriptiunculâ Palmyrenus sollerter commentatus fuerat quæ, de hoc argumento, scripserat Ludovicus, additis insuper e penu sua exemplis, monitionibusque juventuti erudiendæ valde proficuis; nam Laurentius putabat magis com-

mo-

moda esse pueris quæ de hac materia tradiderat Vives, quam ea quæ Erasmus ad finem copiæ suæ protulerat.

Anno M. D. XXXI. Ludovicus Vives convenit nobilissimum, et eruditissimum Principem Franciscum Bovadillam, Burgensem Episcopum, et Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Linguæ Græcæ in Academia Salmanticensi Professorem, et Gymnasiarcham, majorumque suorum imaginibus, linguarum eruditarum cognitione, optimarum disciplinarum studiis, doctorum virorum patrocinio, et integritate vitæ longe clarissimum; Salmanticæ etiam navavit operam Jurisprudentiæ, adjutus peritia linguarum Latinæ, Græcæque; postea vere, capite redimito infulis Cauriensibus, Hebraicis litteris incubuit, accito Alfonso Zamora celebri Professore Complutensi, uti apud Franciscum Vallesium legitur; quo in studio, et munere imitatorem habuit Joannem a Ribera, Archiepiscopum Valentinum, postremis annosæ vitæ suæ annis, ductoribus Joanne Mingues, Græco sermone, et Ludovico Ballistario, Hebraico.

Illi Sapientissimo Principi Ecclesiastico, debent amatores Plinianæ lectionis Observationes Præceptoris sui Pintiani, quibus etiam nobilissimis discipulis, æternam laudem sibi comparavit duabus nuncupatoriis ab institutore profectis, quibus ille Amplissimus vir de suo penu rescripsit: dixitque ei Nonius, inter alia, quod lucem nobis præfert ut conspiciamus cur Vives amplissimum hunc virum coluerit: „ Quo nomine, quantum vita ipsa doctorumque „ omnium universitas magnitudini tuæ debitura esset, in aperto „ est apud omnes, qui vel parvis sacri hujus mysterii initiati sunt; „ debet nunc certe quantum nemini alii ex Hispaniæ principi„ bus, tum ob bonam utilissimæ rei partem tuo ductu atque im„ perio confectam, tum ob patrocinium litterarum, quod a cæteris „ fastiditum, et in totum repudiatum, a Te avidissime susceptum, „ non constanter modo, sed pertinaciter etiam tueris:::: Jure, „ igitur, ac merito omnes, ad quorum notitiam tuarum laudum fa„ ma pervenit, stupescunt admiratione tam inauditæ incredibilis„ que audaciæ: unus enim, ac solus, quod festivissimus Poëta ait:

Temporibus malis ausus es esse bonus.

Ferdinandus Nonius Pintianus denique finem imposuit epistolæ hisce verbis: „ Summa enim tua munificentia, et larga manu, no-

„ bis hæc ocia facis, oleumque, ut dici solet, et impensas ad hæc „ elucubranda, et in communem utilitatem invulganda suppedi- „ tas. „ Pro certo habeo munificentissimum hunc Præsulem eodem modo se gessisse erga Petrum Ruam, Franciscum Vallesium, Alexium Venegam, Hieronymum Zuritam, Joannem Vasæum, Florianum Ocampum, Petrum Hieronymum Fernandez ab Aponte, Alvarum Gomezium, Joannem Paes a Castro, et Ludovicum Vivem, qui eum vidit partim Bruxellis, et partim Lovanii, illumque cognovit perstudiosum esse, cùm aliarum bonarum Artium, tum facultatis bene dicendi, ut per eam, perque Philosophiam, aditus illi aperiretur ad tractandam rem Theologicam pro dignitate: bonus hic pastor, magnâ concionum perseverantiâ, gregem curæ suæ demandatum, a vitiis turpitudinibusque avocabat, et ad probitatem sanctimoniamque morum traducere conabatur.

Amplissimus hic Princeps, tot nominibus commendabilis, libellum supplicem obtulit Philippo Secundo, Hispaniarum Regi, et dum maculam suæ familiæ inustam abstergere contendit, alia plurima stemmata, eaque præcipua inter Hispaniensia, fœdata annotavit, et adeo aversis animis accepta fuit hæc scriptiuncula, ut *Titionem Hispaniæ*, merito suo audiat, et etiamnum, manu exarata, delitescit in scriniis curiosorum hominum: Andream Schottum credo de hac schedula loqui in *Bibliotheca Hispaniæ, volumine 3. pag.* 544. *Scripsisse fertur; at studio pressisse illustrium Familiarum, quarum studiosus erat, genealogias.* Petrus Hieronymus Fernandez ab Aponte litteris ad Hieronymum Zuritam dixit: *El Ilustrisimo Cardenal Obispo de Burgos, èl solo, i no hai otro sino èl, que con verdad se pueda decir favorecedor de virtuosos, i de los que se han dado a èste genero de escrivir, i es cosa de lastima ver quan poco se dan, por lo que se avian de dar mucho.*

Tali tantoque viro nuncupavit Ludovicus Vives anno M. D. XXXII. tres libros *De Ratione dicendi*, qui auctoris sapientiam ostendunt, ob eosque annumerandus est in grege Rhetorum methodicorum; inter opera Viviana nullum erat difficilius intellectu quam hi tres libri *De Ratione dicendi*; concinnati enim sunt exemplis scriptorum antiquorum classicorum, et absque eorum cognitione accidet lectori quod Giberto in opere Gallico *de Magistris Eloquen-*

quen-

quentiæ, cui hoc opus visum fuit verum chaos, in quo impossibile putabat discere regulas hujusce Artis, nisi aliubi discerentur, ideoque optimo consilio factum est in hac postrema collectione Valentina omnium operum Vivianorum, ut loci prolati insignium, et classicorum scriptorum, recusi sint litteris Italicis, vulgo *de cursiva*, et Valentinè *de lletra chafadeta*, ut lector facilius possit super effata meditari, et mentem auctoris assequi absque offendiculo: Gibertus vero melius censuisset, si dixisset decem fuisse, qui de Arte Rhetorica sapientius quam cæteri scripsère, Plato in Gorgia, Aristoteles, Demetrius vulgo Phalereus, Quintilianus, Antonius Nebrissensis, Benedictus Arias Montanus, Petrus Joannes Nunnesius, Antonius Lullus, et Joannes Ludovicus Vives.

Hujus Libri *De Ratione dicendi* editi fuere Lovanii ex officina Burgeri Rescii pridie Iduum Septembris 1533. in 8. itemque Basileæ apud Robertum Winter 1537. etiamque Coloniæ apud Gymnicum. Doctissimus Aubertus Miræus in Joanne Ludovico Vive ait: *Adolescens Lutetiæ operam Philosophiæ dedit; inde Lovanium profectus Latinæ et Græcæ linguæ serio incubuit; ubi et libros De Arte docendi* (dicendi) *publice prælegit, et postea edidit*; si libri *De Arte* (Ratione) *dicendi* non essent ad captum juventutis studiosæ, non prælegisset eos Vives in Academia Lovaniensi; cum colophonem illis imposuit erat Brugis, anno M. D. XXXII. ut adnotavit ad calcem eorum; etiam cum Lovanii morabatur, tempore Quadragesimæ ibat Brugas, quia Quadragesima Lovaniensis incommoda illi erat, in oppido scilicet tam mediterraneo, ubi pisces non edebantur ex sententia, sed jam putres, et non ad stomachum illius paratos: Valentinis enim, piscis nequam est nisi recens.

Joanni Ludovico Vivi tribuitur *Philalethæ Hyperborei in Anti-Catoptrum suum, quod propediem in lucem dabit, Parasceve, &c. anno* 1533. Valentinus noster, dum se Hyperboreum fecit, præ oculis habebat Plinium, *Lib.* 4. *Hist. Nat. cap.* 12. *Pone eos montes,* (Riphæos) *ultraque Aquilonem, gens felix, si credimus, quos Hyperboreos appellavere, annoso degit ævo, fabulosis celebrata miraculis*: Philalethæ, sive amatoris veritatis, nomen, optime quadravit Ludovico nostro cui aptari potest illud Lucretii:

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Cujus et extincti, propter divina reperta,
Divolgata vetus jam ad cœlum Gloria fertur.

Opus istud exaratum fuit a Vive adversus divortium Henrici VIII; ignoratur an *Anti-Catoptrum* ibi promissum, cujus hæc scriptio est præliminaris, excussum sit; idem Ludovicus scripsit Henrico Brugis 13. Januarii anni 1531. „Sciscitaris Academiarum sententiam „de loco illo Levitici: *Frater non ducet Uxorem Fratris*: quid res„pondeant eruditi nescio; quid respondere oporteat, scio; de quo „libellum, cum in Britannia essem, rogatu Cardinalis Eboracen„sis (Thomæ Wolsæi) composui, quem, quia incertus sum an „legeris, visum est in præsentia ad Majestatem tuam mittere:„ Ex his verbis apparet Ludovicum nostrum subvereri artes Politicas ambitiosi Wolsæi: an hæc scriptio eadem fuerit ac supra laudata prorsus nescio.

Anno M. D. XXXIV. edita fuit Lovanii *Descriptio Temporum et Rerum Romanarum* Joannis Ludovici Vivis sub Joannis Warsenii nomine paucis immutatis, quam ei tribuit Valerius Andreas Taxander in *Catalogo Clarorum Scriptorum Hispaniæ*: Guilielmus Simon, typographus Antuerpiensis, in epistola nuncupatoria viro nobilissimo Ludovico ab Avila, et Stunnica, præfixa Farragini Epistolarum Vivianarum editæ anno 1556. ait: *Ego haud cunctatus accingor, præcipue cum paullo post eâdem manu scripta mihi offerretur ejusdem auctoris Descriptio Temporum, ac rerum Pop. Rom.*

Alphonsus Idiaqueus, Carolo Quinto a Consiliis et ab epistolis, amicissimus fuit Joanni Ludovico Vivi; et cum in munere suo litteras scribendi vellet eum juvare, ne dicam instituere, inscripsit ei librum *De Conscribendis Epistolis*, in quo non solum tyrones, sed et provectiores etiam, habent unde proficiant; editusque fuit, cum Erasmi Roterodami compendio ejusdem argumenti, anno 1536. et Coloniæ apud Gymnicum, etiamque apud heredes Arnoldi Birchmani 1573. in 8.

Franciscus Joannes Bardaxinus, doctissimus humaniorum litterarum Professor in Academia Valentina, edidit: *De Conscribendis Epistolis librum unum. Valentiæ ex typographia Joannis Mey*, 1564. 8.

8. et epistolâ nuncupatoriâ hujus tractatus inter alia ait: „Cum „enim Erasmum in manus sumo, non possum satis mirari cur „vir eruditissimus in eo opere, quod sine methodo conscripsit, „tam late voluit vagari: Lodovicus Vives, dum brevis esse voluit, „adeo rem obscuravit, ut nemo possit conjectari eum ad Episto-„las scribendas præcepta tradere voluisse.„

Sed tamen Joannes Nicolaus Funccius, in *Exercitationibus Rhetoricis de Stilo Latino*, scripsit: „Ex omnibus, quotquot de Conscribendis Epistolis Latinis scripserunt, legi merentur triumviri, „etiam conjunctim editi, Erasmus Roterodamus, Ludovicus Vi-„ves, et Conradus Celtes.„

Verumtamen, pace doctissimi Bardaxini, dicam eum non assecutum fuisse scopum operis Viviani, quem paucis exponam: facetissimus ille sanio, Michaël Cervantes, cum Præfecturam Sanctianam insulæ Baratariæ describeret, more suo, dixit: *Alborotose el Dotor* (Pedro Rezio de Agüero, natural del lugar de Tirteafuera) *viendo tan colerico al Governador, i quiso hacer Tirteafuera* (vox contracta à *tirate a fuera*, *Tirteafuera*, vero, idem est ac latine *apage*, ut, in conversione Terentiana, docet Petrus Simon Aprilis, harum rerum peritus doctor) *de la sala, sino que en aquel instante sonò una corneta de posta en la calle, i asomandose el Maestresala a la ventana, bolviò diciendo: Correo viene del Duque mi Señor, algun despacho deve de traher de importancia: entrò el Correo sudando, i sacando un pliego del seno, le puso en las manos del Governador, i Sancho le puso en las del Mayordomo, a quien mandò leyese el sobrescrito, que decia asi: A Don Sancho Panza, Governador de la Insula Barataria, en su propia mano, o en las de su Secretario: oyendo lo qual Sancho, dixo: ¿Quien es aqui mi Secretario? I uno de los que presentes estavan respondiò: Yo, Señor, porque se leer, i escrivir, i soi Vizcaino: con esa añadidura, dijo Sancho, bien podeis ser Secretario del mismo Emperador*: Non hæc aptari debentur Alphonso Idiaqueo, magnis laudibus ab Historicis ornato, maximeque à Vive, cujus opusculum *De Conscribendis Epistolis* tamquam liber formularum quodammodo considerari debetur; videtur mihi Idiaqueum, cum fuit munus scribendi Cæsaris litteras assecutus, sermonem Latinum adhuc nescisse, nam Ludovicus, ea comitate, qua decebat, dixit ei: „Quum instituerem, „Idia-

„Idiaquee, opusculum *De Epistolis Componendis* (in operis inscrip-„tione substitutum fuit *De Conscribendis Epistolis*) edere, quarum „permagnus est usus in omnes vitæ partes, (qui in septentrionali „plaga degunt, sermone Latino in eis scribendis familiariter utun-„tur) visum est mihi tuo nomini inscribere; non quòd his meis „præceptis ipse indigeas, qui Præceptores facultatis hujus ac du-„ces, habes Ciceronem, et Plinium, quorum vestigiis felicissime „insistis magna cum admiratione omnium qui sciunt quam bre-„vi tempore, quod in Latinis litteris concupieras, sis assecutus."

Elisabetha Catholica, excelsi animi Princeps, jussit ut Aulici Latinis litteris imbuerentur, qua de re Lucius Marineus Siculus libro primo Epistolarum sic ei scripsit: „Posteaquam Regiæ tuæ „Majestati, Regina excellentissima, placuit ut qui Tibi Sacris in „rebus, et Divinis Officiis inserviunt, quique degunt apud Te no-„biles omnes adolescentes, a me bonas Artes, atque Latinam lin-„guam docerentur."

Neque intra hos limites continuit se sapiens illa Elisabeth, nam ut Moniales, et Virgines Deo dicatæ sapienter uti callerent divitiis cœlestibus sermone Latino contentis, jussit Antonio Nebrissensi ut scriberet Introductiones Latinas collatas cum lingua vulgari Hispana, quæ anno 1773. recusæ sunt Madridii: laudatus Marineus *Libro* 7. *epistolar.* scribens Antonio Roncionio, dixit: „Ego namque plures annos inter Hispanos commoratus, „facilius profectò Martis quam Apollinis officium præstare pos-„sem; Hispanis enim, paucissimis exceptis, nullum est cum Musis „commercium; omnes, si mihi credis, hujus nationis homines, „qui litterarum studiis temporis aliquid impendunt, non amore „Minervæ, sed Mercurii, litteras addiscunt, lucro siquidem, non „sapientiæ student." Detecto scopo libri Vivis *De Epistolis conscribendis* (*componendis*) videamus nunc qualis fuerit scopus quem Franciscus Joannes Bardaxinus, secundæ classis studiorum humaniorum Præpositus in Academia Valentina, habuit in elaborando opusculo, vere aureo, *De Conscribendis Epistolis.*

Doctissimus Andreas Schottus, de Hispania optime meritus, vol. 3. *Bibliothecæ pag.* 611. ait: „Petrus Joannes Nunnesius, ho-„nestis parentibus natus Valentiæ: quæ Urbs Hedetanorum, Pro-

„vin-

„ vinciæ Citerioris Hispaniæ, ad internum mare sita, præstantium „ ferax est ingeniorum quæ et acumine, et facundia ceteris non „ concedant, atque etiam Latinâ eloquentiâ superent: sic etiam „ Academia inter quatuor Hispaniæ principes, post Compluten- „ sem, ubi Theologia viget, Salmanticensem, ac Conimbricensem „ unde Jureconsulti fere existant. „

Caussam hujusce gloriæ litterariæ aperuit idem Bardaxinus, epistolâ dedicatoriâ Senatoribus Valentinis, et Rectori Gymnasii, hisce verbis: „ Cum igitur Consules prudentissimi qui tum Rem- „ publicam gubernabant, de consilio Senatûs, et eorum hominum, „ qui varias Scholas vidissent, usum, et prudentiam delegissent, (Suspicor hîc intelligi debere Joannem Ludovicum Vivem, qui omnem ætatem egerat in Academiis Parisiensi, Lovaniensi, et Oxoniensi, et epistolam *De Componenda Schola*, gratia Patrum juratorum Senatus Valentini, sermone patrio exaraverat) „ univer- „ sum puerorum, et adolescentium numerum in septem ordines, „ aut potius Classes, esse distribuendum, contemtâ priori illa dis- „ ciplinâ, septem duces (*scilicet, professores*) Classibus præfecerunt; „ unicuique sui sunt milites attributi, ut cum quisque ea omnia, „ quæ in sua Classe traduntur, optime tenuerit, ulterius progre- „ diatur, et quasi per gradus tantum ascendat, donec suprema „ Classe tamquam ex arce Minervæ, optime instructus, ad alias „ Disciplinas commode possit convolare. „

Hæc Bardaxinus scripsit non solum Consulibus Valentinis, Gymnasii Patronis, sed etiam Rectori doctissimo Joachimo Mijavilæ, quem ridiculum voluit facere male tornatum ingenium Gasparis Gravii a Montemajore, Grammatici maledici in omnes Professores Valentinos, hisce verbis:

La grossa anguila
De Mijavila;
Ques diu ques cast,
E home bast
En Sermonar,
Com sol cridar,
Avalotant,
E palmejant

Per eixes trones,
Espanta dones;
Gran plorador,
E guardador
De la moneda;
Esta vereda
No vol seguir,
Per precebir.

Mi-

Mijavila noluit comitari pompam Academicam equestrem, Philippi Regis salutandi gratiâ, in ædibus Regiis trans Turiam inter Professores, quia antea fuerat Gymnasii moderator quo munere tunc fungebatur Blasius Navarrus, sale etiam perfrictus a Gravio; sed elogio ornavit eum Laurentius Palmyrenus in *Oratione post reditum* habita in Academia Valentina.

Hæc distributio puerorum in Classes decreta fuit a Senatu Valentino, adstantibus Andrea Semperio, et Laurentio Palmyreno, ut hic scripsit in Discursu præmisso *Latino Extemporali* (*el Latino de repente*); et hoc Senatusconsultum in usu Academico esse cœpit anno 1562. uti legitur ad calcem hujusce operis, in quo auctor præscripsit juventuti Valentinæ: *Orden de leer a Cæsar*: idemque Palmyrenus die XIV. Kal. Novembr. ann. 1561. Orationem habuit in hac Academia in laudem distributionis puerorum in Classes, quæ legitur in ejus *Campis Eloquentiæ*.

Bardaxinus Præpositus fuit secundæ Classis canonum conscribendarum epistolarum, sicque necesse erat ei pueros instituere regulis, et præceptis, non formulis, uti propositum fuerat Vivi; puto Petrum Joannem Nunnesium, Professorem Studii generalis, exarasse, et edidisse in eundem pensum, opusculum captui puerili accommodatum, cui titulum fecit: *Ratio brevis, et expedita conscribendi genera Epistolarum illustriora*: editum Cæsaraugustæ, apud Michaëlem Eximenum Sanchez, 1596. 8. et Valentiæ apud Philippum Mey, 1607. 8. etiamque, *Formulæ illustriores ad præcipua genera Epistolarum conscribenda, simul cum præceptis quibus fere uti solet M. Tullius Cicero*, quæ M. S. asservantur in Bibliotheca Majansiana.

Agesilaus Palmyrenus, Laurentii filius, etiam fuit huic secundæ Classi Præpositus, et ad erudiendos discipulos recudit paternam *Dilucidam conscribendi Epistolas rationem*, a filio auctam, ediditque Valentiæ, apud viduam Petri Huete, anno 1585. in hoc opusculo Laurentius conatus fuit sequi vestigia Ludovici Vivis in opere: *De Conscribendis Epistolis*: sed passibus anilibus processit; de Agesilao cecinit dicacissimus Gravius:

Yà sentremet	*Que tot li cau*
Agesilau,	*Si nol saber.*

Pia-

Piaculum esset silentio præterire quod Bardaxinus memoriæ commendavit, cùm et valde utile juventuti Academicæ erudiendæ fuerit, et tandem duobus sæculis transactis nostris temporibus in exemplum venerit: „ Cùm jam nihil præter paucula quædam „ nostris Classibus deesset, quorum erat præcipuum ne Magistri „ in dictanda Prælectione totum diem perderent, de consilio universi Senatus decretum est, ut ego, qui in hac secunda Classe „ conscribendarum Epistolarum canones cum magna temporis jac- „ tura auditoribus meis dictabam, typis excudendos curarem; ut „ quæ adolescentes prave scribebant, emendatius legerent, et totum „ tempus, quod in excipiendo consumerent, in repetendo, et me- „ moriæ mandando, multo utilius collocarent. „ Juratorum Patrum Valentinorum Senatusconsultum fuit valde maturum, et superioribus annis tamquam novum negotium agitatum fuit apud Nostrates instituta majorum ignorantes.

Adornare omnibus decet Parentes Patriæ de studiis optime meritos elogio vix noto doctissimi viri Petri Ximeni, Medici Professoris Valentini, in Dialogo *De Re Medica*, edito Valentiæ, per Joannem Mey Flandrum, anno 1549. in 8. quod sic se habet in epistola nuncupatoria inscripta Petro Lozano, Serenissimæ Principis Mentiæ a Mendoza Archiatro: „ Nec mirabere quòd me, „ præ cæteris, hæc nostra florentissima Valentina res (Academia) „ habeat solicitum, quandoquidem Magistratus incredibilis virtus, „ vitæ integritas, summa in rebus quantumvis arduis gerendis pru- „ dentia, atque liberalitas propensissima in provehendis, illustran- „ disque politioribus litteris, atque litteratis omnibus, me suum „ clientulum summà benevolentià, ac peculiari quodam affectu, ac „ patrocinio semper sint prosecuta; quòd vel hinc facile conjicies, „ quòd restitutâ verâ veterique methodo disserendi, (Dialecticam „ vocant) summa cum laude, et gloria nominis Valentini, quòd „ inter Hispaniæ celeberrimas prima resipuerit, ut operæ pretium „ fuit, studio erga Medicam Facultatem propensissimo, ubi pri- „ mum subolfecit ordinis rationem in Tradendis Disciplinis (¿num „ Vivis nostri in epistola vernacula *De Componenda Schola*?) om- „ nibus Liberalioribus multi esse momenti, tertiam Medicam lec- „ tionem perpetuam instituit, mihique, etsi tantæ provinciæ, tan-

» tique officii et patrocinii immerito, committi voluit, ut inde, » quemadmodum fit Lutetiæ, (ubi Ximenius operam dederat Arti Medicæ sub Jacobo Silvio, et Lovanii sub Rainero Gemma Frisio, Pataviique sub Andrea Vesalio) » atque felicissime occepit » in hac nostra Academia inter Dialecticos, sint quotis annis Me- » dici Professores, qui Artis rudimenta doceant Medicinæ candi- » datos, et qui in solidioribus versentur, hoc est, secunda Artis » parte, et qui jam adultos ad opus Medicum tertio loco (*Pra-* » *xim* vocant) rapiant, ac manu ducant, qua re nescio quid di- » ci possit e Republica magis, quid excogitatum prudentius, et » deliberatum opportunius. »

Quo in statu essent eruditorum virorum negotia illis temporibus, norunt qui eum introspexerunt; mirandum igitur non est si Ludovicus Vives scribens Desiderio Erasmo X. Maii ann. M. D. XXXIV. ei dixerit: *Tempora habemus difficilia, in quibus nec loqui, nec tacere possumus absque periculo*; *capti sunt in Hispania Vergara, et frater ejus Tovar, tum alii quidam homines bene docti*; *in Britannia Episcopus Roffensis, et Londinensis, et Thomas Morus.* Inter homines bene doctos in Hispania captos, digitum intendit in Joannem ab Avila, cognominatum Apostolum Bæticum, qui hoc anno M. D. XXXIV. in carcerem detrusus fuit, uti narrat Didacus Ortizius ab Stunnica in *Annalibus Hispalensibus*: de ejus captura videatur tomus sextus operum doctissimi Pontificis Maximi Benedicti XIV. editionis Romanæ: Andreas Schottus in *Bibliotheca Hispaniæ*, *vol.* 3. dixit de hoc viro Apostolico: *Vincula pertulit, et carceres, calumniis æmulorum circumventus, sed innocens suffragiis Censorum Fidei declaratus.*

Joannis Vergaræ captura fuit mense Aprili; fuerat ab epistolis Cardinali Cisnerio, et Archiepiscopo Toletano Fonsecæ; quis fuerit frater ejus Tovàr, mactatus eodem infortunio, indicare volo: Tunc temporis in Castella fratres, etiam germani, diversis nominibus utebantur, paternis, maternis, vel avitis; qui mos observari potest in familia nobilissimi viri, atque Poëtæ Garsiæ Lassi a Vega: libro quarto decimo Epistolarum Lucii Marinei Siculi sunt litteræ Alfonsi Seguræ Joannio Vergario, in quibus e Salmantica scripsit: » Quo fit ut cum Bernardini Tovarii mores singulares, si-

» mul

„mul et ratio professionis, me in amorem sui commoverint, adeo „ut, firmatâ jam amicitia, nihil putem magis suave unius Fratris „tui dulci consuetudine.„ Et in alia epistola dicit Segura Vergaræ: „Hoc unum minime negabo, humanarum litterarum nemi„nem fuisse amantiorem me uno; sed quia didicit tantum lau„dare dives avarus, neque ex his studiis, nisi aut siccum petasun„culum, aut vas pelamidum, hoc tempore sperare licet, fuit con„silium ad Leges transmigrare, quæ me, per hos tres annos, dul„cia, et consueta studia vix aliquando legere passæ sunt, hodie „vero, ne puncto quidem temporis respirare concedunt, non so„lum ad ea respicere; ita totum animum comprehendunt: hujus „rei est optimus testis noster Tovàr, qui contubernalis est, et „studiorum comes.„ Et Joannes Vergara Compluti, ubi Philosophiam profitebatur, IX. Kal. Februarii M. D. XII. rescripsit Alfonso Seguræ: „Hujus rei, testis erit locupletissimus, meus Tovàr, qui „Academiæ hujus olim alumnus, ejus instituta et mores probe „novit.„

Adeo benemeritus cum fuerit Joannes Vergara de nostro Ludovico Vive, visum mihi fuit carmina inedita, lectori, harum elegantiarum amanti, offerre, quæ Alvarus Gomecius a Castro, et Alphonsus Cedillus in tanti viri memoriam panxere.

IN VERGARÆ FUNERE.

Judicii exemplum rari, grandisque cothurni,
Te Natura dedit, te quoque sæva rapit;
Id timuit, tua dum cunctis oracla petuntur,
Ne, spreta in terris, nomen inane foret;
Invida, quid trepidas? tua magna potentia, vivo
Vergara, steterat, nunc moriente, ruit.

Musas qui colitis, dolete cuncti:
Vergara ad Superos volans, reliquit
Mœstos laurigeri chori ministros:
Parnassi cecidit nitens columna,
Cujus non poterunt locum replere

Quotquot posterius dabit nepotes
Infelix Helicon: dolete cuncti:
Toletum doleat, Tagusque tristis,
Nigros, aut nitidos vehat lapillos,
Amittit rutilum suum nitorem:
Egentes juvenes, viri, senesque,
Innupta, et viduo relicta lecto,
Orbæ præsidio, dolete cuncti.

Qui nunc non es, eras, fuit et quæ gloria tantum est.

Magister vero Alphonsus Cedillus, anno ætatis suæ LXXIII. in Vergaram ita scripsit:

VERGARÆ corpus jacet hîc, adscendit ad astra
Præfulgens meritis mens fruitura Deo.

Inter maximas animi dotes, quibus Joannes Ludovicus Vives ornatus fuit, eminet pietas minime fucata, et vere Christiana; cumque semper præ oculis haberet hoc unum necessarium, composuit sibi libellum, quem, quo tempore existimasset opportuno, communem multis faceret: Christophorus Mirandius habuit apud Vivem amplam atque honorificam mentionem Joannis Barrosii, Regi Lusitaniæ a negotiis Indicis: in *Scaligeranis* pag. 323. legitur: *Portugalliæ Rex mercimonia exercebat*: hodie per societates non aliter fit: mirandius commendavit Vivi Barrosum mirum in modum ob nobilitatem generis, ingenium, eruditionem, et probitatem, quæ Vives, ex opusculo quodam Barrosi Lusitaniâ linguâ scripto, facile perspexit: iste liber est ille cui Barrosus titulum fecerat: *Rhopica Pneuma*, sive, *Mercadoria Espiritual*, editus Olisipone anno 1532. in 4. estque Colloquium inter Mentem, et Voluntatem: hic est Joannes Barros, rerum Indicarum celeberrimus Scriptor, cui erga Vivem erat studium summum, et prope singulare, et ideo hic nuncupavit ei Antuerpiæ, mense Augusto, anno M. D. XXXV. *Excitationes Animi in Deum*, in quibus continetur *Præparatio Animi ad Orandum*, et *Accessus ad Orandum*; Lugduni ex officina hered. Symphoriani Beraud 1619. 16. et antea Basileæ anno 1543. in 16. cujus titulus in editione Antuerpiensi 1535. in 16. sic se ha-

habet: *Joannis Ludovici Vivis, Valentini, ad animi exercitationem in Deum Commentatiunculæ.* Et ibi reperitur: *Præparatio Animi ad orandum: Commentarius in Orationem Dominicam: Preces et Meditationes quotidianæ: Preces et Meditationes Generales.*

Nihil frequentius inter homines quam a Deo optimo maximo petere quod sibi non expediat; non cum matre filiorum Zebedei hoc malum sepultum fuit; huic damno nullum pharmacum præstantius quam *Oratio Dominica*, quâ Magister noster Jesus Christus docuit nos quod omnibus nobis utile, et proficuum est; in hanc Precationem scripsit Joannes Ludovicus Vives, *Commentarius*, solidissimâ doctrinâ refertus, uti convenit precationi quæ attente recitanda et meditanda est ab omnibus: Didacus de Ortega, Burgensis, dedit in vulgus *Comentarios para el despartimiento del animo en Dios, i Glosa sobre el Padre nuestro de Luis Vives. Burgis apud Joannem Juntam*, 1593. *in* 8.

Ex hoc perenni studio pietatis ortæ fuerunt *Preces, et Meditationes Diurnæ*; ita ut nihil in vita humana agendum sit quin Deus, qui omnia circumtuetur, tamquam præsens, uti re vera est, habeatur; ex qua cogitatione etiam originem duxerunt *Preces, et Meditationes Generales*, quas Vives exaravit Brugis, anno M.D. XXXV. et editæ fuerunt Basileæ apud Winter 1540. Has Gallice vertit Godefridus de Billy, Parisiisque edidit apud Claudium Fremy 1570. in 16. nec non et Petrus de Lancrau, qui postea fuit Episcopus Lombariensis in Provincia Tolosana, testibus Sammarthanis fratribus, in *Gallia Christiana.*

Annus M.D.XXXVI. emortualis fuit Desiderii Erasmi Roterodami, Ludovici Vivis amici, qui eum tamquam Præceptorem coluit; Joannes Genesius Sepulveda elegans, et candidus Scriptor *De rebus gestis a Carolo V.* sic de eo scripsit, Lib. xv. „Hoc anno (1536.) mense Julio (iv. Eid.) Desiderius Erasmus Roterodamus Basileæ decessit, cum vixisset annos circiter septuaginta, „vir eloquentiâ, et multarum rerum cognitione clarus, acri ingenio, et copioso, arguto, et supra quam credi potest festivo, cujus nomen diu, dum viveret, adeo fuit multorum vocibus celebratum, ut homines nihil nisi de Erasmo loquerentur; utique „trans Alpes; nam Itali non tantopere ejus vel doctrinam, vel

„elo-

„ eloquentiam demirabantur: plurimos libros edidit, partim suos, „ suoque Marte lucubratos, partim alienos sacrorum Auctorum, „ Sanctorumque Patrum, a se diligentissime correctos, ac pruden- „ ter emendatos, nonnullos etiam doctissimis scholiis enarratos: „ quibus rebus id erat assecutus, ut de litteris non modo profa- „ nis, sed etiam sacris, ac litterarum studiosis, optime meritus esse „ videretur, si de rebus Sacris, ac eorum Ministris, majore adhi- „ bita reverentia temperatusque disseruisset, nec rebus Sacrosanc- „ tis jocos, et ludos miscuisset, postremo si periculosis suspicioni- „ bus serendis abstinuisset; quæ mala multi viri graves, eruditi, et „ religiosi, non dubitaverunt seminaria Lutheranarum insaniarum „ fuisse confirmare; de qua hominum opinione Erasmum in *An-* „ *tapologia pro Alberto Pio* ipse certiorem feci, et amicè etiam per „ litteras monui, ut suorum scriptorum ancipitia loca definiret, „ dubia, et obscura declararet, omnique ratione sibi, suisque li- „ bris, consuleret, et posteritatis rationem duceret, quasi divinans „ fore id quod accidit, ut eo mortuo librorum ejus lectio Ca- „ tholicæ Fidei cultoribus interdiceretur „ scilicet, in Indice Romano jussu Pauli IV. confecto: Patres autem a Concilio Tridentino, conficiendo novo Indici, delecti, mitius cum illo agentes, eam censuram temperarunt.

Conveniunt cum his quæ Sepulveda exaravit, et egit, ea quæ a Ludovico ipsi Desiderio dicta fuere magis aperte: nam anno 1522. 19. Januarii scripsit illi e Lovanio: „ Voluissem, quum „ hîc novissime fuisti, mecum esses collocutus; narrassem tibi quæ „ audivi, etsi ea ipse nec vera esse puto, nec verisimilia, sed ut „ magis quorundam animos haberes exploratos, quos tibi incog- „ nitos non esse sat scio, et quæ forsitan si ex me audisses, mi- „ nus nunc rumoribus istis, quos in Germania quoque dissipatos „ scribis, moverère; Lutherianum te hîc existimari certum est; „ sed ab eisdem, quos ipse quum adesses, non ignorabas si quid „ esset odii, et invidiæ plenum, tibi solitos impingere; nec faci- „ liorem viam existimant minuendæ famæ, atque existimationis „ tuæ, quam si te cum Luthero conjungant; qui hæc conantur, „ non sunt illi quidem multi, sed assiduo clamant, et inculcant, „ nihilque omittunt quod ad hoc persuadendum putent facere,

„ et

„et maxime vellent persuasum Cæsari, ac Principibus; tametsi „hoc, quantum intelligo, non aperte agant, neque directe, sed „oblique, et per occasionem: in Aula sunt Theologi aliquot Pa„risienses; hi quod in te probant solum est, quod de Luthero „semper te pronunciasse dicunt ambigue.„

Qui sensum hujus epistolæ perpendet, mentem Vivianam simplicem prudentemque introspiciet, minimeque aurem admovebit Heriberto Rosweydo, in Isaacum Casaubonum scribenti, et de Roterodamo, et Valentino loquenti hisce verbis: „Erasmum secutus „est Ludovicus Vives; Scaurus Varum; Superbissimum est sane cri„ticum supercilium, quod non litteris Sacris auctoritatem, non Pa„tribus novit venerationem commodare.„ Cardinalis Bona, vir deditus pietati, fortasse acri hac insectatione Rosweydi permotus, aliorumque relatu, aliquid simile de Vive dixit; sed Vivis modestia, pietas, animique demissio, iis qui ejus scripta pervolutarunt notissima sunt.

Insistit Vives, narratque Erasmo, etiam accusatum esse a quodam Monacho quòd in Hispaniam scripserit; sed idem Desiderius *de utilitate colloquiorum* dixit: *Insulsas calumnias, quas in Hispaniis objecere quidam, ostendunt mera esse somnia hominum nec sobriorum, nec Latine scientium.* Et Vives de eodem Cucullato loquens, Litteris exaratis Brugis Kal. April. 1522. renuntiavit Erasmo: *De Monacho nigro doleo te tam sero in sententiam meam venisse; illud verissimum est: VITANDUM AMICUM, QUI OBESSE POTEST, PRODESSE NON POTEST.*

In eadem Hispania erant qui libros Erasmi in pretio habebant, quod Vives ei nuntiavit 16. Junii 1524. e Brugis: „Salu„taris a Claymondo; et fere illâ Academiâ nihil audivi multis „diebus gratius, quam opera tua nostris quoque Hispanis esse „cordi; spero fore, ut illis, et similibus assuefacti, mansuescant, „exuantque barbaricas aliquot de vita opiniones, quibus, acuta „quidem ingenia, sed ignoratione humanitatis sunt imbuta, quas „alii aliis, velut per manus, tradunt.„

Inter Erasmi opera non postremum locum obtinent Epistolæ; in iis enim elucet tota ejus vita, ejusdem patet ingenium, mores, eruditio, animique dotes; qui eum de facie noverunt narrarunt il-

illum fuisse ingenii simplicis, adeo abhorrentis a mendacio, ut puellus etiam odisset pueros mentientes, et senex, ad illorum aspectum etiam corpore commoveretur, qui, cum adolevisset, institutum Canonicorum Regularium Ordinis B. Augustini in Monasterio Stein prope Goudam diu professus, et novennio post sacris initiatus; Erasmus monachus monachos insectatus fuit, sæpe falsus; amicis tamen diffidere non poterat, ideo admonebat eum Ludovicus noster scribens ei e Lovanio: » Qui hîc te Lutheria- » num vocant, et qui in Germania minime Lutherianum, utrique » iidem sunt, et eandem rem agunt; sed pro qualitate, et theatri, » et spectatorum, mutant personam, in invidiam tamen conantur » trahere, et munitum omni alia parte hâc tentant invadere. » Eandem rem scripsit Desiderius Montiojo more suo: » Germani » fremunt in me, quod adverser Luthero; et istic, ut video, sum » Lutheranus; ita veluti Mercurius quispiam versatilis, alius sum » hîc, alius istic. »

Sed audiamus Ludovicum Vivem suadentem Erasmo suorum operum recognitionem, et editionem, e Brugis 6. Augusti 1526. » Olim ad te destinaveram scribere, sed nescio quemadmodum » excidit, ut libros omnes tuos cures, dum vivis, redactos in certos » aliquos tomos excudi; non dubito quin aliquid tibi tale in men- » tem multo antea venerit, et hoc animo moliaris; sed eo facies » celerius, cum intelliges alios quoque impense cupere; multæ sunt » tuorum operum editiones, atque impressiones; (ejus *Enchiridii* ad vigintiquatuor exemplarium millia cito distracta fuerunt, et tanto omnium plausu, ut classicorum auctorum loco, multis in scholis Erasmi opera prælecta fuerint) » si e vita discedas, ut tibi est ac » nobis omnibus discedendum, priusquam omnia collegeris, et » quæ sit postrema judicii tui mens declaraveris, quâ et te pro- » fitearis stare, et alios velis idem facere quicumque sunt tecum » sensuri, magnopere timeo ne magna sequatur operum tuorum » confusio ac perturbatio, (a quibus adhuc post editionem Joannis Clerici immunis non est) » unde periculum sit ne pereat ti- » bi tua gloria, (sed hoc fortassis ad te leve) sed certe fructus » quoque studiorum tuorum, cum hærebit lector incertus quid » demum ipse, vel probaris vel improbaris; nam nunc qui edi-

» tio-

» tiones distinguunt, utcumque sensum animi tui deprehendunt; » posteri vero quibus editiones separare non licebit, confundenti- » bus omnia typographis, maxima monumentorum tuorum utilita- » te frustabuntur: adde iis, quæ ut alia alio deferuntur, complura » sunt abs te edita, quorum titulos ne audiverunt quidem homi- » nes, tui nominis perstudiosi, et qui plurimum se per opera tua » profecisse sentiunt, ac præ se ferunt. »

Nec alia erat sententia Erasmi ac ea quam de ejus scriptis habebant Vives, et Sepulveda, nam in epistola ad clarissimum Baronem Guilielmum Montiojum sic scripsit: » Si quis Deus mihi » prædixisset hoc seculum exoriturum, quædam aut non scripsis- » sem, aut aliter scripsissem; non quod perniciosa scripserim, sed » quod non omnia quovis tempore recte dicuntur. »

Desiderius Erasmus maxime acceptus erat Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibusque; Ludovicus noster amabat eum ut virum amicissimum; reverebatur ut senem; venerabatur ut Præceptorem; colebatque tamquam Mœcenatem; Batavus ille Dignitatum Ecclesiasticarum, ac divitiarum perpetuus contemtor fuit; neque quidquam prius otio ac libertate habuit; Candidus alienæ doctrinæ æstimator; fautorque ingeniorum unicus, si fortuna suppetiisset, namque ille ad remunerandum nihil præter voluntatem habuit: illud nobis maxime dolendum, omne odium quo Ludovicus, et vivus, et mortuus, laboravit, fuisse ob amicitiam Erasmi, quam omnes undique illius sæculi Principes, et Eruditi, desiderarunt: quo animo Vives noster candore, ac probitate insignis, debebat esse erga Erasmum, apparet ex illis quæ anno 1519. scripserat Thomæ Moro: » De Ludovici Vivis ingenio gaudeo meum » calculum cum tuo consentire; is unus est de numero eorum qui » nomen Erasmi sint obscuraturi; nec alii tamen faveo; et te hoc » nomine magis amo, quod huic tam candide faves. ,, Tantus erat erga Vivetem Desiderii amor, qui tunc temporis,

:::: *lustrabat lampade terras.*

Nec solus Vives inter Hispanos Erasmi partes protexit, nam idem etiam præstitit Carolus invicti animi princeps, aliique viri conspicui doctrinâ, ac pietate, præsertim in congressu Theologico Pintiano de ejusdem lucubrationibus, quorum nomina reperiun-

tur laudatis jam a nobis litteris Ludovici nostri, ad Desiderium scriptis Brugis, festo Margaretæ 1527. ubi inter alia ait: *Tuetur Ludovicus Coronel, adest Canariensis Episcopus, et alii aliquot*: Hic erat clarissimus vir Ludovicus Cabeza de Vaca, Caroli V. Propræceptor, ab avo Imperatore Maximilliano designatus; ille vero fuit valde laudatus ab Erasmo in Epistolis tamquam *Theologus absolutissimus*, etiamque a nostro Vive in Commentariis ad Augustinum *De Civitate Dei, Lib. 13. cap. 24. Horum* (bibliorum Complutensium) *Pentateuchum accommodavit mihi eximius sui ordinis vir, Ludovicus Coronelus, theologus, passusque est se libro in primis sibi necessario* (in adipiscendo sensu hebraico sacrorum voluminum) *tamdiu carere, dum publicæ utilitati, cui hoc, quicquid est operis, a nobis elucubratur, serviret.* Theologus iste carus Erasmo, ac Vivi, erat Ludovicus Nuñez Coronel, Antonii frater, de quibus videndus est Didacus Colmenares, in *Scriptoribus Segobiensibus*: Alfonsus Garcia Matamorus opusculo *De asserenda Hispanorum eruditione*, eos vocat: *duos fratres Coronelos.*

Optimus, doctissimusque Andreas Schottus, in *Bibliotheca Hispaniæ* de Vive sic scripsit: *In Seneca emendando Erasmum adjuvit, et Adagiis colligendis*: quod iterarunt Franciscus Ortinus, in *Memoriis Historicis Universitatis Valentinæ*, et Vincentius Ximenus, in *Scriptoribus Valentinis*: Adagiorum opus jam Erasmus absolverat anno 1498. cum Vives esset sexennis; sed dum vixit, id locupletavit immensa lectione, et amicorum monitis: optimus, et eruditus Belga Aubertus, Miræus in *Scriptoribus sæculi decimi sexti*, etsi elogium Schotti transcripserit, istud silentio præteriit, credo quia ei displicuit: Desiderius Erasmus primus fuit inter Latinos Adagiorum collectores; apud Græcos clarissimi fuerunt scriptores, qui ex professo tractarunt hoc argumentum; apud Romanos vero nullus extitit, vel e turba Grammaticorum, qui simile negotium susceperit; Hispani habent optima Adagia, ut fatetur in *Scaligeranis*; hoc opus Erasmo suo tempore fuit difficillimum ob librorum classicorum raritatem, quam difficultatem superavit auxilio Bibliothecæ Aldinæ; compertum habeo illum plus laboris, operæque, huic scripto impendisse, quàm multis valde operosis ab illo Batavo susceptis: Muretus benignius et modestius loqui debuisset de im-

men-

menso illo eruditionis thesauro, præsertim cum opus illud majus sit omni obtrectatione ac livore.

Liticulam Erasmo aliquando movit Ludovicus Cœlius Rhodiginus, quasi surripuerit sibi aliqua (circa Adagia) meditata; sed non habet quòd jactet se Rhodiginus quia guttulâ unâ, vel alterâ auxerit hunc fontem ingeniorum; paucula enim sunt, quæ in ipsius opere, etsi vastissimo, *Antiquarum Lectionum*, habentur de quibusdam Adagiis.

Meliorem caussam habet Polydorus Vergilius, qui Adagiorum Latinorum librum adornavit, nuncupavitque Guidoni Ubaldo, Urbini Duci, anno 1498. in quo, die 12. Aprilis, etiam Erasmus scripsit Jacobo Batto: *Et opus Adagiorum, quantum possum, paro, statim post Pascha*, (15. Aprilis) *ut spero, evulgandum; opus, inquam, neque breve, et infiniti laboris*: Polydorus postea laborem suum dicavit Ricardo Pacæo anno 1519. ostendens se habere aliquam querimoniam de Erasmo, sed modestiâ servavit inoffensam vocem.

Etiam Claudius Verderius, nugacissimus ille veterum et recentiorum censor, ungues suos in hoc opere fixit, cui similem ille ne paginam scribere poterat; quanti faceret Ludovicus Vives hujus operis Adagiorum ostendit in Commentariis in B. Augustini libros *De Civitate Dei, Lib. 6. cap.* 7. hisce verbis: „ Quod, ut „ reliqua alia, ita et hoc accuratissime explicat Erasmus noster, in „ Adagiis suis, sive, ut Budæus vocat, in salino Mercurii, et lo„ gotheca Minervæ: *Et lib.* 3. De Tradendis Disciplinis: Ad Phi„ lologiam etiam pertinet opus Augustini de Civitate Dei, Erasmi „ Adagia: quod opus assuefacere potest lectioni magnorum aucto„ rum, ut ad eos adolescens non omnino veniat rudis, ac novus. „

Ad Senecam quod attinet, Desiderius Erasmus primus fuit qui manum, et limam ei admovit, et ideo in pretio habendus, quippe cum codicibus manu scriptis contulit, et emendavit; pro certo habeo illum auxilium abs Ludovico petiisse ad ejus scripta emaculanda, nam epistolâ exaratâ Brugis kalendis octobris anni 1528. sic Desiderio rescripsit: „ In Seneca, quæ habeo, alia ex vetustis „ sunt mihi codicibus annotata; alia judicio meo, ex eo sensu „ quem mihi videbar, partim ex verbis, partim ex propositi ar„ gumenti ratione, colligere; sed, qualiacumque sint, malo aucto-

„rem illum, legi et cognosci multo dignissimum, ex tua castiga-
„tione in Studiosorum manus venire, quàm ex mea; neque enim
„dubito quin exiturus sit dignus tuo nomine, modo ipse velis
„operi et præesse, et adesse, nec ulli alii fidas rem, in qua non-
„nulla existimationis tuæ pars vertitur, et magnus legentium fruc-
„tus; nam quomodo nunc est, nec Sibyllæ quidem ipsæ interpre-
„tentur, aut ὀνειροπόλος quispiam: Aldrisii nomen, antequam epis-
„tolam hanc tuam legerem, omnino non audieram: apud Mo-
„rum nullum vidi Senecam qui vel stigma unum haberet cor-
„rectum:„ Ex his cognoscitur quid in Seneca emaculando præs-
titerit Vives.

Critici ajunt M. Antonium Muretum invidiâ in Æquales laborasse, idque facile deprehendet qui ejus lucubrationes perspexerit intimius; idcirco contemsit Erasmi operam Senecæ impensam, et Pintiani nostri vix bis meminit, cum utriusque sæpe emendationibus usus fuerit.

Roterodami Scriptoris fama communis fuit operibus Valentini; Paullus Colomesius in *Bibliotheca selecta num.* 149. describit fragmentum cujusdam epistolæ Nicolai Clenardi inscriptæ Episcopo Joanni Petito, ab urbe Fessa, in cujus gymnasio linguæ Arabicæ operam dabat, die 4. Decembris anni 1540. *Scripsit modo ad me dominus Marchio Granatensis* (Ludovicus Hurtado a Mendoza, Marchio Mondexarensis, Alhambræ Præses, et Provinciæ Granatensi Præfectus) *Colloquia Erasmi ignibus destinata esse*; *Periclitari etiam Vivem*; *¿Quid me futurum censes ubi nomen Alcorani audiverint?* Clenardus, laudabili admodum desiderio, et exemplo, in Africam trajecerat, æstuans ardore scribendi adversus errores Alcorani Arabicâ linguâ, hoc est, patriâ eorum; in Belgium rediens, Granatæ exceptus fuit hospitio Mœcenatis sui, in eoque obiit, conditusque Alhambræ, loco editiore; Ea est Regium palatium vetus, vermiculato opere, immensis sumtibus extructum a Regibus Mauris Granatensibus; tantæ quidem magnitudinis, ut civitas potius quàm domus dici posset, tota mœnibus, turribusque cincta; Clenardus, præter Grammaticas Latinam, Græcam, et Hebræam, quæ in omnibus pene Academiis regnarunt, exaravit etiam Grammaticam Arabicam, extititque manuscripta apud doctissimum virum Joan-
nem

nem Baptistam Perezium, Episcopum Segorbiensem, cujus peritiæ in hoc sermone monumentum extare vidi in Lexico quodam Arabico manuscripto, a se adumbrato.

Burinius, anno 1757. edidit gallice, duobus voluminibus in 8. historiam vitæ, operumque Desiderii Erasmi, quæ ideo est in prætio habenda, quia est veluti quædam historia litteraria sæculi decimi sexti; de quo Batavo Scriptore, etiamsi millies actum sit, nondum tamen pro dignitate; et colophonem huic argumento imponam hoc disticho Joannis Masii in ejus mortem:

Fatalis series nobis invidit ERASMUM,
Sed DESIDERIUM tollere non potuit.

Hoc unum addam, quod lector anchorâ superiori notare debet, famigeratissimum criticum, Richardum Simonem, serio asseruisse, *novâ Bibliothecâ selectâ*, volumine secundo: Opera Viviana utiliora esse quam Erasmiana: certe, a Ludovico profecta, sunt immortalia, et nullo tempore intermoritura: Auctor vivit, vivetque per omnium sæculorum memoriam.

Cum Joannes Ludovicus Vives esset Lutetiæ Parisiorum anno M.D.XXXVI. accuravit editionem Poëtici Astronomici C. Julii Hygini, quod editum fuit hoc titulo admodum barbaro, more illorum temporum: *Hyginii historiographi et philosophi argutissimi libri quatuor non solum poeticas et historicas verum et astronomicas permultas veritates acriori collectas lima, et, Laconica brevitate, enodantes studiose tibi, quicumque es, extant adjectis, nuper, multis in locis ex multorum Poetarum, Historigraphorum, ac philosophorum libris notis: Cum recenti, et utili tabula. Pasquier Lambert. Veneunt a fidelissimo alme parisior. academiæ bibliopola pascasio lambert incluso brunello sub divi claudii signo e coqueretici gymnasii regione. in 4.*

Ad calcem rudis hujus editionis legitur epistola Ludovici Vivis Joanni Forti, viro Philosopho, et contubernali, cui antea inscripserat librum in *Pseudo-Dialecticos*, et in *Triumpho Christi* partes suas etiam eidem designaverat; Vives laudatâ epistolâ dixit Forti: *Igitur Hyginum, cum essem Parisiis, publico professurus auditorio, volui meliori redderetur incudi, characterive legentibus longe delectabiliori:* Ex quibus apparet eruditus mos, etiam Salmanticæ, Compluti, et Va-

Valentiæ usitatus, prælegendi veteres Scriptores juventuti eruditionem appetenti.

Licet animus Joannis Ludovici Vivis intentus esset severioribus studiis Philosophicis, et Theologicis, remissiones perjucundas admiscebat, et commentabatur aliquid in festiviores Musas, et annotabat sublimiores sensus in Bucolicis Virgilii velatos, contra quàm existimat Grammaticorum vulgus: hæc interpretatio edita fuit hocce titulo: *Joannis Ludovici Vivis, Valentini, in Bucolica Vergilii interpretatio potissimum Allegorica, nunc primum in lucem edita. Scripta Bredæ Brabantiæ* 1537. *rerum item, ac verborum in ea memorabilium diligentissimus Index.* Basileæ 8. Mediolani per Calvum 1539. 8. iterum Basileæ apud Winter 1541. 8.

Scopus Vivis in hoc opusculo fuit removere allegorias arbitrarias, et sensum historicum Poëtæ rimari, in quo ille præivit censuræ lectoris in hunc modum: „ Non dubito quin allegoriam ali- „ quibus versibus aptaverim, de qua Poëta ne cogitarit quidem: „ ut alias permultas ad quas proculdubio respexerit quum scri- „ beret; sed id nec ingratum erit lectori, nec inutile; fecerunt „ idem hoc jam ante nos in Homero explicando Græci Scrip- „ tores; et in litteris nostris Donatus, Terentii, et Poëtæ hujus „ aperiens consilia. „

Nulla est fere rei alicujus præstantior cognitio, quàm de Anima, et Vita, vel jucundior, vel admirabilior, quæque tantum afferat ad res maximas utilitatis; argumentum sane difficile, et valde utile ad ætatem feliciter transigendam; qua de caussa visum fuit Joanni Ludovico Vivi tantà de re commentari nonnulla; atque eo magis, quòd in cæteris disciplinarum argumentis, ut in isto, segniter sunt eruditi versati, contenti iis, quæ a veteribus, ut plurimum extra Civitatem Dei constitutis, relicta fuere; ipsi vero, ne nihil omnino agerent, addiderunt eas quæstiones, quas tum esset prope impossibile explicare, tum enodatæ nihil adferrent fructus: tanta erat libido in rebus prorsum inanibus se de fatigandi: Ludovicus Vives opus hoc, *De Anima et Vita*, tribus libris divisum, in quibus de Anima Brutorum, de Rationali, et de Affectionibus, dicare constituit Francisco Duci Bejaris, cum quo Bruxellis una fuerat; stilus librorum, *De Anima et Vita*, est brevis-

si-

simus, et multiplicis et admirandæ doctrinæ; quæ de Anima Brutorum scripsit, acuta et solida sunt, longe diversa ab illis scriptis a Philosophis nostri ævi, quibus Animalia ratione carentia nimium debent: Julius Cæsar Scaliger valde illos laudavit, ut a filio Josepho Justo accipitur in *Scaligeranis*, eosque Vives scripsit Brugis anno M. D. XXXVIII. et editi fuerunt Basileæ apud Robertum Winter 1538. et etiam Lugduni, alibique.

Jacobus Bruckerus, in *Historiæ Criticæ Philosophiæ* volumine IV. de Ludovico censuit: » Virtutibus illis satis instructus fuit ad hu-„ jusmodi conatus suscipiendos; animo nempe magno, qui supe-„ rioribus ævo consecratis ausus est repugnare, et imprimis Aris-„ toteli; sinceritate haud vulgari, quâ nec auctor unquam sectæ, „ nec suasor esse cupiebat, perspicuitate, et elegantia verborum, „ quibus aperte et dilucide cuncta potuit exponere, ut percipi fa-„ cile, ac teneri possent. »

Quæ Joannes Ludovicus Vives de Aristotelis scriptis exaravit, deque ejus sectatoribus Græcis, Arabicis, et Christianis, valde utilia fuere Petro Ramo, et Petro Gassendo, quorum hic fuit vir insigni modestia præditus, ille vero philautiâ laboravit, et Rameam Sectam condidit; Scripsit præsertim Vives *Censuram in Aristotelem*, excussam cum hujus Philosophi operibus, et variorum annotationibus, anno 1538. 2. vol. in fol. Vide laboriosissimum, et doctissimum virum Andream Gonzalezium Barciam, in *Epitome Bibliothecæ Orientalis, et Occidentalis, Nauticæ, et Geographicæ, vol. 2. col. 952.* Paschalis Gallus Villæfanensis Picto concinnavit Indicem auctorum, qui suis laboribus, ac lucubrationibus Aristotelis libros, ac Philosophiam conati sunt illustrare, et inter eos annumeravit Joannem Ludovicum Vivem, proculdubio respiciens ad hanc crisin.

Laudatam Censuram Vivianam de Operibus Aristotelis debemus Simoni Gryneo, viro, ut in omni genere litterarum citra supercilium erudito, ita provehendis liberalibus studiis nato; in ea Censura Ludovicus ostendit se fuisse germanum Aristotelicum, ejus doctrinam exhauriens puram, et putam ab eadem scaturigine, non e palustribus cœnosis; hunc Philosophum, quo majore Græcia non tulit, coluit Vives, non adoravit; veritati litavit, non præjudiciis,

et

et omnia ejus opera legit, relegit, et in succum et sanguinem proprium convertit: Uno verbo: vitavit vitia, quæ postea reprehendit Petrus Joannes Nunnesius in *notis ad Vitam Aristotelis* hisce verbis: » Illud obiter hoc loco, et paucis, dolendum; cum prisci „ Peripatetici sapientiam cum eloquentia conjungerent, quod et „ a Philone, Academico nobili, ætate M. Tullii factitatum accepi- „ mus, et omnes Philosophos fere veteres eosdem sapientissimos, „ et eloquentissimos fuisse, nostra ætate tantum dissidium linguæ „ et cordis in scholas Philosophorum infusum, sive negligentiâ, „ sive ignoratione eorum qui Scholas administrant, aut doctorum, „ sive præproperâ auditorum festinatione, ut pauci quæ audiunt, „ quæque legunt intelligant, pauciores possint quæ sentiunt alios „ docere, quod tamen proprium signum scientis esse Plato in prio- „ re Alcibiade et Aristoteles primo de Sapientia notarunt, pau- „ cissimi, qui ea quæ norunt, litterarum monumentis consignare, „ et posteris ea tradere possint, multi vero, qui impudentissime „ audeant publice et privatim dicere non solum Barbariem, et „ orationis squalorem Philosophiæ non nocere, verum etiam illi „ cognoscendæ multum prodesse, et quod omnium indignissimum, „ necessariam esse. » Nunnesius hîc suggillat Joannem Dullardum, Vivis magistrum, qui suis discipulis instillare consueverat: *Quanto eris melior Grammaticus, tanto eris pejor Philosophus*: Utinam cum ejus auditorio, extincti essent tales magistri.

Hæc Censura operum Aristotelis desideratur in collectione Basileensi Viviana, sed bono publico renascitur in hac Valentina mundissima: et quidem eo tempore, quo maxime indiget novaturiens hæc ætas revereri Aristotelem, quem despicit quia non capit ejus eloquentissima, et acutissima scripta: Censuris Philosophi, quibus variis in locis mentem suam candide aperuit Vives, respondêre conatur Antonius Possevinus, Scriptor doctissimus, et maximi judicii, *Lib.* 13. *Bibliothecæ selectæ, cap.* 26. *pag.* 116.

Landius, in *Historia Critica Philosophiæ*, volumine secundo, hanc Censuram operum Aristotelis Ludovici veluti ducem habuit, sed abstinere debuisset ab illis verbis: *etiamsi Hispani*: nam plaga, in qua natus fuit Vives, Nunnesii conterraneus, multos in Philosophia egregios protulit viros, ut prætercam plurimos aliis trac-

tibus Hispaniensibus ortos; ex Arabibus etiam multos Philosophiâ, Medicinâ, et Mathematicis claros extitisse in Hispania, testantur historiæ, primi etenim, post Græcos Aristotelis sectatores, ætate media memorantur Arabum Philosophi, Medici, et Mathematici Hispani: et de Rabbinis Hispaniensibus idem asserendum est, ut ostendit eruditus Josephus Rodriguez a Castro, in nupera et operosa Bibliotheca Hispana horum Scriptorum.

Nequeo tamen temperare mihi quin signem stilo notitiam celeberrimi libri excusi hoc titulo: *Linguæ Latinæ Exercitatio Joan. Lodov. Vivis Valentini: libellus valde doctus, et elegans, nuncque primum in lucem editus, una cum rerum, et verborum memorabilium diligentissimo indice: Parisiis: apud Joannem Foncher, et Vivantium Gaultherot, via Jacobæa* 1539. 8. Hæc editio, quæ asservatur in Bibliotheca Majansiana, princeps est, et ad marginem libri habet ejus auctoris notulas quæ in posterioribus editionibus desiderantur, et in hac Valentina, quæ tanto cum sumtu excuditur, cum omnibus Vivis operibus restituuntur, quia opportunæ sunt ad obturanda ora rigidorum censorum.

Quid de Ludovici Vivis stilo senserint aliqui Scriptores hîc proferam, ut lector quid censendum sit candide judicet; Alphonsus Garcia Matamorus in libello *De Asserenda Hispanorum eruditione* dixit: „Æqualis Antonii (*Nebrissensis*) fuit Ludovicus Vi-
„ ves, rarum Valentiæ decus, propterea quod et declamator egre-
„ gius, et philosophus magni nominis, et multis in rebus emi-
„ nentissimus est habitus; placuissetque multo magis viris eloquen-
„ tissimis, si ut multa diserte doctissimeque conscripsit, ita ser-
„ monis innatà insitàque duritià, et vocabulis quibusdam Græco-
„ Latinis, quæ ad ampliandam Linguam Latinam excogitavit, ora-
„ tionis gratiam non obscurasset: mihi autem hac de re unà vi-
„ sus est Ludovicus Vives cum Porcio Latrone contendere voluis-
„ se: utrum hunc ille sermone Hispano Latino vinceret, an illum
„ hic potius Græco Latino superaret: sic enim Pollio Asinius Li-
„ vium sapere Patavinitatem dixit, et Porcium Latronem sua lin-
„ gua, hoc est, Hispano-Latina, fuisse disertum: fatale hoc qui-
„ dem fuit plerisque nostrorum hominum, ut semper aliquid pe-
„ regrinum, et rude sonarent, adeo ut in ipso etiam eloquentiæ

„ Principe Fabio Quintiliano, qui elegantia simul, et ingenii lau-
„ de floruit, Hispanitatem invenerit Franciscus Philelphus: Verum
„ si nævos quærimus, neminem unum, post homines natos, inve-
„ niemus sic numeris omnibus absolutum et consummatum vi-
„ rum, in quo non sit aliquid quod jure queas reprehendere: „
Hactenus Matamorus.

Duo sunt capita hujusce accusationis adversum stilum Vivis; sermonis duritia, et vocabula quædam Græco-Latina: ineunte sæculo decimo sexto, mos invaluerat ut nullo quidem verbo, licet apud probatissimos Scriptores in usu esset, nisi etiam in Cicerone legeretur, stilum informare vellent; id quàm puerile, quàm periculosum esset, norunt omnes qui, quamvis tantum Ciceroni quantum eloquentissimo homini tribuant, ex aliis tamen purioris Latinitatis Scriptoribus totam orationis venustatem gratâ concinnâque varietate efformandam necessariò confitentur, quare hic morbus ludibrium doctis debebat: nullus autem Erasmo fuit, qui ut ridicularium, acri sale, et facetiis, melius et fortius traduceret, in Dialogo cui *Ciceroniano* nomen est.

Etiamsi Ludovicus Vives annumerandus non esset inter ridiculos Ciceronis imitatores, tamen illa duritiei opinio nata fuit ex Erasmi judicio in *Ciceroniano*, quod ita protulit: » Equidem nec
» ingenium, nec eruditionem, nec memoriam in illo desidero;
» adest illi parata sententiarum ac verborum copia; tum, cum
» fuerit initio duriusculus, in dies magis ac magis in illo matures-
» cit eloquentia; quem, si nec vita, nec studium destituerit, bo-
» na spes est fore ut inter Ciceronianos numeretur; sunt enim
» quibus scribendi conatus juxta mandrabuli morem, ut habet pro-
» verbium, succedat; (Nostratibus: *De cavallo a rocin*: *de rocin a ruin*: *va de mal en peor*: *mundo mundillo nacer en Granada, morir en Bustillo.*) » Hic quotidie vincit se ipsum, et habet ingenium ad
» quidvis versatile, (*tiene un entendimiento para todo*) eoque ad De-
» clamandi facultatem unice compositus: aliquot tamen M. Tullii
» virtutes nondum absolvit, præcipue jucunditatem dictionis, ac
» mollitudinem. »

Sed in stilo Vivis observatur methodus et ordo aptus sententiarum, dictio ornata epithetis acutis, et poëticæ elocutionis, non ela-

elata, non diffusa; figura dictionis, et præcipue ea, quæ vocatur Rectitudo, quæ per rectos casus procedit, et quæ non habet parentheses; membra paulo majora, quam incisa; et structura in suis partibus libere soluta: tales sunt dotes stili ab Hermogene commendatæ: Richardus Simon, criticus percelebris, in *Nova Bibliotheca selecta* stilum Vivis laudat ob puritatem in verbis et dictione, aitque esse didacticum et aptum ad docendum.

Quomodo judicium præceptoris Erasmi tulerit discipulus Vives, operæpretium est ab hoc audire in epistola scripta Brugis Kalend. Octobr. 1528. „Ciceronianum tuum degustavi verius „ quàm legi; et ipse ex Italia litteras accepi ab homine, non „ amico modo, verum et nonnihil propinquo, qui me hortatur „ ut duos totos annos nihil nisi Ciceronem legam, et eum æmu„ ler in sententiis, in verbis, in figuris; ita futurum, ut longe „ post me, et alios permultos, et Longolium relinquam; in quo „ risi puerilitatem istam imitationis, quæ multorum ingenia ve„ lut furor invasit: me nominatum abs te esse, longe fuisset gra„ tissimum: sed senilis hujus ἁμαρτήματος facile tibi gratiam facio, „ etiamsi me consultò prætermisisses, quandoquidem compertum „ habeo nihil abs te inimico animo esse factum.„

Mirum non est Erasmum notasse Vivem tamquam non perfectum Ciceronianum, cum idem Ludovicus aperuerit quid sentiret de Ciceronianis sui temporis, neque, notasse etiam ejus dicendi genus duriusculum, quod in dies magis ac magis immaturescebat eloquentiâ; hanc duritiem quilibet delicati judicii animadvertet in Historiis Salustii, et Livii, si eas conferat cum Ciceronis scriptis; me Vivis durities nullo modo offendit; cum enim lego illius scripta, videtur mihi audire Philosophum utiliter graviterque disputantem, cujusmodi genus hominum, mollius quàm Vives, non solet loqui; merito in *Scaligeranis* de Erasmo dicitur: *Ille in Dialogo Ciceroniano nugaciter lapsus*: Sincerius et sanius de stilo Vivis censuit Desiderius epistolâ ad D. Hermannum, Comitem Novæ aquilæ, præfixâ Declamationibus Vivianis, editis anno 1520. „Ut demus, esse qui Vivem æquent eloquentiæ viribus, non vi„ deo tamen, in quo reperias tantum eloquentiæ cum tanta Phi„ losophiæ cognitione conjunctum.„

Idem Alfonsus Garcia Matamorus, procul ab affectibus, quibus jam temporibus illis multûm indulgebatur ut ipse conqueritur in Oratione habita in Doctoratu Theologico Didaci Sobaños Academiæ Complutensis moderatoris, scripsit *libro primo De formando Stilo*: » Contra vero, Angelus Politianus, Erasmus, Lu-» dovicus Vives, Joannes Sambucus, Franciscus Floridus, non ita » se uni addixerunt Ciceroni, quin ad alios auctores imitandos » locus sibi relictus esset: » quod in Vive nostro commendavit Richardus Simon in *Nova Bibliotheca selecta*.

Optimam methodum imitandi Ciceronem debuit Academia Valentina Andreæ Semperio, qui epistolâ nuncupatoriâ *Institutionis Grammaticæ Latinæ*, ita de se, suisque erga juventutem studiosam meritis, scripsit Consulibus Valentinis, Academiæ patronis: » Cujus (Ciceronis) imitatione prorsus inducta, cœpit hæc Schola » percipere quanti referret veram rationem dicendi tenere; non » enim amplius, ut antea, quæcumque verba proferebat, nec ea, so-» lum aurium judicium secuta, componebat; sed tam simplicia, » quàm figuris illustria, primum ex Cicerone, deinde ex aliis Scrip-» toribus receptis si Ciceroniana deessent, eligens, illa postea non » fortuito, seu casu, ut prius, sed coagmentatione, pedibusque de-» vincta, hoc est, Arte collocabat; illud tamen interea severissi-» me præcipiebam, ne locos integros e Cicerone, tamquam pan-» nos, aut centones, hinc inde discissos, consuerent, nec majorem » curam, et diligentiam in Verbis, quàm in tractandis Rebus ad-» hiberent, quòd illud esset, non imitari, sed furari; et hoc, non » orare, vel dicere, sed garrire. » Hactenus Alcodianus Semperius, qui, ut exitus enodandi studiosæ juventuti eloquium Tullianum, responderet ad votum, edidit aliquas ex Orationibus hujus Arpinatis, adjectis ad marginem notatiunculis artificium Oratorium indicantibus; et in ea præsertim, quam Romanæ eloquentiæ parens habuit *pro Lege Manilia*, lucique publicæ commisit Valentiæ, apud Joannem Mey, Flandrum, anno 1552. præmisit doctus hic politioris humanitatis et medicinæ professor elegantem præfatiunculam, quam hîc excriberem ut inservire posset huic argumento, nisi aliò institutus sermo properaret.

Sed nullo modo silentio possum præterire quod posteris transmi-

misit Andreas Schottus de Joanne Navarro, etiam Alcodiano, Stranei discipulo, cui videtur hanc laudem tribuere, nam maxime interest Reipublicæ scire per quos magistros, et quo modo profecerit studiosa Valentina juventus, fortunatissimis illis temporibus: ait igitur Schottus: „ Joannes Navarrus, Valentinus, Al-„ codianus, presbyter; hic propter eximiam eruditionem cum pa-„ ri probitate conjunctam fuit bonis omnibus carus, pariterque „ venerabundus, utpote qui vir integerrimus atque incorruptis-„ simus ab omnibus semper est habitus; hic profecto vir, quod „ certe mirum videri poterit, totos triginta annos Oratoriæ facul-„ tatis publicus professor in Academia Valentina fuit, præcipuos-„ que omnis generis auctores narrando, primus omnium Valen-„ tinum Gymnasium Musarum domicilium reddidit; e cujus scho-„ la, velut ex equo Trojano, innumeri pene juvenes prodierunt, „ qui postea in variarum artium tractatione clarissimi, magnique „ nominis evaserunt: hujus viri, quod dolendum certe est, nihil „ omnino extat, varias siquidem parænecticas, easque doctissimas „ Orationes, quas per totos triginta annos plurimas, omnisque ge-„ neris contra Sophistas, *De Studiis*, atque *De optima juventutis ins-„ titutione*, idem ad Senatum Valentinum in Theatro ipsius Gym-„ nasii habuit, perpetuo pressit: „ De eodem cecinit Vincentius Marinerius:

Floret item celebris Navarrus numine mentis,
Pagina quem Vatum ceu loca prima tenet.

Hoc ingeminandum est juventuti: Ciceronis assidua lectio fecit Lactantium Ciceronianum, et Sadoletum, et Bembum.

Desiderius Erasmus, dum Ciceronianos

: : : : *naso suspendebat adunco*

dicacitate et facetiis, quibus tantum valuit, caussam propriam agebat, nam litterarius orbis divisus tunc erat inter Ciceronianos, et Erasmianos, atque ita dum illos deprimebat, hos attollebat; Laurentius Palmyrenus in *Campis Eloquentiæ* dixit: ¿*Cur ergo te Ciceronianum, vel Erasmianum vocas si horum vexilla deseris, castra contemnis*? Idem professor humanitatis studiorum, hortante Joannio, Vivis alumno, ab Academia Valentina Erasmum ejecit, et Tullium substituit; inter eos, qui ex scaturigine Semperii et Palmyre-

reni aquas bonarum litterarum Valentiæ biberunt, recensendus est Dominicus Abengochea, Celtiber, ut ipse scripsit doctissimo Justo Lipsio eleganti epistola edita in Sylloge Burmaniana, volumine secundo.

Cum autem lego ejusdem Vivis *Linguæ Latinæ Exercitationem,* non possum non laudare magnam verborum Latinorum copiam artificiose contextam; inepte Palmyrenus in libello *De Imitatione Ciceronis* notavit Vivem, propterea quod in *Colloquiis* oblitus fuerit nonnullorum Ludorum; perinde ac si ei propositum fuisset de omnibus agere: nec quicquam me movet Matamori auctoritas ut Vivem despiciam ob duritiam, quæ non apparet, in his Dialogis elegantissime scriptis.

Quod autem Matamorus addit: Vivem *vocabulis quibusdam Græco-Latinis, quæ ad ampliandam linguam Latinam excogitavit, orationis gratiam obscurasse*: vellem ut designasset vocabula illa Græco-Latina, ut enumeratis illis minor esset culpa; sed cum idem fateatur vocabula ejusmodi fuisse solum quædam, proculdubio non fuerunt multa: Græca quædam Latinis immiscere interdum licet si quid occultare volumus, si nostris venustiora sunt Hellenica, si hominis Græci verba recitamus, denique si nostra desint: quod a Vive factum.

Matamori invectio ansam dedit doctissimo Andreæ Schotto ut eam exscriberet ac propriam faceret, tamquam si ea esset communis aliis Scriptoribus, in *Bibliotheca Hispaniæ*, hisce verbis: *Exercitatio Linguæ Latinæ, seu Dialogi*: „In his reprehendunt Critici „nimiam cudendi voces semigræcas et Latinas audaciam, Por„cium Latronem, Hispanum Declamatorem, hac in re imitantem, „ut refert Matamorus libro De Academiis, Doctisque Hispaniæ:„ Fortasse in animo Schotti aliquas radices fixerat societas censoria Commentariorum Ludovici Vivis in Libros De Civitate Dei B. Augustini.

Sed ego incertus sum, ineptum ne magis, an ridiculum sit quod Matamorus addit: sibi, *hac de re una, visum esse Ludovicum Vivem cum Porcio Latrone contendere voluisse: utrum hunc ille sermone Hispano-Latino vinceret; an illum hic potius Græco-Latino superaret*: Fateor Vivem multis vocabulis Græcis usum fuisse; sed plera-

raque illorum jam usurpata fuerant ab eloquentissimis Latinæ Linguæ Scriptoribus: Pollioni Asinio concedam Livium sapere Patavinitatem; sed cum Ludovico Vive, *Lib. III. De tradendis Disciplinis*, confitebor, *me eam non gustare, nec palatum habere usque adeo eruditum*: Eidem Pollioni Asinio concedam etiam Porcium Latronem suâ linguâ, hoc est, Hispano-Latinâ, fuisse disertum; sed Ludovicus Vives, opere *De Ratione dicendi*, talem fuisse suspicatur Pollionem, qualem describunt Hegesiam, Charisii imitatorem, cui oratio erat jejuna, et ossea, fractis minutisque sensiculis, quique maxime affectavit Atticus videri, et alios præ se contemsit.

Aliquid hujus vitii habuit Matamorus, cum scripsit: *Fatale hoc quidem fuit plerisque nostrorum hominum, ut semper aliquid peregrinum et rude sonarent, adeo ut in ipso etiam eloquentiæ Principe Fabio Quintiliano, qui elegantiâ simul et ingenii laude floruit, Hispanitatem invenerit Franciscus Philelphus*: Non aptare debuisset censuræ Vivianæ illud Ciceronis, Romanæ eloquentiæ principis, in Oratione *pro Archia Poëta* n. 10. de Q. Metello Pio loquentis: *Qui præsertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubæ natis poëtis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet*: In quorum numero M. Annæus Seneca, Rhetor, recenset popularem suum Sextilium Henam, Suasoriâ VII. *Sextilius Hena fuit homo ingeniosus magis quàm eruditus, inæqualis poëta, et pæne quibusdam locis talis, quales esse Cicero Cordubenses poëtas ait*: Pingue quiddam sonantes, atque peregrinum.

Vellem etiam, ut Matamorus omisisset Quintiliani Hispanitatem inventam a Francisco Philelpho, cujus postremam epistolam libri tertii, ubi Quintiliani Hispanitatem notavit, nunc describerem, si adeo otiosus essem, ut ineptiis referendis vacare possem: Matamorus ab hisce debuisset abstinere, nec materiam præbere Marco Antonio Mureto, scribenti præfationem in Catullum, adversus Hispanos: Sanius scripsit Morhofius *De Patavinitate Liviana*, *cap.* 10. „Periisse tum, pene, Latinitatis ornamenta videbantur, nisi „exteri homines, et illi ipsi Hispani, quos peregrinitatis insimula„mus, ea conservassent; ut condonandum illis merito sit, si quid „ab illis Latinitati vernaculi gustus illatum sit: „ De Philelpho dixit Vives *Lib.* 3. *de Tradendis Disciplinis*: „In Francisci Philelphi

„ ver-

„ verbis plane nihil desideres; ejus tamen lectio est molesta quòd „ motu omni et quasi vitâ caret: et fortasse is est genius quem „ in quoque libro victuro Martialis requirit. „

Ad Quintilianum quod attinet, optime dixit noster Isidorus Hispalensis, *Lib* 11. *Originum*, *cap.* 2. *de Rhetorica*: „ Hæc disci- „ plina a Græcis inventa est, Gorgia, Aristotele, Hermagora; et „ translata in Latinum, a Tullio videlicet, et Quintiliano, et Ti- „ tiano; sed ita copiose, ita varie, ut ea lectori admirari in prom- „ tu sit, comprehendere impossibile, nam membranis retentis, qua- „ si adhærescit memoriæ series dictionis, at mox repositis, recor- „ datio omnis elabitur: „ Judicandum relinquo lectori, ¿an Philelpho concedenda sit laus, quæ impossibilis videbatur eruditissimo sæculi sui Hispalensi Antistiti?

Neque respicere debuit Matamorus ad priscos illos Poëtas Cordubenses notatos a Cicerone, sed potius ad Horatium Augusti ævum describentem, qui, non sine caussa, de Hispanis, et Gallis, carminum suorum lectoribus, gloriatur, cum suo tempore, illa, non solum Romæ, sed in Provinciis cupide legerentur, e quibus monumentis illi linguam urbanam, etiam extra urbem, perdiscere poterant: ita vero ille *Lib.* 2. *Od.* 20.

:::: *Me peritus*
Discet Hiber, Rhodanique potor:

ubi Hispanos singulari epitheto *peritos* vocat, ut qui, præ cæteris Provincialibus, Romanis Artibus et linguâ imbuti: Sed de Matamori scommate satis: et minime imitandum exemplum quod factum fuit Valentiæ, in officina Vincentii Cabreræ, in qua recusus fuit anno 1676. libellus Matamori, *De Academiis, et Doctis Viris Hispaniæ*, prætermissâ hac censurâ; licet despicienda sit, utpote profecta ab Scriptore, cujus character deprehenditur ab Alvaro Gomezio a Castro, viro doctissimo, literis inscriptis:

„ Matamorus Sophistæ.

„ Alias ad te, vir doctissime, accuratius et longius scribam; ne- „ que enim vulgarem aliquam epistolam requirit insignis benevo- „ lentia quâ me prosequeris, cujus significationem, etiamsi mihi

„ mul-

„ multo ante cognitam, ita verbis suavibus, elegantibus, et illustribus, proximis his litteris ostendis, ut denuo novum ardorem in me incitaveris tui perpetuo colendi, amandi, complectendi, exosculandi: mirabar tam longum silentium, cujus caussam si ante intellexissem, animum tuum mihi conciliassem, et totius consilii mei rationem, fortasse non pœnitendam, tibi viro prudentissimo dedissem; sed hoc quoque in aliam epistolam per otium reservabo, nam hodie summo mane rem divinam facturo litteræ tuæ redditæ sunt, sacer autem dies est, nempe Dominicus, et sub meridiem tabellarius discessum condicit.„ (Nempe Gomezius Curionis munere fungebatur in Vico Blacensi, et laudabili exemplo Joannes Vergara fuerat etiam illo tempore Curio in oppido Camarma de Esteruelas, in quo, sequenti sæculo, successorem habuit Joannem Ferreras.) „ Quod de libris tuis Rhetoricis petis, currentem incitas; id enim jam cum Professoribus nostris agebam; mihi rursus Sisyphius lapis volvendus est, et iterum cogor Græcæ linguæ rudimenta prælegere: Tibi viro doctissimo in animo esse memoriam virorum doctorum, quos Hispania nostra tulit, e situ et tenebris vindicare, mihi fuit multipliciter gratum; nam tibi nomen immortale paries, illos in lucem æternam asseres: tantum te pro nostra amicitia admonendum duxi, Lucio Marinæo Siculo, olim hujusmodi argumentum adgresso, vehementer nocuisse quod citra delectum, ad nomen hoc, paucissimis concessum, indignissimos quosque admiserit: jam vero, cum de Viris doctis scripta ipsa testificentur, ¿quotusquisque ex nostris, obsecro, est qui hac ratione innotescere curaverit? Sed tu id melius pro tua prudentia considerabis: Vale.„

Transeamus jam ad Francisci Sanctii Brocensis censuram, qui *Annotationibus ad Artem Poëticam Horatii*, ad illud: *Si Græco fonte cadant*: accerrime invectus fuit in *Linguæ Latinæ Exercitationem* Joannis Ludovici Vivis; Brocensis reprehensio hæc est: „ Nec satis possum admirari doctissimum Ludovicum Vivem, qui tam audacter, tamque præter æquum et decens, tot finxerit vocabula in sua Exercitatione Linguæ Latinæ; nihil enim nunc bene dicitur Latine, nisi tantum illud quod in libris politioris

,, Latinitatis invenitur: dum lingua vigebat, licebat doctis et pe-
,, ritis (si modo usus id comprobaret) aliquas voces invenire, et
,, in vulgum propalare; quod et nunc Hispanis in Hispana lin-
,, gua, et Gallis et Italis in sua licebit, si modo populus omnis
,, id approbet; sed in lingua Græca, Hebræa, Latina, (quæ jam
,, in usu populari non sunt, sed ex libris tantum eruendæ) mini-
,, me licet verba fingere, nec Latinæ linguæ quidquam addere,
,, quod ex libris Latinorum non fulciatur: poteris tamen, cum ali-
,, qua præfatione, aliqua inserere: ut Galli PARLAMENTUM,
,, quod Latine SENATUM: sic vocantur vulgo CARDINALES: sic
,, Itali vocant BANDERAS. Cæt. ,, Hactenus Brocensis; uno verbo, cum M. Tullio Cicerone *Lib.* 1. *de Natura Deorum* dicendum: *Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina.*

Joanni Caramueli, viro ingenioso magis quàm judicioso, visum fuit in *Rhythmicis*, *pag.* 590. habere in censura Brocensis speciem quâ posset propugnari caussam Ludovici a Gongora, novorum verborum inventoris, cujus stilum acriter reprehendit doctissimus Petrus a Valentia, epistolâ ad Hortensium Felicem Paravicinum, nondum editâ, et asservatâ in Bibliotheca Majansiana: nos ad nostra procedamus.

Idem Sanctius suppeditat nobis argumentum ad excusandum Vivem, multis in locis, quare ejus reprehensio floccifacienda est; inopiam, paupertatem, vel potius egestatem Sermonis Latini confitentur Lucretius *Lib.* 1. *vers.* 832. Seneca *epist.* 59. et Plinius *Lib.* 4. *epist.* 18. Hæc egestas, vel circumlocutione aliqua, vel vocabulo novo supplenda est; Circumlocutio sæpe non potest apte et perspicue rem significare, tumque forte aliunde nomen est notissimum linguæ affinis, aut in multis linguis usu hominum frequentibus usurpatum; itaque

:::: *si forte necesse est*
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,

ut ait docetque Romanorum Poëtarum judiciosissimus, tunc igitur ex ea lingua novum nomen desumere

:::: *licuit, semperque licebit*
Signatum præsente nota producere nomen.

Ne-

Neque id tantum licet in oratione stricta, de qua Horatius loquebatur, sed in soluta etiam; si enim Zenoni licuit, ut ajebat Cicero *Lib. III. de Finibus, cap.* 4. cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei nomen imponere, ¿cur non liceat Catoni? Ego addo: si licet Catoni, ¿cur non Attico? Idcirco hic apud eundem Ciceronem *Academicorum Lib. I. cap.* 7. sic loquitur: „Dialecticorum vero verba nulla sunt publica, suis utuntur, et „id quidem commune omnium fere est Artium; aut enim nova „sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferen„da; quod si Græci faciunt qui in iis rebus tot jam secula ver„santur, ¿quanto id magis nobis concedendum est qui hæc nunc „primum tractare conamur?„

Quod de verbis Philosophicis nominatim dixit Atticus, et de omnibus Artibus asseruit, etiam obtinet locum jure præcipuo in Theologia, quæ suas habet voces usu Christianorum consecratas, itemque Historia Ecclesiastica, quibus quicumque non usi, cum Latina desunt, semper ridiculi visi sunt, et talis fuit Petrus Bembus Justo Lipsio *Epistolar. cent.* 2. *epist.* 57. Ludovicus noster *Lib.* 2. *De causis corruptarum Artium* dixit: „Sunt qui contaminari se „verentur, si quid aliter Latine dicant quam Cicero, ridicula „religione, ne dicam superstitione stulta:„ Et uberius eorum stultitiam depinxit *lib.* 4. ejusdem operis, et ante eum Angelus Politianus *Lib.* 8. *epist.* 16. et Erasmus in *Ciceroniano.*

Idem etiam, quod in verbis Philosophicis, et Theologicis, obtinere debet in rebus, quæ frequenti hominum sermone nominandæ sunt, nam circumlocutio adversatur brevitati, quæ in sermone necessaria est; eadem exempla a Sanctio petita id ostendunt, qui in Certaminis litterarii programmate, dixit: *Threnos deflere: debito epathlo non fraudabitur*: et utrumque defendit; dixit *Sonetta*, cum circumlocutione uti potuisset; probavit, supremum Parisiensem Senatum, *Parlamentum* dici; Ecclesiæ Romanæ Presbyteros *Purpuratos*, dici *Cardinales*; et dixit etiam *Halmyrantum*, vocabulum a Saracenis desumtum; et *Priorem*; et alia hujusmodi; ¿cur igitur invideat Vivi noviter dicenti, a malo *cydonio*, *cydoniatum*, ut Valentini, a *codony*, *codonyat*; *aulicitas* ab *aulico*; *cimicus* a *cimice*; *Grammaticationes* pro *tricis Grammaticis*; *fœminicruralia*; et alia hujus-

modi; notans in Dialogis *Exercitationis Linguæ Latinæ* ad marginem, novum esse nomen, interdum cum sua præfatione? præsertim cum Vives vellet ut pueri ediscerent magnam verborum copiam, ut Latine loqui scirent cum usus posceret; alioqui videmus homines magnæ famæ, qui cum aliis non audent extra scientiam quam profitentur confabulari, quia eis desunt rerum vocabula: ipse Sanctius *in Minerva, Lib. III.* agens de particula, *quod,* ita scripsit: *¿An ferenda sunt illa, quæ summus Theologus passim in Scholis inculcabat? Hoc argumentum tangit de cuspide in album: et, O valeat me Deus*: sed si quid in hac re peccandum est, malim pueros religiosiores, quàm solutiores, in Sanctii præcepto observando, homines autem doctos, cum de cogitationibus suis explicandis agunt, solutiores, quam religiosiores, in invenienda una aut altera voce necessaria ob rei novitatem,

Dabiturque licentia sumta prudenter.

Neque in hac disputatione distinguendum est inter linguam vivam et mortuam, quia quod attinet ad usum, æquè viva est lingua nunc scribentium, ac eorum qui nativam loquebantur; ubicumque urget necessitas, locum habet; ea exigente, ad novas res designandas vocabula nova excogitari possunt; an vero recipiantur, nec ne, docti judicent: ipse Ludovicus Vives, *Lib. 2. De ratione dicendi*, ait: *Etiam barbarissandum, et solœcissandum, si res ita exigat; satius est verbi facere jacturam quam rei*: His verbis sententiam suam aperuit: Beatus Augustinus illud frequenter in ore habuit: *Malo ut me reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi*: Laurentius Palmyrenus in opusculo *De vera et facili imitatione Ciceronis* scripsit in hunc sensum: „ Voces aliquot occurrent „ parum Ciceronianæ, quòd res illæ de quibus agimus, heroïcis „ illis Ciceronis temporibus non essent inventæ; in his secuti sumus Cornelium Valerium, Lodovicum Vivem, et Roscium Vitruvium, ne longiores periphrases molestiam parerent. „

Detur igitur venia Joanni Ludovico Vivi, qui quædam verba Græca usurpavit, ut ipse Sanctius fecit in suis operibus, vel ob necessitatem, quia Latina deerant, vel ob ridiculam nonnullorum interlocutorum personam; vel e Græco fonte nonnulla derivavit, ne-

necessitate etiam exigente; uel ipse denuo excogitavit certâ quâdam analogiâ deficientibus etiam Latinis; veluti *allicefacta*, et *illicefacta*, *spirituosus*, *mendaciosa*; et alia hujusmodi; quæ si usu non invaluerunt, diversis characteribus designentur ut a lectoribus vitentur, et tanti viri auctoritas salva maneat ut de ea circumspecte judicemus; quòd si glossæ illæ, quæ in prima editione Parisiensi *Linguæ Latinæ Exercitationis*, anni 1539. in marginibus appositæ fuerunt, ad nonnulla vocabula intelligenda, sequentibus editionibus repetitæ fuissent, fortasse Franciscus Sanctius a tam severa reprehensione abstinuisset; sed verissimum illud: *Quisque suos patimur manes*.

Hi Dialogi semper in magno usu fuerunt apud omnes Nationes, quibus Latina lingua cordi est, et pretio; Janus Vincentius Gravina, elegantis stili vir, in Oratione *De Instauratione Studiorum* ait: „ Igitur statim puer flexiones nominum, aut verborum, simul „ cum aliis Grammaticæ rudimentis memoriæ mandaverit, ad scrip„ tores est adducendus, eique, ut nobis olim discentibus mos erat, „ præbendus in primis Ludovici Vivis nitidissimus, atque utilissi„ mus Exercitationum libellus, e quibus domestica, et familiaria „ primum hauriantur, atque quotidiana vocabula, discendique ge„ nera illa, quæ in usu vitæ frequentius occurrunt; ita enim pue„ ri, notis in rebus, materieque sua intelligendi facilitatem inve„ nient, et simul cum delectatione utilitatem: „ Hoc testimonio Gravinæ occurri, atque obstiti potest Sanctio Brocensi: Joannes Thomas Freigius, doctissimus Rameæ doctrinæ sectator, Notis illustravit hos Dialogos *Exercirationis Linguæ Latinæ*, et edidit Norimbergæ 1571. in 8. ubi et recusi sunt 1583. et 1622. in 12. et Venetiis per Dominicum de Imbertis 1612. 8.

In singula *Colloquia* Annotatiunculas fecit Petrus Mota, Complutensis, in Hispanæ juventutis gratiam, fuit discipulus Antonii Nebrissensis ut ipse scripsit in annotatione ad Dialogum *Scriptio*; Ejus notæ accommodatæ sunt tenellæ ætati: Joannes Ramirus compilavit Indicem Latino-Hispanicum difficiliorum vocabulorum, ut editio haberet gratiam novitatis: Lugduni 1548. Valentiæ 1578. iterum Lugduni 1585. Cæsaraugustæ apud Joannem Quartanet 1607. 8. Barcinone 1615. 8. et etiam ex officina Pauli Campins, abs-

absque anni nota, eodemque modo apud Petrum Escudèr, et etiam Vici (Ausonæ) apud Petrum Moreram; iterum Cæsaraugustæ 1627. in 8. Matritique 1644. in 8. et cum inscriptione Dialogisticarum Linguæ Latinæ Exercitationum, Lermæ 1619. Labor Motæ accommodatus fuit linguæ Italicæ Mediolani typis Josephi Marelli 1710. 8.

Petrus Mota Complutensis, Poëseos Hispanæ laude etiam inclaruit, uti legimus in Vita Gregorii Silvestri, celebris Poëtæ Granatensis, in qua urbe vixit, et inde Antikariæ sedem fixit, ubi Joannes Vilchius, Antikariensis, carmine eum compellavit, quod incipit: *Mota veni, &c.* ubi inter alia cecinit:

Hactenus Orator Musarum sacra docebas;
Nunc doceas veri mystica sacra Dei:
Hactenus Aonidum dixisti templa sororum;
Nunc dic ætherei ditia regna poli:
Hactenus ore tuo Doctorum turba pependit;
Plebs indocta modo pendeat ore tuo:
Hac Granata tenus, nunc Antiquaria felix,
Quòd te Doctorem legerit, atque Ducem:
Quæ assignare suos merito tibi gaudet honores,
Consiliis melior fiat ut illa tuis.

Joannis Ramirezii Dictionariolum in aliquibus vocibus supplere potest Antonii Nebrissensis Lexicon Hispano-Latinum; de illo sic scripsit Alfonsus Garcias Matamorus in libello *De asserenda Hispanorum eruditione*: „Hujus (*Joannis Petrei*) æqualis Ramirus, doc„tor Theologus, et Rhetor primarius Academiæ Complutensis, plus „habuit meo judicio industriæ, quam naturæ, quanquam utrius„que sane permultum; actio tamen propter fœditatem oris non „satis commendabat hujus viri orationem, quæ cum a doctis per „otium legeretur, et omni artificio dicendi, et lectissima copia, „et nitore Romano, et summa gravitate absoluta judicabatur; fuit „amator popularis eloquentiæ, quam ita per omnem vitam com„plexus est, ut eos persæpe reprehendere soleret, qui se a rebus „vulgaribus, et maxime notis, ad sublimes, et reconditas inutili-

„ter,

„ter, et ambitiose subducerent:„ Alvarus etiam Gomezius a Castro *De Rebus gestis* Francisci Ximenii Lib. VIII. sic eundem laudavit: „In Rhetorum gymnasio (*Complutensi*) Joannes Ramirius To-„letanus Nebrissensi successit, vir leni quadam facundia, et stili „elegantia, ac puritate excellens; tanta vero probitate, et in re-„bus domesticis tractandis vigilantia, ut merito Frugi appellari „potuerit; (Scilicet, *virtuoso i recogido*) multa scripsit, partim „Dialogis, in quibus scribendis multum oblectabatur, partim ora-„tione perpetua; ferme ad Oeconomicen cuncta pertinentia; quæ „in lucem nondum venerunt: alebat domi adolescentes ingenuos, „quos et moribus, et litteris probe instituebat: Ramirio eloquen-„tiæ scholam tenente, cum magis ac magis studiosorum adoles-„centum copia cresceret, ne ille annis jam ingravescentibus ni-„mio labore fatigaretur, visum est Rectori, et Collegis (*Ildephon-„sianis*) legem Ximenii de hac re sequentibus, alteram Cathedram „Rhetoricæ constituere:„

Joannis Ludovici Dialogos *Exercitationis Linguæ Latinæ* notis Philologicis atque Moralibus illustravit Matthias Martinius, atque edidit Bremæ 1618. Vide Thomam Crenium in notis ad Tract. de Philologia studiis liberalis doctrinæ, pag. 238.

Gabriel de Aulon, Monachus Carmelitanus, in nostrum sermonem convertit, *Coloquios de Juan Luis Vives, perifraseados en romance*, Compluti apud Joannem Gratian. 1574. ubi delitescat hoc opus, prorsus ignoro; quemadmodum etiam Commentaria Laurentii Palmyreni in *Colloquia* Vivis, in quibus prosecutus fuit laudes Honorati Joannis ejus discipuli, cujus operis meminit in nuncupatoria ad tractatum *De Imitatione Ciceronis*, recusa etiam, in *Campis Eloquentiæ* ejusdem Palmyreni, in qua loquens cum illustrissimo, et eruditissimo viro Honorato Joannio, scripsit: „Nolu-„mus autem insignes res gestas Avorum tuorum Saetabensium, ut „alii solent in Præfationibus, commemorare, quoniam tuis præcla-„ris corporis, atque animi dotibus, quasi obscuræ redduntur; tuas „autem in Commentariis in Colloquia Vivis, Præceptoris tui, a Sa-„nahuja typographo Valentino excussis, copiose prosequimur:„ Sed mihi nunquam licuit hanc editionem videre, et ideo non possum referre quid in ea Palmyrenus, Scriptor juventuti valde utilis, præstiterit.

Hoc

Hoc nostro sæculo decimo octavo, Christophorus Coretus, qui obiit 4. Julii anni 1760. Latinæ linguæ præceptor in Ecclesia Metropolitana Valentina, transtulit in Hispanum sermonem Dialogos *Exercitationis Linguæ Latinæ*, ediditque Valentiæ, apud Antonium Batle, anno 1723. 8. secundisque curis apud Viduam Hieronymi Conejos 1749. 8. et denique recusi sunt typis, et impensis Salvatoris Fauli, anno 1768. in hac postrema editione reperiuntur duæ præfatiunculæ Augustini Salesii, viri honestate et probitate morum commendabilis; nollem ab eo susceptam fuisse caussam Laurentii Palmyreni adversum Jacobum Falconem, Poëtam maximi ingenii; nam in his, quæ in Palmyrenum scripsit, non est quod a viris eruditis reprehendatur: utinam haberemus nunc aliquos Palmyrenos ex quibus juventus studiosa carpere posset uberes fructus, sed multo feliciores essemus si unus Falco nobis restasset; Laurentium Palmyrenum ægre tulisse laudes Jacobi Falconis elici potest ex Comœdia *Lobenia* quam inseruit in tertiam partem ejus *Rhetoricæ* editæ Valentiæ anno 1566. in qua enumerans Poëtas Valentinos laude dignos, Jacobi Falconis nomen silentio pressit.

Laurentius noster, in *Oratione post reditum, in Academia Valentina, mense Augusto* 1572. de morte Andreæ Semperii, dixit: *Date hoc, et concedite dolori meo, Viri ornatissimi, ut affectum hunc, quibus Poëtam, nescio quem, lamentantem legi, exprimam*: Putabam hîc subindicari nomen Falconis, nam versus in mortem Andreæ Semperii sunt supra captum Palmyreni; sed postea, cum ejus *Hypotyposes clarissimorum virorum* in manus meas inciderint, editæ cum *Phrasibus Ciceronis obscurioribus, in Hispanicam linguam conversis*, ab eodem Professore, et luci publicæ donatæ, Valentiæ, ex typographia Petri a Huete, in platea herbaria, absque anni nota, reperi hos versus in *Hypotyposibus* scriptos in mortem Germani Brixii, Græcis, Latinisque Litteris viri doctissimi, eosque Palmyrenus transcripsit, et aptavit Semperio, tamquam ab incerto auctore conditos, etsi elaboratos a Nicolao Barbonio, mellitissimo Poëta: sed tamen, iisdem volo oblectari lectores, et vincere fastidium varietate rerum, et jucunditate:

¿Quid

¿Quid agam miser? ¿Quid? Quod solet
Philomela, noctes ac dies
Raptos sibi fœtus quærens.
¿Quid agam miser? ¿Quid? Quod solet
Suo orba turtur compare.
¿Quid agam miser? ¿Quid? Quod solet
Mori se sentiens Olor.

Andreas ille Semperius,
Orator ille maximus,
Poëtaque idem maximus,
Me nesciente, me procul
Agente, vivos desiit
Esse inter, et cœlestia
Sese recepit ad loca;
Sed; hinc abire, me sine,
Semperi, tuo, qui te sine
Hîc esse non possum diu!



Saltem mihi prædiceres
Te velle abire: sic mihi
Prædiceres, verbis tribus:
Abire tempus, Palmyrene,
Memet parassem: nunc forem
Ad te sequendum alacrior,
Nec esset hîc tantus dolor,
Nec tanta comploratio,
Nec lacrymarum tanta vis.

Nicolaus Borbonius, qui sic fere cecinerat, in laudem Brixii, adnexuit hos versus:

At, quandò sic Deo visum est
Nobis ut ante verteres,
Reliquum est ut ipse me parem
Quamprimùm, Amice, ut te sequar;
Me, quod potes, votis juva;
Nam quot dies hîc victito,
Toties oportet me mori;
Tam sunt iniqua hæc tempora;
Tam secla sunt hæc ferrea;
¡O ter beatos, et quater,
Qui in Christo Jesu dormiunt!

Hi Dialogi Viviani *Exercitationis Linguæ Latinæ*, in gratiam Philippi Asturum Principis scripti, Gallice quoque prodiere, unà cum Latino textu auctoris, Lugduni, apud Gabrielem Cotier 1560.

cum Indice Latino-Gallico Ægidii Housteville, Cadomi, in gymnasio Montano Professoris: atque iterum ex altera Gallica versione Benjamini Jamini, Parisiis, apud Gabriel Buon 1578. teste Verderio.

Itali etiam hos Dialogos in suam linguam transtulerunt, et excusi sunt Florentiæ, anno 1708. et Venetiis, anno 1718. Germani etiam, atque Poloni suos fecerunt, Georgio Draudio teste in Officina Classica; Vilielmus item Ursinus, ejusdem Draudii fide, quædam ex eis hausit: et hæc dicta sufficiant de opere notissimo.

Sed hominis vita semper brevis, in Joanne Ludovico Vive, quod maximè dolendum, brevissima fuit; obiit enim Brugis, pridie nonas Maii anno M. D. XL. cum vixisset annos XLVIII. menses II. Meritò ejus discipulus Ferdinandus Ruizius Villegas in Ecloga *Vives* cecinit:

Vives, amor Phœbi, pastorum gloria Vives,
Vives, quo vivente, novem vixisse, Camœnæ,
Et moriente simul, meritò occubuisse potestis
Credi, sublatus medio est in tempore vitæ.

Ejus epitaphium a paucis cognitum sic se habet:

D. O. M.

JOANNI LUDOVICO VIVI, VALENTINO, OMNIBUS VIRTUTUM ORNAMENTIS, OMNIQUE DISCIPLINARUM GENERE, UT AMPLISSIMIS IPSIUS LITTERARUM MONUMENTIS TESTATUM EST, CLARISSIMO; ET MARGARETÆ VALDAURÆ, RARÆ PUDICITIÆ, OMNIBUSQUE ANIMI DOTIBUS MARITO SIMILLIMÆ; UTRISQUE UT ANIMO, ET CORPORE SEMPER CONJUNCTISSIMIS, ITA HIC SIMUL TERRÆ TRADITIS; NICOLAUS ET MARIA VALDAURA SORORI, ET EJUS MARITO B. M. MOESTISS. POSUERUNT:

VIXIT JOANNES AN. XLVIII. MENS. II. MORTUUS BRUGIS PRIDIE NONAS MAII ANNO M.D.XL. MARGARETA VIXIT AN. XLVII. MENS. IX. OBIIT PRIDIE IDUS OCTOBR. ANNO M.D.LII.

Huic

Huic epitaphio juvat adjungere alia duo, quæ Magistro benemerenti posuit Ferdinandus Ruïzius Villegas, scilicet:

Vives ille meus Magister, ille
Magnus, sæcula prisca quem timebant,
Ille, ille ingenio vir omnibus, quos
Roma, aut Græcia tota vidit olim,
Par, hoc conditus est brevi sepulcro.

Itemque:

Cujus scripta capit vix tellus, nomen Olympus,
Hæc Vivis cineres contegit urna brevis.

Franciscus Ortinus, in *Memoriis Historicis Academiæ Valentinæ,* scripsit non constare annum emortualem Ludovici Vivis, sed credidit fuisse 1536. aut 1537.

Qui Claudii Floridi *Historiam Ecclesiasticam* continuavit *lib.* 138. *n.* 44. collocavit mortem Vivis anno 1537. ætatis suæ 38.

Georgius Matthias Konigius in *Bibliotheca Veteri, et Nova* exaravit annum 1541. emortualem fuisse Vivis, qua in re illum præivit Jacobus Augustus Thuanus *Historiar. lib. XVII. n.* 27. qui etiam a vero aberravit, asserens Ludovicum Vivem defunctum fuisse Lovanii, ubi profitebatur.

Paulus Freherus, in *Theatro Virorum eruditione clarorum*, ait, Vivem obiisse Brugis Flandrorum, anno Christi 1543. et idem legitur in Vossiana Epitome Historiæ Universalis.

Franciscus Craneveldius narravit ejus mortis caussam Paulo III. Pont. Max. in epistola præfixa operi posthumo, *De Veritate Fidei Christianæ*, his verbis: » Et tamen hisce vixdum absolutis, calculi, podagræ, febriumque doloribus abreptus est, et ergastulo » corpusculi exolutus, quum vixdum pervenisset ad annum ætatis » octavum et quadragesimum, exhaustus (ut conjicio) perpetuis » laboribus studiorum, quibus ei nihil fuerat in vita jucundius. »

His adjungenda sunt quæ scripsit Laurentius Palmyrenus in *Studioso Aulico, fol.* 77. » Si no me acordase con lagrimas de lo que a amigos mios ha acaecido, no tomaria agora el oficio a los » Medicos; aunque, si bien se mira, no es esto tomarselo, sino

„avisar a los descuidados, còmo han de consultar con ellos su salud: ¿Quièn no conociò la gran dotrina de Luis Vives? Los „doctos la veen en sus obras, i los niños la alcanzan en sus Coloquios, que hizo *De Exercitatione Linguæ Latinæ*: con toda esta habilidad viviò poco, i paralitico, por aver tomado, sin orden de Medicos, con consejo de menestrales, el agua, o decoccion del palo, que en Indias llaman Guayacan.„ Et in margine libri addit: *Narrat hoc Amatus Lusitanus, in Centuriis*: Lignum Guajacense prodest nervorum contractionibus: elegantibus versibus Hispanis id commendavit Christophorus Castillejus.

Quibus morbis afflictatus fuerit Vives per omnem vitæ suæ cursum utile erit nosse lectores: *Lib. 2. de Anima, cap. 3. de memoria, et recordatione*, ait: „Puer, quum Valentiæ febri laborarem, et depravato gustu, cerassa edissem, multis pòst annis, „quoties id pomum gustabam, toties non solum de febri meminueram, sed haberi mihi illam videbar.„

Adeo adversa valetudine laborabat Vives anno 1519. cum scriberet librum in *Pseudo-Dialecticos*, ut vix decem annos vitæ sibi optaret, et tamen de Lingua Latina, de Philosophia, Theologia, cæterisque Artibus agere cogitabat: ait enim: „¿Quî enim, „inquiunt, fieri potest ut terso illo, atque eleganti stilo, ne Latine quidem, nec ulla propria germana, et non depravata, nec „immunda lingua, Philosophia, Theologia, cæteræque Artes perhibeantur? ¿Quo quid potest insanius dici? Quem errorem Ego, „si decem annos, valetudine non prorsus adversa, Dei beneficio, „vixero, e mentibus illorum, non argumentis, sed ipsa re delebô:„ scilicet restituendo collapsas Artes; quod egregie præstitit ad extremum usque spiritum, doctissimo operi *De veritate Fidei Christianæ* immortuus.

Podagra male eum habuit, quam ad vivum depinxit litteris inscriptis Ludovico a Flandria, Domino Pratensi, hisce verbis: „Me podagra mea gravissimè divexat, serpsit ad genua, ad manus, „ad brachia, usque ad humeros; aliquando erit finis carceris hujus adeo miserabilis; utinam quandocumque erit, cum bona sit „Christi gratia!„ Sic Philosophus Christianus leniebat dolores *rabidæ podagræ*, quemadmodum eam appellavit Q. Serenus Samonicus:

Fes-

Festive etiam Ludovicus noster in Dialogo *Refectio Scholastica Exercitationis Linguæ Latinæ* dixit: *MAGISTER. ¿Sed quid agit Vives noster? NEPOTULUS. Dicunt eum agere athletam, non tamen athletice. MAG. ¿Quid istuc rei est? NEP. Quia luctatur semper, sed parum fortiter. MAG. ¿Cum quo? NEP. Cum suo morbo articulari. MAG. ¡O luctatorem dolosum, qui primum omnium invadit pedes! HYPOD. Immo lictorem sævum, qui totum corpus constringit:*

Sed scite dixit Ovidius:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Vives in epistola ad Christophorum Mirandam, post descriptionem vitæ miserrimæ, quam agebat in aula Henrici VIII. ostendit quàm prudenter se gereret in tuenda propria valetudine, ad hunc modum: » Serviendum est enim valetudini, præsertim hîc, ubi si » ægrotem, in stercorarium aliquod abjiciar, nec erit qui magis » me respiciat, quàm vilem aliquam, et morbidam canem; incœ- » natus aliquid lectito, nec frequenter cœno, quòd sedentaria hæc » observatio non sinit me ita coquere ut cum prodeambulo. »

Litteris ad Petrum Maluendam, Theologum, ait: » Non fert » conjunctio nostrorum silentium tam diuturnum; ¿ad quos enim » scribemus, si inter nos non scribimus? Sed mihi silentium hoc » indixit capitis gravedo, et oculorum dolor tota hac æstate con- » tinuus. » Hæc incommoda provenisse ex perpetuis laboribus vigiliisque studiorum nemo ambigere debet; sed non potest male mori, qui bene vixerit: Vincentius Marinerius Elegiâ in priscos, et celebres Valentini Regni Poëtas, qui aliquâ operum floruerunt præstantiâ, tum Latino carmine, tum etiam et vulgari, de Ludovico cecinit:

Famâ vivet, enim veluti quoque nomine vivit,
Mens illi, et nomen vita ministra subest:
Vixit enim Musis, nullo moriturus in ævo,
Atque Valentinam fovit honore facem:
Quo valuit sic vixit item per dogmata fato,
Vivere nam solùm est mente valere bona.

Sed improbus labor quem Joannes Ludovicus Vives pertulit

in elaborando opere *De Veritate Fidei Christianæ*, caussam dedit ejus præcoci morti, uti comperimus e Francisco Craneveldio id narrante Paulo III. Pont. Max. hisce verbis: » Existimabat vir eru-
» ditissimus, et veræ pietatis amantissimus, Joannes Ludovicus Vi-
» ves, mihi communibus quondam studiis, et arcta familiaritate de-
» vinctus, quum complura alia monimenta posteris reliquisset, quæ
» doctorum manibus assidue teruntur, sui quoque muneris esse,
» ut exulceratissimis istis temporibus, quibus tantæ movebantur de
» rebus ad Religionem pertinentibus quæstiones, tantæque de re-
» bus maximis tragœdiæ, ipse quoque, pro sua virili, quantum
» posset opis adferret, ac in commune consuleret; scripsit per ali-
» quot annos sub finem vitæ opus hoc, *De Veritate Fidei Chris-*
» *tianæ*, libris quinque, in quibus suavissimè, dissertissimèque dis-
» putavit, et omnem ingenii, doctrinæque vim exeruit, ut Cyg-
» neum quoddam melos jamjam moriturus cecinisse videri possit;
» in quos sane libros plus illum diligentiæ, atque laboris impen-
» disse certum est, quam in reliquos omnes, quos unquam antea
» evulgasset: et tamen hisce vixdum absolutis, calculi, podagræ,
» febriumque doloribus abreptus est, et ergastulo corpusculi exso-
» lutus, quum vixdum pervenisset ad annum ætatis octavum et
» quadragessimum, exhaustus (ut conjicio) perpetuis laboribus stu-
» diorum, quibus ei nihil fuerat in vita jucundius. »

Opus istud, *De Veritate Fidei Christianæ*, divisit Ludovicus in libros quinque, quorum primus agit De Homine, et Deo, sive, de fundamentis totius pietatis; secundus est, De Jesu-Christo, ducens Religionem Christianam ab Adamo, Generis Humani parente, usque ad Jesum-Christum novissimum Adamum, qui venit in hunc mundum ut homines erudiret altissimis mysteriis, quæ aliter homo capere non poterat, præsertim de divina, et inenodabili Trinitate; tertius scriptus est dialogi more, inter Christianum, et Judæum, estque adversus Judæos, quod Jesus est Messias; quartus, etiam exaratus dialogisticè, inter Christianum, et Alfaquinum (sive Doctorem Legis Muhammedanæ) a *Faki*, quod id significat, additoque articulo arabico *al*, dicimus *Alfaqui*, quod nos docet Concilium Valentinum Provinciale ann. 1565. *sess.* 2. *tit.* 2. *cap.* 8. *Quoniam Machometanorum institutores, quos Alphaquinos vocamus*;

Quin-

Quintus liber est *De Præstantia Fidei Christianæ.*

Non ingratum erit lectori noscere caussam, ob quam Vives scripserit dialogisticè tertium, et quartum librum operis, *De Veritate Fidei Christianæ*, adversus Judæos et Muhammedanos; nimirum, imitatus fuit Ludovicum Bernardum Perez de Chinchon, Canonicum Gandiensem, qui anno 1535. ediderat Valentiæ sermone Hispano Dialogos Christianos contra Sectam Muhammedanam, et pertinaciam Judæorum: opus raritate, et doctrina præstans, quod Vives in succum, et sanguinem proprium convertit, et eruditione, et judicio quo pollebat, in conccinniorem methodum redegit.

Quæ Ludovicus scripsit in quarto libro, *De Veritate Fidei Christianæ*, adversus Muhammedem, valde arriserunt Caspari Barthio, qui *Adversariorum Lib. x. cap. 6.* in hunc modum scripsit: »Sed eorum (Ethnicorum) non alia ratio fuit quam nunc est Ma- »humetis sectatorum, quorum princeps, cum Christum sæpe lau- »dat, talia tamen de eo, dogmatisque Religionis sacrosanctæ scri- »bit, ut nequaquam Evangelia inspexisse credendus sit, uti de- »monstrant tum alii docti viri, tum præcipuè Ludovicus Vives, »Hispanus, in iis quæ Alcorano adduntur; quo loco scite stupor »ejus sectæ, fundamentorum in nefandissima superstitione miran- »da stultitia, paucis luculenter, a viro illo longe eruditissimo, et »præclarissimi judicii, demonstratur.» Et Theophilus Raynaudus, Scriptor multijugæ lectionis, *de Bonis, et Malis libris, pag.* 203. scribit: »Ex recentioribus Ludovicus Vives splendide, et diligenter »universum hoc argumentum versavit toto lib. 4. *De Veritate Fi- »dei*, ubi cap. 15. bene examinat turpitudinem, et infamiam Pa- »radisi in Alcorano propositi.» Joannes Franciscus Buddeus summum pretium statuit his libris Vivianis, quos late recenset in opere *De Veritate Religionis Christianæ, pag.* 543. *et seqq.*

Quum Vives adhuc spiraret, cupiebat hoc opus *De Veritate Fidei Christianæ* dedicandum ac nuncupandum Pontifici Maximo Romano, Summo videlicet Religionis Catholicæ Antistiti, atque Assertori, cujus judicio probari deberentur quæcumque de Religionis nostræ fundamentis, adversus Judæos, Ethnicos, Agarenos, et perversè Christianos, subtilissimè simul, atque exactissimè dispu-

tan-

tantur: sed Margareta Valdaura, Ludovici Vivis conjux, mariti votum solvit, utens stilo et calamo Francisci Craneveldii, dicans Paulo III. Pont.Max. ejus posthumum opus, *De Veritate Fidei Christianæ*, quinque libris divisum: *Qui* (ut ait Possevinus) *fuerunt postremus ejus fœtus, et in quos plus diligentiæ atque laboris impendit.*

Franciscus Craneveldius egregie se gessit erga Joannem Ludovicum Vivem, amicum suum, jam fato functum; idcirco grati animi caussà lubet hîc repetere elogium Craneveldii, quod legimus in Commentariis ad Augustinum *De Civitate Dei, Lib.* 19. *cap.* 21. sic, ad vivum, amicum Ludovicus depingens: » Et his paucis die- » bus, de hac ipsa re multa plerumque disseruimus ego, et Fran- » ciscus Craneveldius, juris et justitiæ consultissimus, cum fraudes, » dolos, versutias hujus sæculi, per professores Juris, æquitatisque » excitatas, et altas esse, sapientissime deploraret homo incredibili » ingenii, ac judicii vi, miraque integritate vitæ, et suavitate mo- » rum tam jucunda, tam leni, ut nihil unquam, etiamsi multos » cum eo agas annos, invenias vel asperi, vel acerbi, vel quod » ulla ex parte offendat, et avertat. »

Ad Vivis caracterem quod attinet, fuit vir studiosissimus, etsi morbis afflictatus et paupertate, nam virtus laudatur, et alget; veram sapientiam adamavit, non humanam solum, sed etiam divinam, quam plurimùm illustravit summa cum laude eloquentiæ, et virtutis; probatus vir industria, labore, patientia, animi magnitudine, pietateque; cujus immortalis Famæ gloria, idque meritò, perpetuò vivet; hominum plausus contemsit, et despexit, et adversa fortiter pertulit; judicii laude eminuit inter omnes sui sæculi Scriptores; perfecte calluit linguas Valentinam, Castellanam, Italicam, Flandricam, Anglicam, Gallicam, Latinam, Græcam, et Hebraicam; eloquentiâ valde enituit, etiamsi contra fas aliqui id negent; usus fuit stilo philosophico, et didactico; ad hæc, fuit vir laboriosus, multijugæ lectionis, insignis Politicus, Criticus, Philosophus, et Theologus; plura docet quam dicit; semper brevis, et dilucidus: ingenium habuit versatile imbutum disciplinâ doctrinarum omnium.

Inter opera quæ Joannes Ludovicus Vives elucubravit, et in nostram notitiam non pervenerunt, præcipuum, et maximè deside-

ra-

rabile est illud *De constituenda Schola*, quod sermone Lemovicensi scripsit in obsequium erga Patres Juratos Senatumque Valentinum cui commissa cura Studiorum in patrio Gymnasio, lucique publicæ editum non fuit, sicuti scribit Caspar Escolanus, *Lib.* 5. *Historiæ Valentiæ, cap.* 23.

Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Scriptorum Hispaniæ*, licet hoc transcriberet abs Escolano, levi litterarum transmutatione exscripsit, *De construenda Schola*, cum hic dixerit, *De componenda Schola*, quemadmodum scriptioni vernaculæ, quam non vidit, aptavit titulum Latinum.

Verum operæpretium est audire Escolanum verba facientem de hoc opere Viviano, more, modoque suo: „ Alumbrado ya „ (Vives) con las relaciones, que deste Piru de letras avia dejado „ el maestro Antonio, se pasò a entallarse a lo moderno a las „ Academias de Paris, i Lovaina, i a las demàs, que eran celebres „ en Europa; en donde abrevado bien con el almivar dulcissimo de „ la restituida Eloquëncia, acordò de derramarle en nuestra Uni- „ versidad con un libro que compuso *De componenda Schola*, que „ no se imprimiò por descuido, i se lo embiò a los Regidores. „

Quod sane mirandum non est, cum idem fatum experta fuerit Epistola, quam Joannes Vergara scripsit, *De institutione Academiæ Complutensis, et Tradendarum Disciplinarum more, præposita prius ædificii descriptione*, ut idem Vergara ait litteris ad Alfonsum Seguram, quæ sunt postremæ libri decimi quarti Epistolarum Lucii Marinæi Siculi.

Simili incuria laborat Historia litteraria Academica, nam Lucas de Montoya, vir doctus, scripsit historiam Francisci Ximenez, in *qua non solum Ximenii Vitam, et egregia, portentosaque opera, verum et Complutensis litterariæ Reipublicæ monumenta, collegia, monasteria, leges, facultates, claros viros, et innumera ejus magnalia recensuit*, quod opus mansit ineditum in archivo S. Bartholomæi de la Vega Toletanæ Urbis.

Nec meliorem sortem nacta est scriptio, quam de Salmanticensi Gymnasio concinnavit sermone Hispano doctissimus Petrus Ciaconius, nam quamvis luce publica dignissima sit, tamen manu exarata, asservatur in Bibliotheca Majansiana; feliciores fuerunt,

qui nostra ætate tempus trivère in hisce argumentis Academicis Hispaniensibus tractandis, reconcinnandisque.

Ludovicus noster elucubravit Epistolam sermone Lemovicensi, misitque Patribus Juratis, Senatuique Valentino, cui fortasse dedit titulum, *Del stabliment de la Scola*, eamque Escolanus non vidit, ideoque *librum* appellavit, et Epistolæ linguâ Valentinâ scriptæ indidit titulum Latinum, *De componenda Schola*, et congruentius dixisset, *De constituenda Schola*, non solum ob ea quæ ipsemet Vives tradidit *Lib. 2. de Tradendis Disciplinis*, hisce verbis: *Primum omnium*, ait, *de loco video dicendum, nam in Constituenda Schola primus etiam solet prospici*: sed etiam id discere potuit Escolanus ex opusculo Savallii cui titulus: *Cosmi Damiani Savallii, Oriolani Presbyteri, Oratio parænetica de optimo statu Reipublicæ litterariæ Constituendo, Valentiæ habita ad Patres Juratos, Senatumque Valentinum, tum publicum, tum litterarium, mense Octobri M. D. XXXI.* excusa ut in fine legitur: *Valentiæ apud Franciscum Romanum mense Novembri M. D. XXXI.*

Savallius in hac Oratione adornanda præ oculis habuit epistolam Vivianam hujusce argumenti, eâque præcipue usus fuit, quod ipsemet fassus est in prologo hisce verbis: » Fateor equidem ingenue multa me ex Erasmi, nonnulla ex Vivis operibus ad verbum esse mutuatum; ut taceam alios auctores, et veteres, et recentiores, quorum verbis nonnunquam pro meis usus sum: cæterum cum idem sit et a me, et ab illis tractatum argumentum, » factum est aliquando ut idem ab omnibus diceretur:::: Esset » hoc quidem vitio vertendum, si alienos labores ut meos venditarem, tum enim in me plagii actio intendi justissime posset; » at ego, et tunc cujus essent autoris verba designavi, et si quid » forte vel dissimulatum, vel cessatum est, in presentia profiteor; » quæ vel facillime constabunt ei, qui Hermolai Barbari, Erasmi, » Vivis mei, Sabellici, Aldi Manutii, et Guarini, et aliorum quorundam juniorum evolverit scripta; et in aliis quidem modestissimus fui, in Erasmo tamen, et Vive paulo impudentior; quamquam quod Vives vernacule scripserit, idem ego Latine, at ordine longe diverso, sum executus:::: Huc usque Savallius in Prologo; sed in Oratione hæc leguntur instituto nostro facientia, quæ

lec-

lectores oblectabunt gratiâ novitatis: „ At vero quemadmodum „ omnium facultatumque professores debeatis, Patres Jurati, deli- „ gere, doctissimâ quidem epistolâ, sed vernaculo sermone, Brugis „ ab hinc quadriennium (M.D.XXVII.) ad Juratos, Senatumque „ Valentinum, scripsit Joannes Ludovicus Vives, civis vester, vir „ quidem, eruditorum omnibus centuriis, inter assiduos illos et „ classicos religionis nostræ scriptores, non inter proletarios repo- „ nendus; adeoque multa, ab homine doctissimo, juxta ac egre- „ gie morato, docte pariter et pie, adde etiam et eloquentissime, „ scripta quotidie, per totum orbem invulgantur, quæ sunt haud „ dubie illius nomen, non sine maxima celebritate, et gloria, ad „ posteros transmissura: quam Epistolam, scio ego a fidissimo Scri- „ ba vestro, in archivis hujus Urbis asservari, quamque Vos, Pa- „ tres, quæso, et oro, ut etiam atque etiam legere non gravemini; „ videlicet ea quæ illic homo, patriæ amantissimus, isti Ordini, „ longe amplissimo, augustissimoque, consuluerit et quidem pru- „ dentissime, summa cura et studio exequamini: „ Et paulo post ait idem Savallius: „ Sunt itaque vobis, o Parentes, liberorum „ vestrorum formatores eruditoresque summâ diligentiâ conqui- „ rendi: conquiretis autem ac invenietis aptissimos, nec fallemi- „ ni in ea re, si ea, quæ scripsit Vives meus ad Patres Juratos, „ Senatumque Valentinum, in ea quam modò diximus Epistola, „ adamussim feceritis. „

Ut autem Mentia a Mendoza, Calabriæ Ducis et Proregis Valentini uxor, paucis post annis se accinxerit ædificio Academico construendo, in caussa esse potuit quæ a magistro suo Ludovico Vive audierat, cujus præclari facinoris meminit Michaël Hieronymus Ledesma, epistolâ nuncupatoriâ inscriptâ huic Serenissimæ feminæ, in *Grammatica Græca*, in qua, inter alia lectu digna, scripsit anno 1545. quinque post mortem Vivis annis: „ Atque „ ut id certius sit, ac firmius, Gymnasium celeberrimum in nos- „ tra hac Urbe construere machinaris, in quo politiores litteræ „ floreant, exulantibus, scilicet, nugis, ac sophismatibus, in hoc „ usque tempus cuncta tyrannide sua opprimentibus:::: Ad eo- „ rum tamen stabiliendos ac firmandos animos (Joannis Andreæ Stranei, Joannis Gelidæ, Cosmi Damiani Savallii, Narcissi Grego-

rii, Jacobi Ferruzii, et Joannis Navarri) „cùm primùm rem ag-
„grediebantur, non parum meæ, sine ulla intermissione, et preces,
„et adhortationes profuêre præsagiens, scilicet, Te bonorum stu-
„diorum amatoribus maximè futuram, in libertatemque eorum
„aliquando animos asserturam, quod jam ita esse sole clarius,
„nimirum, ad Gymnasii structuram, aptissimo loco cernimus:„
De hoc domicilio Musarum dixit Joannes Baptista Agnesius, in vita, et laudibus Divi Martini, eidem Principi:

Atque altas illis ædes, ne deinde vagentur,
Sumtibus immensis erigis ampla tuis.

Eodem anno 1540. quo Ludovicus e vita discessit, Octobris 16. pacta fuere capitula amplissimi Seviratus Valentini ad Studium, sive Gymnasium universale, spectantia; ad quæ sancienda habuisse Patres Juratos, Senatumque Valentinum, præ oculis Vivis nostri Epistolam vernaculam, *De constituenda Schola*, minime dubito, etiamque Orationem Savallii, *De optimo statu Reipublicæ Litterariæ constituendo*; et opus cœptum perficientes, anno 1544. die 6. Novembris, facta fuit concordia, seu pactum, inter Ducem Calabriæ, maritum Mentiæ a Mendoza, Principis Zenetis, Juratosque Valentinos de Studio, seu Universitate Generali Urbis Valentiæ: nobis Vivis Vitam adumbrantibus sufficiant hæc delibasse, feliciores illi qui præbebunt gratiora Lectoribus.

Suspicor reperiri vestigia hujusce epistolæ Vivianæ, *De constituenda Schola*, apud duos Scriptores conterraneos nostros, apprimè doctos, quibus abs dubio annumerandus est Cosmus Damianus Savallius; prior est Petrus Ximenus, qui epistolâ dedicatoriâ præfixâ Dialogo, *De Re Medica*, ad Senatum Valentinæ Urbis, ait:
„Restitutâ verâ veterique methodo disserendi (Dialecticam vo-
„cant) summa cum laude et gloria nominis Valentini, quòd, in-
„ter Hispaniæ celeberrimas, prima resipuerit (Ximenus respicit ad victoriam a Ferruzio partam adversus sophistas in templo maximo) „ut operæpretium fuit, studio erga Medicam facultatem pro-
„pensissima ubi primum subolfecit ordinis rationem in Traden-
„dis Disciplinis (Puto Senatum Valentinum assecutum fuisse hanc veram methodum studiorum, non solùm ex opere, *De Tra-*

den-

dendis Disciplinis, ut Ximenus videtur indicare, sed etiam ex Ludovici epistola, *De constituenda Schola*, quam Patres Jurati, Senatusque, asservabant in archivo Urbis, et Savallius præ oculis habuit in sua adornanda) „ omnibus liberalioribus multi esse mo„ menti, tertiam Medicam lectionem perpetuam instituit. „

Alter vero Scriptor est Franciscus Joannes Bardaxinus, qui opusculo, *De Conscribendis Epistolis*, agens de studio bonarum litterarum in Academia Valentina, ait: „ Cum igitur Consules pruden„ tissimi, qui tum Rempublicam gubernabant, (scilicet paullo ánte annum 1564.) „ de consilio Senatus, et eorum hominum, qui „ varias Scholas vidissent, usum et prudentiam collegissent, aper„ tè intelligerent universum puerorum et adolescentium numerum, „ in septem ordines, aut potius Classes, esse distribuendum, con„ temtâ priori illa disciplina, septem Duces Classibus præfecerunt: „ Horum hominum, qui varias Scholas vidissent apud exteras gentes illo ævo, magnus fuit proventus Valentiæ, inter quos eminuit Ludovicus Vives.

Tertius Scriptor, qui tamen primus debuisset recenseri, est Cosmus Damianus Savallius, Oriolanus, Rhetor insignis, qui Oratione habita ad Patres Juratos, Senatumque Valentinum, mense Octobri anni 1531. *De optimo statu Reipublicæ Litterariæ constituendo*, palam confessus fuit se paullo impudentiorem fuisse in excerpenda Vivis epistola sermone vernaculo elucubrata, uti acceptum habeo a viro erudito Vincentio Blasco, Ecclesiæ Valentinæ Canonico; quæ sane Savallii scriptio typis iterari deberetur: Doctissimus Schottus elegans fragmentum hujusce Orationis adducit, in *Bibliotheca Hispaniæ*, in quo continentur egregiæ laudes præceptoris sui Joannis Andreæ Stranei, qui eruditionis gloriâ cæteris omnibus conterraneis antecellebat.

Puto me rem facturum lectori jucundam, et ab instituto nostro non alienam, si ei enarrem vicissitudines Scholæ Valentinæ, quam Ludovicus noster constituere sategit, cujusque Gymnasium Mentia ejus discipula struxit; argumentunque exordiar ab Jacobo I. Aragonum Rege, cognomento Expugnatore, ad Carolum primum Hispaniarum Regem.

Pridie ejus diei, qui mense Septembri Michaëlis Archangeli me-

memoriâ sacer est, anno 1238. Christiani urbem Valentiam ingressi, regnoque nobilissimo aucti sunt; lustrata Civitas, Templumque maximum expiatum, mense Octobri, die Parisiensi Dionysio sacro, fuere.

Jacobus Rex enixè cupiebat condere in urbe Metropoli Studium, seu Gymnasium, et Innocentius Papa IV. indulsit ut Magistri in eo docentes perciperent proventus suorum beneficiorum anno 1245. uti legitur in *Privilegiis Regni Valentiæ, fol.CC.XXXVIII.*

Frater Andreas ab Albalato Episcopus, et Capitulum Ecclesiæ Valentinæ, ut animum Jacobi Regis explerent, in unum convenientes statuere, anno 1259. ut Magister, qui regeret Scholas in Grammatica, in Ecclesia reciperet sex denarios, et totidem ab Episcopo. Vide *Constitutiones Ecclesiæ Valentinæ, fol. LXVII.* Quid in his Scholis Grammaticæ nomine doceretur colligi potest ex Joanne de Janua: „ Grammatica, Dialectica, et Rhetorica, dicuntur *Trivium*, quadam similitudine, quasi triplex via ad idem, id est, „ ad Eloquentiam; Arithmetica verò, Musica, Geometria, et Astronomia, dicuntur *Quadrivium*, quasi quatuor viæ ad idem, id „ est, ad Sapientiam tendentes; unde et *Triviales* dicuntur qui „ docent, vel qui student in Trivio; sicut *Quadriviales*, qui in „ Quadrivio. „

Schola Bononiensis, Corporibus Juris Civilis, et Pontificii, causam suam obtinuit in Europæ Tribunalibus, ideoque Jacobus I. Regnorum expugnator, et legum lator, anno 1264. jussit amandari Jus Civile, et Canonicum, noluitque ea allegari in Tribunalibus Regiis; qua de re consuli potest volumen *Privilegiorum Regni Valentiæ fol. XIX. col. 2.* Idemque Princeps anno 1270. voluit etiam Advocatos non allegare, sive laudare in caussis, sive litibus, Leges, nec Decreta, nec Decretales, uti legitur, fol. XXIV.

Raymundus Gastonus Episcopus, una cum Capitularibus, statuère anno 1345. ut de cetero in Sede Valentina esset Lector Theologus, qui prælegeret sacram Theologiam, et elegerunt Monachum Ordinis Prædicatorum huic muneri obeundo magna cum Ecclesiæ Valentinæ gloria, ita enim habuit professorem Vincentium Ferrerium, Apostolum Valentinum: consule Franciscum Didacum in *Historia Provinciæ Aragonum Ordinis Prædicatorum, Lib.1. cap. 21.*

et

et Seraphinum Thomam Michaëlem, in *Vita Vincentii Ferrerii, pag.* 465.

Anno 1374. lis fuit inter Episcopum Valentinum, Jacobum Aragonium, Senatumque Valentinum, de Scholis Grammaticæ, et Logicæ, sicuti reperitur in libro manuali urbis hujusce anni, fol. 221. num. 16.

Petrus Figuerola, Magister Artium, et Medicinæ, aliqua ad Scholarum regimen exposuit Senatui Valentino, anno 1389. quorum invenitur mentio in libro Manuali hujus anni fol. 81. num. 19.

Senatus jussit anno 1400. ut omnes Scholæ in unam coalescerent: Ballesterius fol. 583. in *Catalogo Episcoporum.*

Seviri, de sententia Vincentii Ferrerii, de constiruenda Schola cogitarunt anno 1408: Escolanus in *Historia Valentiæ*, Lib. 5. cap. 22. num. 5.

Senatus in hunc finem emit anno 1410. domum nobilis Petri a Villaracuto: Rodriguez in *Bibliotheca Valentina*, *pag.* 425.

Tandem Vincentii votum habuit optatum finem, et Gymnasium erectum fuit anno 1411: Escolanus *Lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 5. Variæque Constitutiones editæ fuere, de quibus Liber Manualis anni 1411. die 5. Januarii: Michaël *pag.* 157. in Vita Vincentii.

Etiamque, die 5. Januarii sequentis anni 1412. Concilium Generale Urbis Valentiæ asseruit Scholam noviter esse ordinatam per Rev. Dom. Episcopum Hugonem e Lupiano, et honorabile Capitulum, et Concilium dictæ Civitatis, Magistrosque electos fuisse ab iisdem Episcopo, et Capitulo, et Concilio Juratorum; eodem die latæ fuere Constitutiones, jam antea subscriptæ a Capitulo et Episcopo; in Logica Magistros Parisiorum, et Oxoniæ, antesignanos haberi censuerunt.

Die 28. Februarii anno 1412. Concilium Generale Urbis Valentiæ facultatem dedit Juratis, Patronisque, ad confirmandum Studium Generale: *Liber Manualis hujus anni fol.* 434,

Alphonsus Aragonum Rex, hujus nominis Quintus, litterarum, et litteratorum amantissimus, privilegium Nobilitatis indulsit Valentinis Jureconsultis, anno 1420: Ortinus in *Memoriis Historicis*, *pag.* 17. *et* 429.

Concilium Generale Civitatis Valentiæ dedit anno 1424. die

28.

28. Septembris Magistro Guilielmo a Venetia centum florenos, ad enarrandos libros Æneidos Virgilii, et Boëtium *De Consolatione*: Liber Manualis Civitatis Valentiæ hujus anni num. 28. et Majansius in *Vita Virgilii*, præmissa ejus editioni Latino Hispanæ.

Gymnasium Ilerdense præcipuum erat, et commune Regnis ditionis Aragonum; cumque Rectoris Academiæ munere tantum fungerentur Aragonenses, et Cathalauni, Senatus Valentinus obtinuit ut conterranei pari honore fruerentur, quod ex voto suo evenit in nobilissimo equite Nicolao Monsorivio: Escolanus, *Lib.* 5. *cap.* 24. *Historiæ Valentiæ.*

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Valentinæ, cùm vacaret Lectura Theologiæ morte fratris Arnaldi de Curtibus, statuit anno 1443. ut quoties vacare contigerit, profiteretur eam Canonicus, aut Beneficiatus dictæ Ecclesiæ, aut alius Doctor ejusdem civitatis, vel Diœcesis: *Constitutiones Ecclesiæ Valentinæ, fol.* LXXXVII..

Neque his finibus tantum contentum fuit studium Theologicum in Ecclesia Valentina, nam doctissimus vir Petrus Antonius Beuterus, epistolâ nuncupatoriâ suarum *Annotationum in Sacram Scripturam*, inscriptâ Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ Valentinæ, sic ait: » Movit autem me, juridicum (testimonium), vir præsignis » Franciscus Joannes Benavent, in utroqne Jure clarissimus, qui » innumeris licet negotiis obrutus, ad sacras Lectiones anhelans, » instituit ordinariam de Divi Pauli Epistolis Lectionem in Ecclesia nostra, annuos census constituens, suffuraturus horulas Forensibus occupationibus ut lectioni divinæ indulgeret vir pius; » habeat igitur lectio illa hanc præparationem præambulam;„ et revera adhuc nostro sæculo eruditam: fortasse aliquis dicet huc etiam facere illud Andreæ Schotti, in *Bibliotheca Hispaniæ*, in Joanne Andrea Straneo, de quo narrat: » in Theologicis diu, multumque versatus; reversus e Gallia, publice in Academia Valentina S. Scripturam enarravit, atque Ecclesiæ munus feliciter obivit. »

Honorabiles Jurati Civitatis Valentiæ decrevere anno 1466. ut Poëtæ (scilicet enarratori Poëtarum, et successori Guilielmi a Venetia) aliquid demeretur e salario: *Liber Manualis hujus anni num.* 40.

Ru-

Rudericus a Borgia, Episcopus Valentinus, et Cardinalis, antequam ad summum apicem Romanum perveniret, Propræsulem habuit Jacobum Perezium e Valentia, Episcopum Christopolitanum, anno 1468. virum doctum et pium, quique epistolâ nuncupatoriâ Commentariorum in Psalmos hæc scriptum reliquit: » In quibus non tam mihi laus scribendi, quàm voluntas ingens faciendi satis venerandis, et præstantissimis Patribus, Ecclesiæ Valentinæ Canonicis, omni virtutum genere, ac litterarum studiis eruditissimis, et ornatissimis, qui me sæpenumero ad hoc scribendi onus subeundum enixissimè hortati sunt, quæsita est; nam cum me frequenter, orandi gratiâ, in eandem Ecclesiam recepissem, et citharœdi David Psalmos iidem Canonici in choro noctu dieque decantarent, ac psallerent, et circa eorundem Psalmorum contemplationem difficultates non parvas sedulò a me ipsi expeterent, hos quidem Commentarios, per otium minus accurate scriptos, quibus (tum ut tuo officio, tui vero absentiâ, meo incumbebat) spirituales sensus, nec non veras sententias pro viribus aperirem. »

Jurati, seu Seviri Valentini, minervali conduxerunt an. 1498. die 12. mensis Februarii Magistrum Danielem Buxensem, Poëtam, hoc est, enarratorem Poëtarum, ad enodandum Virgilium: *Liber Manualis Civitatis Valentiæ, num.* 50. *fol.* 157: Alphonsus Viruesius, Medicus Valentinus, pater Christophori, Francisci, Hieronymi, et Benedictæ, quibus Musæ Hispanæ multum debent, quâdam schedulâ exaravit Præceptorem suum, Joannem Angelum, eminuisse inter conterraneos suos in enarratione Virgilii; fortasse Daniel iste erat frater Reverendi magistri Hieronymi Buxensis, primi Gymnasiarchæ Valentini, quem Jurati elegerunt anno 1499. die 30. Aprilis: *Liber Manualis, num.* 50. Annoque 1502. jam erat Rector Studii Generalis Valentini nobilissimus vir Hieronymus Dassiò, Juris Cæsarei, Pontificiique Doctor, cui Hieronymus Amiguetus, Vivis nostri quondam magister, opus suum inscripsit, in quo reperiuntur nomina aliquorum Professorum Academiæ Valentinæ, illo tempore exorientis.

Tandem noster Alexander VI. Pont. Max. largiter indulsit Academiæ Valentinæ anno Christiano 1500. omnia privilegia con-

cessa Gymnasiis Romano, Bononiensi, et Salmanticensi, uti videre est in *Privilegiis Regni Valentiæ, fol. ccxxii.*

Sed cum res humanæ, caducæ, imbecillesque, et machinationibus hominum obnoxiæ, absque fulcro sustineri non possint, aliam Bullam huic confirmandæ ac muniendæ expedivit idem Pontifex Romanus, et Valentinus, eodem anno: vide *fol. ccxxiii. voluminis Privilegiorum.*

Ferdinandus Rex Catholicus, miræ prudentiæ Princeps, rem mandatam exequi jussit anno 1502. uti videre est in *Privilegiis Regni Valentiæ, fol. ccxxiv.*

Usque ad annum 1499. fuerat Gymnasium Valentinum prope portam Vallisdignæ, uti litteris consignavit Franciscus Marchus apud Josephum Rodriguez, in *Bibliotheca Valentina, pag.* 425. sed Seviri Valentini, die 30. Aprilis hujusce anni, animo suo præclara volventes, multa cordate, sapienterque sanciere ad Studium Generale spectantia, ementes etiam amplam domum intra Parœciam Sancti Andreæ, ne Scholastici, Magistrique, incertis sedibus per urbem vagarentur, sed sub eodem tecto, iisdemque Professoribus, Artes Scientiasque addiscerent: *Liber Manualis* 50. *fol.* 316. In hoc Gymnasio construendo, quid nobilissima Princeps Mencia a Mendoza, nostri Ludovici discipula, paucis post annis præstiterit, supra a nobis indicatum est.

Nicolaus Falco, pinxit altare Studii Generalis, uti legitur apud *Librum Manualem Civitatis Valentiæ, anni* 1515. *fol.* 513. Augustinus Sales, in *Historia Cœnobii Monialium sanctissimæ Trinitatis, pag.* 223. meminit hujus pictoris.

Quantum splendoris accesserit ex hac nova facie Academica, (tanta cum sapientia constituta, quo tempore unice publico bono consulebatur) non solum Senatui, Populoque Valentino, verum et etiam Ecclesiæ Metropolitanæ, apparet ex iis, quæ Petrus Antonius Beuterus, anno 1547. scripsit Canonicis ejusdem, initio pretiosi opusculi *decem Annotationum in Sacram Scripturam*, hisce verbis: „Vestra interest, nobiles, ac Reverendi Domini, segniter, an vi-„gilanter res litteraria agatur: quippe Alexander PP. VI. e nostra „Valentia oriundus, erigens hoc nostrum Gymnasium, vestræ com-„missum curæ esse voluit, conservatoresque ejus Vos designavit,

„non

„non tam ad coërcendas foris infestantium hominum injurias, „quàm intus ad promovendas bonas litteras: quod si hactenus „ab exordio hujus Academiæ adhibenda fuit cura ad hujusmo- „di negotium, hisce diebus maxime adhibetur, repubescente de- „siderio bonarum litterarum, aspirante integerrimo Præsule D.Fra- „tre Thoma a Villanova, Archiepiscopo nostro, qui tacite librans „omnia prospicit:„ Mirum igitur non est, si bene informati adolescentes, tanta Gymnasii Valentini celebritate commoti, ad animum artibus, atque disciplinis recte excolendum, undique Valentiam convenire videantur, cum in ea sedes læta, et splendidum doctrinæ, et eruditionis domicilium constitutum fuerit.

Cum e Tabellionum fide pendeant universa bona et negotia Reipublicæ, Senatus Valentinus omnium securitati prospiciens, anno 1518. die 29. Octobris, annoque 1519. die 10. Junii, instituit Professorium munus Artis Notariæ, et exemplo sane commendabili hoc negotium commisit Carolo Navarro: majores nostri in his hominibus instituendis ornandisque magnam adhibuere curam.

Ex titulis, et honoribus Academicis, abs Studio Sapientiæ Romanæ, Comitibusque Palatinis, sine delectu concessis, multa Civibus oriebantur incommoda; Senatus autem pro sua sapientia, et æquitate, huic malo remedium attulit die 13. Januarii, anni 1525: hæc potestas Academica concessa erat non solum Gymnasio Romano, Comitibusque Palatinis, verum et privatis etiam personis, sicuti a Carolo V. Romanorum Imperatore facta fuit copia Wilhelmo a Böcklein, creandi scilicet in quolibet anno, in sacra Theologia, in utroque, vel altero Jure, nec non Medicinali, ac omni alia licita Facultate, Doctores, vel Licentiatos, itidemque Poëtas Laureatos, Magistros, ac Bacalaureos Artium: belle Ludovicus a Gongora irrisit hunc morem ridicularium hisce versibus:

Que avra gran copia imagino
De Medicos, i Letrados,
Los mas dellos Graduados
Por un Conde Palatino;
Con la fé de un Pergamino

Destruyen media Castilla,
Uno en Mula, i otro en Silla;
I quando el mas Docto emprenda
Uestra Vida, o uestra Hacienda,
O mejor con Vos lo hiciere,
Serà lo que Dios quisiere.

Tandem anno 1541. altero post mortem Vivis, prælectus fuit Aristoteles in Academia Valentina Latinè Græcèque, ductore Jacobo Ferruzio, Valentino, Parisiensique in Theologia Magistro, cujus triumphum litterarium adversus sophistas scholasticos descripsit Laurentius Palmyrenus, *Lib. 1. de Inventione Rhetorica*; locus agonalis fuit aula Capitularis templi maximi, quæ tunc temporis erat instar Theatri Academici, sedesque Cathedralis fuit Valentinis Civibus Gymnasium Generale, unde natum sermone vernaculo proverbium, *A la Seu per tinta.*

Potuisset Joannes Ludovicus Vives edere Commentarios in multos Ciceronis, Virgilii, Plinii, et Quintiliani libros, et qua de caussa non fecerit operæpretium est ab ipso Vive cognoscere, qui præfatione in suam Vigiliam in Somnum Scipionis, ait: „Et eram „ipse in multos Ciceronis, Vergilii, Plinii, Quintiliani libros edi„turus Commentaria, quæ domi perfecta servo, nisi tam me illa„rum dementiarum et rabiosarum annotationum tæderet, pige„retque; statim enim grandia Annotationum proferuntur volu„mina, quibus interpretes miserrime lacerantur, et omnium re„rum ignorantiæ arguuntur.„

Ad hæc, scribere voluit Ludovicus noster *De lingua Latina*, cui discendæ Eruditi sæculi decimi sexti omnes animi nervos intendebant, et Præfatione in Vigiliam in Somnum Scipionis sic scripsit loquens de superstitiosis Latinæ linguæ studiosis: „Sed argu„mentum hoc destinatum mihi est aliis voluminibus, quæ spero „me De lingua Latina editurum, ubi ostendam quanta nostris „temporibus per recentes Grammaticos invecta in Latinum ser„monem superstitio est, veteri auctorum religioni adversa, atque „contraria; hæc vero sint a nobis dicta ad nostros Grammaticos „commonefaciendos, ut si fieri possit, ne velint pro lege esse in

„La-

» Latino sermone (qui latius patet quam putent) quicquid ipsi » se legisse non recordentur. »

Ex his verbis apparet quid dixisset Vives si legisset censuras Grammaticorum Francisci Sanctii Brocensis, et Alfonsi Garciæ Matamoros; huic argumento facit quod idem Ludovicus scripsit Erasmo, Brugis, Kalend. Octob. 1528. » Ciceronianum tuum degustavi verius, quam legi; et ipse ex Italia litteras accepi ab homi» ne, non amico modo, verum et nonnihil propinquo, qui me » hortatur ut duos totos annos nihil nisi Ciceronem legam, ut eum » æmuler in sententiis, in verbis, in figuris: ita futurum, ut » longe post me, et alios permultos, et Longolium relinquam: de *Ciceroniano* Erasmi legenda est elegans epistola Julii Pflug, in Sylloge Burmaniana vol. 2. Desiderii liber *De Lingua* alio tendit, scilicet, ad bonum malumque usum ejus: in quo argumento etiam stilum duxit Antonius a Guevara, Episcopus Mindoniensis, in epistolis vulgari sermone scriptis.

Hunc librum Vivis, *De lingua Latina*, arbitror esse eundem ac illum, *De usu linguæ Latinæ*, quem illi tribuit Nicolaus Antonius premens vestigia Antonii Possevini; si Vives hoc opus edidisset, levasset aliquo modo desiderium habendi *Cæsaris Anti-Catones libros duos*, de quibus ad *lib. 1. B. Augustini De Civitate Dei, cap. 23.* scripsit: » Cæsaris Anti-Catones duos vir clarissimus, Car» dinalis Leodiensis, confirmavit se in antiqua quadam Bibliothe» ca Leodii vidisse, et curaturum ut ad me mitterentur; quod si » fecerit, non invidebo studiosis hominibus lectionem eorum: » Sed nemo mortalium adhuc hos Cæsaris libros in lucem protulit: Cardinalis Leodiensis erat Erardus a Marca, Episcopus Leodiensis, et Archiepiscopus Valentinus, Presbyter Cardinalis titulo Sancti Chrysogoni: similiter accidit Cardinali Reginaldo Polo, qui ajebat se semel 2000. aureorum consumsisse mittendo quendam hominem in Poloniam ad perquirendos libros Ciceronis *De Republica*, quorum illic inveniendorum spem quidam ei fecerat, ut ait Rogerius Aschamus.

Joannes Ludovicus Vives etiam scripsit: *De Ratione linguarum*, cujus operis meminit *Lib. 2. De caussis corruptarum Artium*, qui est *De Grammatica*, ubi ait: » In Scriptoribus quoque nonnulla depra-

» va-

„vata corriguntur ex Artis formulis, et canonibus; sed hæc a me „planius, fusiusque explicabuntur in libris De Ratione Lingua„rum:„ Qui, ut puto, diversi fuere ab inscriptis: *De Lingua Latina*, sive *De usu linguæ Latinæ.*

In animo etiam habuit Vives commentari *De Republica*; quod argumentum egregie tractasset vir in Politicis rebus magni et judicii, et pietatis; ita enim scribit libro *De Officio Mariti*, *cap.* I. „Sed quatenus liceat aut non liceat in his progredi, quæ sunt „et Romanorum legibus, et Pontificum Decretis sancita, non est „loci hujus disputare; dicentur aliquando, cùm, secundo Christo, „de Republica commentabimur:„ Fortasse in hoc opere ostendisset Vives suam eruditionem in Jure Civili, et Canonico.

Etiam Ludovicus scribere voluit, *De Originibus Hispaniæ*, ut ipse ait in Commentariis ad Augustinum *De Civitate Dei*, *Lib.* 8. *cap.* 9. ubi agens de quibusdam Philosophis Hispanis dicit: „Restat ad hæc tenuis quædam priscorum temporum notitia, Græcis „litteris, ac Latinis consignata, unde spero me aliquando Origi„nes gentis nostræ illustraturum:„ Testimonium Vivetis non intellexit Thomas Tamajus, in *Defensione Dextri*, *fol.* 104. *pag.* 2. Caspar Barthius, vir multijugæ lectionis, et rerum Hispaniensium studiosissimus, idem argumentum aggressus fuit, ut ipse ait in *Præfatione ad Rutilium Numatianum.*

Martinus Lipenius in *Bibliotheca Juridica pag.* 122. ait, Joannem Ludovicum Vivem scripsisse *De Juris Civilis Corruptione*, in quo designare voluit septimum librum *De corrupto Jure Civili*, qui est postremus operis *De Corruptis Artibus*, quod ille non vidit; idemque ei accidit in libro *De Officio Mariti*, quem recensuit inter libros juridicos; quæ Jureconsulto Germano nostri temporis condonanda sunt, cum Petrus Augustinus Morlanus, Jurisperitus Valentinus, ejusdem sæculi XVI. in quo Vives floruit, eandem sortem expertus fuerit ob raritatem librorum in ipsa patria, in qua nemo Propheta, et e cujus Academia imprudenter exclusus fuerat, uti censuit Vincentius Blasius Garcia in *Epitome Rhetoricæ*; scripsit enim conterraneus noster Morlanus, quasi ageret inter Garamantas, et Indos, in hunc modum: *Ludovicus Vives, quem Galli, Itali, Belgæ, Germani, et aliæ exteræ nationes, Valentinæ gentis doc-*

tis-

tissimum, patriæ nostræ decus, et ornamentum appellant, (scilicet didicerat Morlanus, dum vacaret Grammaticæ, illud Syntaxeos Joannis Torrellæ: *Lodoicus Vives, Hispanorum doctissimus, et Valentinæ gentis acutissimus.*) *Commentarios in D. Augustini libros De Civitate Dei, De Veritate Fidei Catholicæ*, (Christianæ) *De Corruptis Disciplinis, deque eisdem Tradendis*, (De Corruptis Artibus, de Tradendis Disciplinis, et de Artibus) *Introductiones* (Introductionem) *ad veram Sapientiam, Allegorias Eclogarum Virgilii*, (Interpretationem allegoricam in Bucolica Vergilii) *Pueriles Institutiones*, (De Ratione Studii Puerilis) *lepidissima Colloquia*, (*Exercitationem linguæ Latinæ*, dialogistice scriptam) *Declamationes in Antonium Nebrissensem*, (quæ nunquam editæ sunt, et fortasse nec scriptæ) *Symbola*, (Satellitium vel Symbola) *et alia, quæ cum adhuc in Hispaniam non pervenerint*, (tum separatim edita, tum in unum corpus collecta in editione Basileensi Episcopii) *nequeunt numerari, æternis literarum monumentis consecravit*: tam rara, tamque ignota erant Joannis Ludovici Vivis scripta apud Valentinos: ¡quod sane pudendum!

Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ tribuit Ludovico Vivi, *In Ciceronem*: *item De Legibus*: verum hæc opuscula esse *In Leges Ciceronis Prælectio, et Ædes Legum*, ad Martinum (non Martium) Pontium, Jurisconsultum Valentinum, ambigi non potest.

Idem Nicolaus Antonius, testimonio Antonii Possevini, adjungit operibus Vivis, *De Caritate Dei, et Proximi* libellum nondum editum, ut Simlerus annotavit, et alium *De Prosperis et Adversis*.

Nicolaus Antonius optime suspicatus fuit librum *De Sudore*, quem ei tribuunt, eundem esse ac *Sacrum Diurnum de Sudore domini nostri Jesu Christi*.

De Actis, Vitaque Blancæ Marchæ: Joannes Ludovicus Vives ejus filius, *Lib. 2. de Institutione Feminæ Christianæ, cap. De Concordia Conjugum*, posteaquam de Ludovico Patre, et Blanca Matre egregia dixisset in editione principi, adjecit: »Sed de sanctissima »Matre mea, quam ego nil dubito in cœlis fructum integerrimæ »anteactæ vitæ jam percipere, non est in alieno copiosius loquen»dum opere, cum destinatus sit nobis de illius Actis, Vitâque »liber.»

Præ-

Prædicta leguntur in editione principi Antuerpiensi hujus operis anni 1524. et omissa fuere editionibus sequentibus, uti a nobis animadversum est initio Vitæ Ludovici nostri, tamquam si nihili facienda sit pietas filialis erga parentes suos, cum tantopere a Deo commendetur; male igitur in editione Basileensi Episcopii hæc decurtata fuere, etsi non tam male actum cum Matre, quam cum Patre Ludovico, cujus nomen omnino obliteratum fuit, legitur enim vol. 2. pag. 712. in hunc modum: *Sed de Matre mea alius erit fusius dicendi locus.*

Licet Vives suorum tantum ter meminisset, bis Matris, et semel socrus cum adhuc non erat, adeo ægre id tulere homines invidi, ut Erasmo visum fuerit illum de hac re monere, cui in epistola exarata Brugis, festo Margaretæ, anno 1527. rescripsit: » In » Matre excusat pietas, et id feci modice, veritus invidiam, et » non ignarus hominum fere ingenia libentius maledicentiam au» dire, quam laudes. »

In animo habuit etiam Joannes Ludovicus Vives colligere *Q. Ennii Fragmenta*, ut ipse ait Commentariis ad B. Augustinum *De Civitate Dei, Lib. 2. cap. 21.* » Hujus (*Q. Ennii*) præter Fragmen» ta quædam, quæ ex variis antiquis Scriptoribus colligere, et in » unum velut corpus dispersa redigere, in animo habeo. »

Susceptus postea hic labor fuit a Roberto Stephano, et ab ejus filio digestus; non infeliciter præstantes eandem operam in Fragmentis aliorum multorum Poëtarum Latinorum.

Quod ad Tragœdias Ennii attinet, id præstitit Martinus Antonius Delrius, edEditque in *Fragmentis veterum Tragicorum Livii Andronici, Ennii, Pacuvii, Accii, et aliorum*, præmisitque Senecæ Tragœdiis; eandem operam navavit Petrus Scriverius in *Collectaneis veterum Tragicorum.*

Fragmenta vero ex XVIII. Annalium libris, aliisque Q. Ennii scriptis, majori studio collegit, digesit, commentarioque pereruditto illustravit Hieronymus Columna, politissimi vir ingenii, ediditque Neapoli 1590. 4. et ob raritatem operis recusum Amstelædami anno 1704. 4. recensente Francisco Hesselio, qui eruditorum virorum emendationes undique conquisitas, et ad Tragœdiarum Fragmenta notas Gerardi Joannis Vossii, et Martini Antonii

Del-

Delrii opinationes, et denique Fragmenta Annalium, e Pauli Merulæ Collectione (omissis ejus animadversionibus) adjunxit; in *Ædibus Legum*, ostendit Vives quam versatus esset in Fragmentis Legum XII. Tabularum, Plauti, et Catonis: atque hi sunt viri eruditi, qui conatum Vivis in colligendis Fragmentis Ennianis explerunt.

De Fato videtur voluisse Ludovicum Vivem scribere, ut ait, *Lib. V. Commentarior. in Civit. Dei Augustini cap.* 3. » Verum hisce de rebus alio in opere disputabo fusius, doceboque homines nihil spei, nihil fidei vanis istis et superstitiosis adhibere rebus, sed totos ab uno Deo, Servatoreque nostro Christo Jesu pendere: in illo solo sita esse Fata omnium: ab illo solo petenda: » Vives *Lib. I. de Veritate Fidei Christianæ*, de Fato sapienter more suo locutus fuit.

De Sapientia Christiana in animo habuit commentari Ludovicus Vives, uti scripsit, *Lib. IX. cap.* 21. *in Civitatem Dei Augustini*, loquens de Jesu-Christo: » Quin et alii posterioribus temporibus Magum fuisse impie mentiti sunt, contra quos, in libro De Sapientia Christiana, Deo adjuvante, fuse disputabo: » Jacobus I. Aragonum Rex, cognomento Expugnator, Princeps ob magnitudinem rerum gestarum immortalis, exaravit librum, sermone Lemovicensi sibi familiari, *De la Saviesa*, hoc est, *De Sapientia*, qui M. S. extat in Bibliotheca Regia Escurialensi; scripsit etiam eodem sermone commentaria rerum a se gestarum, Julii Cæsaris exemplo, de quibus minime audiendus est Bernardinus Gomezius Miedes initio ejus Vitæ, Romano eloquio scriptæ, asserens, Commentaria a Rege scripta, ineleganter, duroque stilo exarata: Miedes hanc linguam a Matre, una cum lacte, non suxerat, neque studium (quod necessarium est in scriptorum antiquorum lectione) adhibuerat; utinam exoriatur novus Honoratus Joannius, qui sicuti hic secundavit editionem *Commentariorum* Jacobi Regis, similem conatum habeat in libro *De Sapientia* ejusdem Principis edendo!

Sed agendum nobis restat de libro falsò tributo nostro Ludovico Vivi, et Aloysiæ Sigææ, Toletanæ; *Satira*, scilicet Sotadica, *de arcanis Amoris, et Veneris*; est enim libellus spurcissimus, et indig-

nus oculis ac lectione omnium bonorum; hunc edidit Joannes Westrene, Jureconsultus Hagiensis, litteris tantum initialibus subindicatus a Christiano Thomasio in *Cogitatis circa Lib. Recent. menstruis vernaculis, an.* 1688. *editis, pag.* 586, a Tenzelio autem ex Hadriani Beverlandi Schedis detectus, in Colloquiis menstruis mensis Februarii, an. 1693. pag. 166. et 169: Morhofius in *Polyhistore, Part.* 1. *Lib.* 1. *cap.* 8. falso suspicatus fuit hanc Satiram profectam fuisse ab Isaaco Vossio, laudandus tamen, quia primus assecutus fuit hanc Satiram Sotadicam ex orco natam fuisse, et perpetuis tenebris damnandam, nomenque mentitum, etiamque non esse opus Hispanicâ linguâ scriptum, nec in Latinam a Meursio versum: *sermonis textus*, (ait in *Polyhistore*) *habitusque totus, ostendit in Latio potius quàm Hispaniâ esse natum hunc fœtum.*

Impostor impudentissime conatus fuit persuadere lectoribus, Satiram indutam esse veste Latina a Johanne Meursio juniore, affigens in fronte operis: *Meursii Elegantiæ linguæ Latinæ*: quod cum vidisset Emmanuel Martinus, vir dum viveret mihi amicissimus, et Hispanorum nostri temporis eloquentissimus, indignatione concitatus, sic scripsit *Lib.* 3. *epist.* 10: „Quando autem in „ clarissimæ hujus feminæ (*Aloisiæ Sigææ*) mentionem incidimus, „ temperare mihi vix possum, quin eorum Manibus male precer, „ qui castissimum illud caput, pudore ac verecundia insigne, dig- „ num judicarunt, cui infamem illam turpissimæ obscœnitatis no- „ tam inurerent, impurissimâ illâ Satirâ vere Sotadicâ, sive Dialo- „ gis flagitiosissima libidine execrandis, qui ejus nomine circum- „ feruntur: doli artifex Janus Meursius; qui improbo ac petu- „ lanti consilio Hispanæ Virgini propudiosum illud opus impegit, „ quod vel Philenis ipsa erubesceret, vel Elephantis: ¡Hominis os! „ Eâdem insolentiâ grassatus est impurissimus nebulo in famam „ et existimationem Ludovici Vivis, hominis sanctissimi, spurcis- „ simam fabellam commentus, quâ tanti viri memoriam incre- „ dibili mendacio apud posteros deturparet; cui diligentius re- „ citandæ totum impendit Dialogum VIII. Satiræ suæ Sotadicæ, im- „ pudentior cane catulliente: sed mali corvi malum ovum.„

Verum hodie viri eruditi persuasum habent, artificem doli fuisse Nicolaum Chorerium, Senatus Grationopolitani patronum, homi-

minem adeo perfrictæ frontis ut gloriaretur se esse ejus auctorem: Lectoribus cupientibus scire, et introspicere hanc fictionem, oportet adire Lancilotum, Academiæ Inscriptionum, et bonarum Artium Parisiensis socium, in libello memoriali *De Vita, et Operibus Præsidis de Boissieu*, in Historia Academiæ Inscriptionum, et bonar. Artium, *tom. XII. pag.* 317. et in epistola sermone Gallico inserta tom. XXX. pag. 42. operis inscripti: *Observations sur les escrits moderns*, et Fridericum Ottonem Menckenium in observatione, *De vero auctore libri famosi Aloisiæ Sygææ, Satira Sotadica inscripti, tom. IX. Miscellaneorum Lipsiensium nov. pag.* 324, etiamque Franciscum Cerdanum, in Vita Alphonsi Garciæ Matamoros; quem virum valde amo ob præclarissimos conatus in litteris promovendis; idque ostendit in colligendis illustrandisque Clarorum Hispanorum Opusculis selectis, et rarioribus, tum Latinis, tum Hispanis, magna ex parte nunc primum editis, in cujus volumine primo extant elegantissima opuscula Aloysiæ Sygææ Toletanæ, quorum e lectione perspicitur hujus castissimæ feminæ pietas, et eruditio.

Operæpretium est hîc indicare insigne exemplum tabulæ, quâ acta urbana dierum septem anni Urbis conditæ D.LXXXVI. Coss. L. Æmilio Paullo, C. Licinio Crasso, continentur, excerptum ex perantiquo codice a Comite de Cherbury, et Grævio, ex Britannia missum (cujus notas vide ad Suetonii editionem alteram, pag. 777) ut ederetur, cum Excerptis dierum quatuor posteriorum, ex Annalibus Stephani Vinandi Pighii, tom. 2. pag. 378. cujus exemplum exscriptum, inter schedas Ludovici Vivis olim repertum, Jacobus Susius Brugensis communicavit Pighio, qui Annalibus suis inseruit, additis quibusdam notulis; ex illis vero retulit Thomas Reinesius, *classe* 4. *inscrip.* 2. *pag.* 340. scriptis suopte ingenio aliis notatiunculis; et Anonymus auctor annotationum ad Livium, *pag.* 250. *edit. Oxon.* 1708; Dodwellus ex apographo Vossiano edidit quoque, et *Prælectionibus Cambdenianis* subjecit, notisque suis uberioribus illustratum.

Ex mensis sapientum hominum curare debemus ut ne vel micæ, quæ procidant, pereant: Guilielmus Canterus, *Lib.* 2. *Novarum Lectionum*, adfert fragmentum epistolæ Ludovici Vivis, in qua tentavit sanare Taciti opera duobus in locis; quæ correc-

tiones Justo Lipsio non arriserunt *Commentario ad Lib. XI. Annalium*: Canteri opus extat volumine tertio *Lampadis Criticæ* Jani Gruteri.

Doctissimus Philippus Labbeus, in *Thesauro Epitaphiorum*, Ludovicum Vivem auctorem perhibet hujus distichi:

Hîc ego qui jaceo, terno MARO carmine clarus,
Pastores lusi, colui Rus, Bellaque scripsi:

Itemque arguti Epitaphii Martini Dorpii, Theologi Lovaniensis, Græcis et Latinis litteris imbuti, qui obiit anno 1525. et in ejus memoriam transcribere volo:

QUICUMQUE PROPERAS VIATOR, SISTE, EXIGUAM MORULAM POSCIMUS;
TUA NE MAGIS CAUSSA, AN NOSTRA, UBI HÆC COGNOVERIS, CENSETO.
MARTINUM DORPIUM, BATAVUM, MORS, SUPERUM MINISTRA, MORTALIBUS ERIPUIT; IMMORTALIBUS REDDIDIT:
SIC VIXIT, UT TERRA ESSET EO INDIGNA;
SIC MORTUUS EST, UT CÆLUM VIDERETUR ILLUM TERRIS INVIDERE:
ANIMAM TULIT DEUS, CARNEM MORBUS, OSSA NOBIS AD SOLATIUM RELICTA:
AMICIS TALEM MORTEM PRECAMUR; INIMICIS TALEM VITAM:
IN REM TUAM MATURE NUNC PROPERA.
VALE, ET VIVE.

Joannes Ludovicus Vives, qui perfecti Magistri habuit dotes, eximios protulit Discipulos: etiamsi nullum alium habuisset nisi Mariam Angliæ Reginam, egregium nomen sibi comparasset: primum erudivit eam calamo jussu Æcaterinæ Aragoniæ Angliæ Reginæ, et in hunc finem exaravit Epistolam, *De Ratione Studii Puerilis*, eique inscripsit non. Octob. anni 1523. ab Oxfordia, dixitque: „ Jussisti ut brevem aliquam rationem conscriberem, quâ in „ Maria filia Tua instituenda Præceptor ejus uti posset; parui libens „ ti-

„tibi, cui in rebus multo majoribus obsequi vellem si possem; „et quoniam Institutorem illi, doctum in primis hominem, ac „probum, (ut par erat) delegisti, res velut digito indicasse fui „contentus: ille reliqua explicabit.„

Cum Vives hæc scriberet, nondum provinciam susceperat Mariæ erudiendæ; et tunc temporis hæc Princeps octenis erat, nam orta fuerat die 18. Februarii anni 1515. Epistola, *Satellitio Animi* prævia, ad Mariam Cambriæ Principem Henrici VIII. Angliæ Regis filiam, scripta fuit Brugis, ad kalendas quintiles, anni 1524. rogatu ejusdem Æcaterinæ Reginæ; in epistola nuncupatoria operis, *De Christiana Femina*, sic scripsit Vives Æcaterinæ: „Leget „hæc monita mea Maria filia tua, et effinget ea dum se ad do„mesticum exemplar componit probitatis, et sapientiæ tuæ; effin„get certe, et nisi humanas omnes conjecturas sola fallat, optima „et sanctissima ut sit necesse est, te et Henrico Octavo nata, ta„li, et tam laudato conjugum pari:„ Talis erat tunc rerum facies: filia Matrem moribus expressit.

Cum Ludovicus noster conaretur Henricum Regem reducere in viam, sic illi scripsit anno 1531. „¿Quid tandem quæretur „hoc bello? ¿Uxor? At habes quæ huic, quam concupiscis, nec „bonitate, nec genere, nec forma, nec pietate tui comparari pos„sit; ¿Sed quid per Uxorem quæritur? Non credo brevis volup„tas aliqua, et obscœna: liberi, inquis, heredes Regni; at habes, „Christo gratia, puellam miræ indolis.„

Ludovicum Vivem functum fuisse munere Magistri testatur Joannes Justinianus, qui in aula Germanæ Reginæ Aragonum versatus fuit, et in linguam Hispanam transtulit opus, *De Institutione Feminæ Christianæ*: ad hæc, Henricus, qui plurimi faciebat Ludovicum, frequenter adibat Oxonium ut filiæ progressus sub tali magistro observaret; sed cum sinceritas, et libertas Christiana Vivis, Regis iram concitarit, annoque 1528. minervali eum privasset, quo aluerat studia, Britanniæ valedixit nam res erat mala, spesque multo deterior, et Brugas Flandrorum remigravit, ubi die 13. Januarii anni 1531. Henrico modeste, at libere, scripsit de discessu suo ab Anglia.

Vitam miserrimam, quam agebat in Aula Anglicana, elegantis-

tissime narravit Christophoro Mirandæ: » Mirum dictu Vitio
,, naturæ nostræ ita comparatum esse, ut in Aulis, quæ sunt velut
,, Regnorum capita, et quia inde regimen in cetera, maximam ver-
,, sari prudentiam sapientiamque conveniret, ibi sapere videatur
,, esse plane desipere: ad hoc commune incommodum, aliud mihi
,, accedit privatum, haud sane parvum; quod etiamsi animus vel
,, lectione, vel scriptione, vel meditatione aliqua ad solitas sibi
,, exercitationes cupiat redire, et se familiari illa olim consuetu-
,, dine reficere ac recreare, nullus tamen ad eam rem locus re-
,, linquitur: habeo pro cubiculo gurgustiolum angustissimum, in
,, quo mensa est nulla, vix sedes, septum utrinque aliis cubiculis,
,, et frequentia strepentium, clamantiumque, ut non liceat animo
,, intro se recipere, quamlibet velit et conetur; tum ab Regia
,, aliquantum absum, et ne mihi totus abeat dies eundo et re-
,, deundo, interdum domo eggressus mane, non revertor usque ad
,, noctem: ibi si cœnatus sum; non deambulo in his angustiis
,, (¿quî enim possem?) sed circumvolvo me more ut si in cavea;
,, nec studere possum plenus, serviendum est enim valetudini, præ-
,, sertim hîc ubi si ægrotem, in stercorarium aliquod abjiciar,
,, nec erit qui magis me respiciat, quam vilem aliquam et mor-
,, bidam canem.,,

Hæc retuli ut lector, simplicitatis amans, habeat ideam aulicæ vitæ, quam agebat Vives in munere maximo, quale erat erudire Mariam, Regis Angliæ filiam, et Regni heredem; mirum igitur non est si optaret finem extremum imponere vitæ infelici:
,, Mihi vero cogitanti per quot labores atque ærumnas trahimus
,, miserandam vitam, sæpe impetit, ac animum subit optandi a
,, Deo finem laborum, et tamquam portum in tempestate; sed
,, revoco me, nec tantum in me nefas admittere sustineo, ut mo-
,, dum ponam misericordiæ, et judiciis Dei de me:,, Præclare Seneca *in Thyeste* de Vita Aulica:

Stet, quicumque volet, potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies;
Obscuro positus loco

Le-

Leni perfruar otio;
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat;
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebejus moriar senex;
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

Quod eleganter vertit Ludovicus Zapata:

Estèse el que quisiere poderoso
De la Corte en la cumbre deleznable,
I viva yo contento en mi reposo;
Puesto en bajo lugar, no codicioso,
Goce del ocio manso, i deleitable;
Paseseme la edad, sin ser tratable
Ni conocido del Señor pomposo,
I el curso de los dias de mi suerte
Ansi pase callando, i sin ruido;
Muera plebeyo quando viejo fuere;
A aquel es grave la insidiosa muerte,
Que de todas las gentes conocido,
Solo de sì desconocido muere.

Lectissima Regina Angliæ Maria, cum quinquennnio et quatuor mensibus regnasset, hanc vitam æternâ commutavit, anno 1558, et Cardinalis Reginaldus Polus post duodecim fere horas, eodem ipso die, ex hac vita migravit; magno rei Catholicæ detrimento.

Gabriel Naudæus, in limine *Apologiæ virorum magnorum, qui falso Magiæ suggillantur*, oscitanter scripsit, doctum, et judiciosum Joannem Ludovicum Vivem, delectum fuisse inter egregia sæculi sui ingenia, ad instituendum Carolum Quintum; verum Imperator Maximilianus studiis nepotis, adhuc septennis, præfecit Hadrianum, Ultrajectinum, parentis nomine cognominatum Florentium, qui Leone X. jam demortuo, nec opinato, et absens in Hispania, ra-

raro, et inusitato sane exemplo, Pontifex Maximus undequadraginta Patrum purpuratorum suffragiis deligitur; ejusdem est illa vox memoranda: *Nihil sibi imperio infelicius in vita accidisse.*

Carolus Præceptorem etiam habuit virum nobilissimum, Ludovicum Cabeza de Vaca, ab eodem Imperatore Maximiliano designatum, uti narrat L. Marinæus Siculus, in ejus Elogio; in congressu Theologico Vallisoletano, de Erasmi operibus, eorum Libitinam vitare contendit; tuncque erat Episcopus Canariensis, postea Salmanticensis, tandemque Palentinus; in qua Sede Vicarium Generalem habuit Alphonsum Fernandezium Madridium, Archidiaconum Alcorensem, virum in paucis eruditum, et Erasmiani nominis propagatorem in Hispania.

Theophilus Raynaudus, opere illo in quo sub tegmine Petri a Valleclausa latere voluit, scripsit Joannem Ludovicum Vivem, Præceptorem fuisse Philippi Secundi, Hispaniarum Regis; sed re vera institutor ejus fuit Joannes Martinus Siliceus, postea Archiepiscopus Toletanus, Vivis condiscipulus, nam ambo in Philosophia institutorem habuêre Joannem Dullartum, Professorem Parisiensem: Ludovicus scripsit Dialogos, *Exercitationis Linguæ Latinæ,* in gratiam Philippi, tunc temporis Asturum Principis, et Caroli Quinti filii, cui eos dicavit, dixitque: *Sed hæc a Joanne Martino Siliceo, Institutore tuo, et copiosius audies, et crebrius*: et Dialogo, *Princeps puer*, partes suas agens ait: *PHILIPPUS. Stunica est Educator meus; Siliceus autem Institutor litterarius.*

Paulus Colomesius, vir eximiæ eruditionis, in *Miscellaneis curiosis*, ait Casparem Barlæum, Poëtam Antuerpianum, qui obiit anno 1647. scribere quâdam epistolâ, se accepisse a Patre suo, Imperatorem Carolum Quintum, inter Belgas natum, et educatum, Antuerpiam venisse, et valde humaniter salutasse Magistratus Urbicos, at contra, Philippum, qui tunc erat decennis, aut duodenus, vix discooperuisse caput; quod cum animadversum ab Imperatore fuisset, coram Magistratibus Populoque impegisse ei colaphum, et indignabundum, ac clamitantem dixisse: *¿Est-celà ce que vous avez appris de Vives?* Proculdubio respexit ad laudatum Dialogum Philippicum, cui titulus: *Princeps Puer*: hincque etiam liquet verum esse quod Ludovicus in nuncupatoria ipsi Philippo ex-

exposuit, summam scilicet fuisse benevolentiam Caroli Cæsaris erga Vivem; ¡quàm multa documenta egregii Principis dedit et reliquit Carolus Philippo! sed fortasse nullum hoc magis conducibile Religioni, et Regno; nam simplicitate, et comitate paterna seditiones Belgicas vitare, et sedare potuisset:

Principis est virtus maxima nosse suos.

Lucem præbet huic historiolæ narratæ a Barlæo, eamque fulcit, quod refert Ludovicus Capraria a Corduba, in *Philippo Secundo, Lib. I. cap.* 4. hujusmodi verbis: *En Valladolid puso* (Philippus Asturum Princeps, postea Hispaniæ Rex, hujus nominis Secundus) *casa* (anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto) *al Infante Don Carlos*, (postea Asturum Principi) *i diole por Ayo i Mayordomo mayor a Don Antonio de Rojas, Soumillier de Corps, i por Gentiles hombres de su Camara a los Condes de Lerma, i Gelves, al Marques de Tabàra, i Don Luis Portocarrero, i por Maestro a Honorato Juan, Cavallero Valenciano, docto: i los papeles para instruille, i enseñalle la Gramatica dio Luis Vives, insigne en ciencias, i lenguas antiguas.*

Capraria ignorabat Ludovicum Vivem anno illius sæculi quadragesimo abiisse eo unde negant redire quenquam, sicque has schedas Carolo instituendo dare non poterat; sed abs dubio Joannius, discipulus Vivis, ad manum habebat quas in gratiam Philippi, et jussu Caroli Imperatoris, exaraverat, et ad idem institutum habuerat Siliceus, Ludovici condiscipulus; idemque antea præstiterat jussu Æcaterinæ, Angliæ Reginæ, in Maria filia instituenda, ejusque præceptore bene docto monendo, consiliisque juvando.

Capraria fortasse incidit in hunc errorem historicum, quia Hieronymus Semperius, in *Carolea*, ut poëta, dixerat de Joannio:

Aquel famoso Vives viendo partes
En este Cavallero tan estrañas,
Ciencia con Virtud, Milicia, i Artes,
Decia: Gran Fèlipe Rei de Españas,
Alaba al Criador en todas partes,

 Por

Por darte al Hijo Carlos, tus entrañas,
En tiempo que Honorato le instituya,
A gloria del Eterno, i honra tuya.

Guilielmum Crojum discipulum fuisse Ludovici Vivis dixit iste epistolâ nuncupatoriâ *Pompeji fugientis*, inscriptâ Carolo Carendoleto, Pædonomo ejusdem Cardinalis Croji, et in Præfatione, *Meditationum in septem Psalmos, quos vocant Pœnitentiæ*, quas discipulo dicavit Lovanii an. 1518. designato jam Archiepiscopo Toletano, et nostræ Religionis Senatori, id est, Cardinali; sed hæc omnia cito evanuerunt, interiit enim equi lapsu fractâ costâ, mense Januario die 11. an. 1521.

Ferdinandus Valdesius, qui fuerat á consilio Cardinalis Ximenii, et postea Archiepiscopus Hispalensis, Inquisitorque Generalis, et Doctor Joannes Vergara, Canonicus Toletanus, in Germaniam perrexerunt Archiepiscopi Toletani Croji salutandi et visendi caussâ, eoque mortuo, in patriam repedarunt; unde apparet cur in dialogo *Veritas fucata*, sive *De licentia Poëtica*, ait Vergara se vidisse Lovanio Ludovicum Vivem deambulantem cum discipulis Wotonio, et Ruffaldo.

Cardinalis Crojus fuerat Monachus, et Abbas Benedictinus, Cucullatusque incedebat, annoque ætatis suæ septimo decimo creatus fuit a Leone X. Pont. Max. Ecclesiæ Toletanæ Administrator, etiamque retinuit Episcopatum Cameracensem, quem habebat; fuit juvenis pietatis amans, idque ostendit a Magistro Vive postulans, ut in Psalmos Pœnitentiæ Meditationes commentaretur; discipulus tanti Magistrum Vivem faciebat, ut suum appellaret haberetque, ajens epistolâ ad Desiderium Erasmum: „¿Quid loquar de Guilielmo Budæo amoribus, atque deliciis Musarum, et Græcarum, et „Latinarum? cujus laudandi nunquam Vives meus finem facit: „cujus Budæi studia, monumenta, ingenium, eruditionem, linguam, mores, colo, suspicio, veneror, admiror.„

Dum Vives esset apud Cardinalem Crojum Institutoris munere fungens, Desiderius Erasmus, ipso inscio, voluit eum præficere studiis Ferdinandi Archiducis Austriæ, sed res non successit Erasmo ex animi sententia; Desiderius in *Apologia in Stunicam* dixit de

de Crojo: » Utinam Stunica non magis obtemperasset vel ani-
» mo suo, vel quorundam instinctibus, quàm prudenti pariter, et
» amico consilio (nempe, ut prius opus ad me mitteret quàm
» evulgaret) Cardinalis Toletani Francisci Cisnerii, cui noster suc-
» cessit Guilielmus Crojus, juvenis seni, sed dignus qui in ea dig-
» nitate consenesceret. »

Honoratus Joannius, Ludovici Vivis conterraneus, discipulus, et alumnus, ei acceptissimus fuit, illique multum profuisse talem habere Magistrum nemo dubitare debet; eventus comprobavit judicium quod de illo protulit Vives litteris ad Joannem a Borgia Gandiæ Ducem: » Honoratus Joannius, civis noster, adolescens » natus ad maxima, et vivat modo, ac pergat quâ cœpit, futurum aliquando lumen nostræ Civitatis: » Libroque *De Conscribendis Epistolis*, ait: » Vale, mi Honorate, et litteras cole, quæ te » principem virum efficient nostræ Civitatis: » Honorificentissimum sane augurium.

Inter immortalia beneficia, quæ in Patriam contulit Joannius, maximi habenda est editio Commentariorum Jacobi I. Aragonum Regis, cognomento Expugnatoris, quam, Joannio proxeneta, Seviri Valentini dicarunt Carolo, Philippi II. filio, Asturum Principi, et Honorati discipulo, excusaque fuit Valentiæ apud Viduam Joannis Mey Flandri 1557. fol.

Nec solum animi virtutem, stilo exaratam ab ipsomet Jacobo, transmisère Carolo Valentini Jurati, verum et effigiem, cui nobilissimus Poëta Jacobus Falcò subjecit epigramma, *Ad Serenissimum Aragonum Infantem Carolum, Regis Philippi filium*, absque auctoris nomine; verum domino suo vindicatum fuit in operibus poëticis post mortem Falconis editis, n.CXVIII. quod sic se habet:

Rex, famâ magnus, major virtute, Jacobus,
Talis erat; sic ille manus, sic ora ferebat:
Restituit pictura artus; Tu grandior olim,
Carole, restitues virtutes, bella, triumphos.

Ipsa Jacobi Regis imago eundem Carolum Principem alloquitur stilo Falconiano:

Magne puer, magni soboles præclara Philippi,
Carole, cui splendor Caroli avitus adest,
Aspicias vultum, magnos qui terruit hostes,
Imperiis auxi dum mea Regna tribus;
Ille ego sum, calamo retuli qui bella, Jacobus,
Invictâ potui quæ superare manu;
Ille pius, bis mille dedi qui Templa Tonanti,
Quæ Mahumetanis sacra fuere viris;
Hîc animum, mentemque Tibi, faciemque videndam
Do Proavus: Proavum fac imitère, Nepos.

Hoc epigramma ideo hîc transcripsi, ut cum veniat optata dies recudendi Jacobi Falconis ingeniosa poëmata illis, adjiciatur.

Merito igitur vir nobilissimus, ac Theologus Valentinus apprime doctus, Joannes Vich, qui postea fuit Archiepiscopus Tarraconensis, scripsit Joannio: *Hæc summa totius anteactæ vitæ meæ fuit, quam Tibi, Hispanorum ornamento, et Valentinorum patrono, ut par est, commemorare placuit.*

Valentina Academia Honorato, viro adeo elegantis ingenii, debuit ut Tullium amplecteretur, ejiceretque Erasmum, et Politianum, qui illis temporibus in Scholis prælegebantur; audiamus igitur Laurentium Palmyrenum, Professorem hujusce Gymnasii, hæc narrantem Joannio, epistolà nuncupatoriâ *De vera, et facili imitatione Ciceronis*, scripta anno 1560. » ¿Nonne piaculum esset libel- » lum nostrum, *De Imitatione Ciceronis*, absque tuo nomine appa- » rere, cùm primus nobis Ciceronem præbueris? nam cum esses » per annos aliquot cum amicis tuis Cardinalibus Sadoleto, et Re- » ginaldo Polo, Ciceroni addictissimis, ac mox patriam tuam in- » viseres, primus auctor fuisti Laurentio Valentino Abbati (Laurentius nomine Abbas postea Cucullum Cartusiensem induit in Monasterio Vallis Christi) » ut Ciceronem amplecteretur; huic » successit magnus ille Andreas Semperius, Medicus; mox eloquen- » tiæ et philosophiæ princeps Petrus Joannes Nunnesius: Te ergo » auctore, hi tanti viri (atque ego homuncio cum his) Erasmum, » quem a Præceptoribus suis acceperant, (Franciscus Masius, Professor bonarum litterarum in hac Academia, scholiis illustraverat li-

libellum Erasmi Roterodami, *De civilitate morum puerilium*, et Franciscus Escobar Valentinus ediderat Colloquia Erasmi, Barcinone, quæ habeo) „ita ejicere cœperunt, ut jam Ciceronem sequantur, „colant, venerentur ut omnium Disciplinarum parentem et prin„cipem, Erasmum vero, et Politianum, ut inutiles repudient, (ad Latinam linguam adipiscendam) „oderint, detestentur:„ Hactenus bene dixit Palmyrenus.

Stilus Latinus Honorati Joannii erat elegans sine fuco, comitate et affectibus adeo commendabilis, ut nihil supra, qualis videtur in epistola ad Marcellum Cardinalem Cervinum edita a Francisco Cerdano, in eruditis *Notis ad Gasparem Gilium Polum*: Sic se gerebat Joannes Ludovicus noster erga discipulum, et contubernalem; quanto enim amore prosequeretur Honoratus Præceptorem suum apparet ex litteris, quas Vives ei inscripsit, ut animum ejus leniret, hisce verbis mellitissimis: „Si quid unquam „mihi credidisti, hoc velim tibi esse multo persuassissimum, me „existimare, neminem hodie vivere, cui tu in me amando conce„das; vicissim tu quàm sis mi carus, quamque te, ex quo pri„mum die vidi, affixum præcordiis meis gestem validissimis ac „firmissimis amoris clavis, consequi verbis non possem, et rem, di„cendo, minorem vero facerem.„ *Libroque I. De Censura Veri*, ait Ludovicus noster: „Compositæ, sive Complexæ Voces sunt, duæ, „aut tres, aut plures orationis partes, vel vinculo colligatæ, ut „Valdaura et Maluenda: Ego cum Joannio, &c.„

Honoratus Lovanii fuit in contubernio Vivis, sicuti scribit Ægidius Gonzalez Davila, in *Theatro Ecclesiæ Uxamensis*, ideoque partes ei dedit in Dialogo *Exercitationis Linguæ Latinæ*: *Vestitus, et Deambulatio Matutina* Lovaniensis: ejus animum, unice litteris intentum, expressit in *Vario Dialogo de Urbe Valentia*, in quo ait: *Scintilla. ¿Estne ille, qui mulâ vehitur, Honoratus Joannius?* (Cujus soror Elisabeth nupta erat Seraphino a Scintillis, filio Henrici a Scintillis, et Jolendis Carrozii et Pallasii; hic Seraphinus alius erat a Seraphino a Scintillis, secundo Comite Olivano, cui Vives dicaverat *Descriptionem Clypei Christi*, ejusque meminit in Dialogo *Leges Ludi*: sed resumamus filum Dialogi.) *Cabanillius. Non, ut arbitror, nam unus ex meis pueris, qui eum* (Honoratum) *modo*

con-

convenit, reliquit illum abdentem se in Bibliothecam suam; qui si sciret nos una esse, non deesset haud dubie nostra sermoni, et nostris ludis seria sua posthaberet.

Nobilissimus vir Hieronymus Cabanillius, qui hîc loquitur, gessit legationem Ferdinandi Regis Catholici in Gallia, hujusque legationis etiam mentionem habet Joannes a Celaia, Doctor Parisiensis, Rectorque Studii Generalis Valentini, epistolâ nuncupatoria, *In primum Sententiarum.*

Cum Cabanillius esset Prætor Valentinus, perfecit ædificium cœnobii nuncupati Hierusalem, Monialium Franciscanarum, quod extruere cœperat Ludovicus Cabanillius frater, Prætor etiam Valentinus, anno 1496. qui obiit anno 1524. eique in Prætura successit Hieronymus, quique obstrinxit se sacramento de munere recte fungendo die 30. Martii anni 1523. extatque in libro manuali Urbis Valentiæ; fuerat etiam Præfectus Regiis custodibus Caroli Quinti, in cujus castris militaverat, eique gratus, acceptusque; sicuti etiam Joanni Marchioni Brandemburgi, Pro regi Valentino, maritoque Germanæ, Aragonum quondam Reginæ: Marchio Brandemburgi denatus fuit Valentiæ, humatusque in prædicto monasterio a nobilissimis Cabanilliis constructo, ejusque mortem flevit Joannes Baptista Agnesius eleganti èpigrammate ad Seraphinum Olivæ Comitem.

Carolus Hispaniarum Princeps aliqua animo suo volutavit, quæ nec sibi utilia, nec Philippo patri grata fuere; fortasse inter hæc annumeranda, cùm scire cupiit numerum nobilium virorum, eorumque opes, ut in numerato haberet quid ab iis sperare alicubi posset; Honoratus Joannius votis discipuli morem gerens, ignorans tamen quorsum hæc evaderent, adhibuit huic negotio Michaëlem Castelvinum, nobilissimum equitem Valentinum, qui accuratum opus scripsit, *De Generibus, Stemmatibus, Insigniis Gentilitiis, Symbolis, et Sigillis*: hunc librum habuit Caspar Escolanus, qui illius mentionem facit, *Lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 5. extabatque anno 1665. (quo Madridii edita fuit *Origo illustris, et valde nobilis Familiæ de Catalan*) apud Vicarium, et Curionem Nosocomii Generalis Valentini; Castelvinus non solum obtinuit calculum conterranei sui Honorati, verum et etiam Joannis Verzosæ Cæsaraugus-

gustani, qui ita illum laudavit, ut appareat quam scite se gesserit Joannius in Castelvino deligendo ad hoc argumentum tractandum: ait Verzosa:

AD MICHAELEM CASTELVIUM.

Castelvi, minimum ut distes Ithacensi ab Ulysse,
Colligat hinc facile quivis, ætate quòd una
Carus Romæ omni evasti, et me notior ipso
Qui simili ingenio fortasse adjutus, et arte,
Expositus cunctis, atque obvius omnibus horis,
Non vivo post lustra duo æque clarus in Urbe.
Est tibi nescio quid, nequeo quod reddere versu,
Ignotis, notis, externis, civibus, idem
Comis, et humanus, quem dignum duxeris, urges,
Atque ad vestibulum scalis comitaris ab altis,
Nec mittis, quamvis genibus se advolvat, et oret.
Sunt modo qui cœtus norunt retinere viriles;
Sunt qui femineos; pariter tu utrosque moraris:
Si lucem eripuit nubecula, musca volavit,
Eloquio argumentum ingens, mentique beatæ:
Interdum quòd si titubas constrictus, et arma
Cetera deficiant, plausu evadisque cachinnis,
Nec tua Fajardi reprimant diludia centum.
Dum nostras condis epulas sermone benigno,
Vis, si quid lautum est, commune id pluribus esse;
Sed quia non jactas quos Aldovera lacertos,
Innixus pinnis cum corpore brachia tendis,
Deque manu lancem convivæ porrigis imo.
Symbola præclarorum hominum, atque Insignia Regum
Cuncta tenes, et scis quo sint varianda Colore:
Historiæ te huc tegit amor, nihil ut sit in Orbe
Eximium, ac rarum, de quo non dicere possis.

Neque Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispaniæ*, neque Joannes Lucas Cortesius in *Bibliotheca Hispanica Historico-Genealogico-He-*

Heraldica, mentionem fecerunt hujusce operis Michaëlis Castelvii; Cortesium et non Franckenavium auctorem fuisse hujus *Bibliothecæ Heraldicæ* ostendi in *Vita Josephi Fernandezii Retezii*, excusa in Thesauro Meermaniano utriusque Juris; nobilissimus vir Michaël Espinosa, Aquilæ Comes, apud Hispalenses insignis litterarum fautor, mihique amicissimus, in miscellaneis Marchionis Risci deprehendit litteras ejusdem Franckenavii, in quibus de hoc opere loquitur tamquam de conceptu proprio: sed qui argumenta contraria perpendat, fucum facere voluisse Franckenavium facile mecum consentiet.

Narcissus, vulgo Arcisius, Gregorius fuit vir eruditus supra vulgi captum, ideoque ejus scripta quia contemta disparuerunt; *Institutiones in Aristotelis Logicam* editas Valentiæ anno 1562. dicavit Honorato Joannio, eique dixit: »Sed superat hæc omnia »tua singularis et incredibilis humanitas, qua tui præclari et ge»nerosi sanguinis specimen tantum præbes, ut jure, prudentissimi »Patris, dico Caroli Quinti, olim Imperatoris, monitu, Christianis»simus Rex noster Philippus, Principem nostrum, Regii, et Or»thodoxi sanguinis unicam spem, tamquam exemplar Christiano»rum Principum tibi uni unice formandum commiserit.»

Eandem rem de Carolo Quinto affirmavit Baptista Marinerius, Valentinus, Gregorii discipulus, eleganti epigrammate, præfixo huic operi, ad eundem Honoratum, quod lectoris oblectandi gratia hîc subjicio, cum Gregorii liber adeo rarus sit:

Græcia jactabat quondam sua facta triumphis,
Magnanimosque viros inclyta Roma suos,
Pande tuas melius, felix Hispania, laudes;
En tibi Honoratus maximus Orbis honos,
Cui tot sunt dotes, cui tot cœlestia dona,
Quot sunt æthereo sidera celsa Polo:
Inter tot laudes, linguâ est facundus utrâque,
Orator summus, Philosophusque gravis,
Atque Mathematicas gerit alta mente Figuras,
Historias orto solus ab Orbe trahit;
Tum dictis factisque potens, tum stirpe suorum

In-

Inclyta, et antiqua nobilitate micat;
Hinc tibi præ cunctis, Carolus cum Rege Philippo,
Cæsarem sobolem tradidit ille suam:
Poscit ut hanc, teneris vel ab unguibus, Induperator
Moribus, et Musis, condecorare velis;
Facta quidem seclis sunt hæc memoranda futuris,
Cùm solus tanto Principe dignus ades;
Quem cùm facundum formes, animoque potentem,
Alter Alexander, Cæsar, et Hector erit:
Unde sibi merito generosa Valentia gaudet
Tam clarum, et doctum se genuisse virum.

Hi versus in animum meum revocant memoriam laudis, quam ei contulit Caspar Gilius Polus in *Cantu Turiæ*, recensens eleganti stilo Vivem et Joannium inter Poëtas Valentinos, nimirum:

Mas no mireis la gente embravecida
Con el furor del iracundo Marte,
Mirad la luz que aqui vereis nacida,
Luz de saber, prudencia, ingenio, i arte,
Tanto en el mundo todo esclarecida,
Que ilustrarà la mas escura parte,
VIVES, que vivirà mientras al suelo
Lumbre ha de dar el gran Señor de Delo.
Cuyo saber altissimo heredando
El HONORATO JUAN, subirà tanto,
Que a un alto Rei las letras enseñando,
Darà a las sacras Musas grande espanto;
Pareceme que ya le està adornando
El Obispal Cayado, i sacro manto:
¡Ojalà un mayoral tan excelente
Sus greyes en mis campos apaciente!

Vir summus Antonius Augustinus, litteris etruscis datis ad Fulvium Ursinum, editis volumine 7. omnium operum collectionis Lucensis, scripsit se legisse opera Poëtica Honorati Episcopi Uxamensis.

Et hæc satis ostendunt adimpletum fuisse Vivis vaticinium de Ho-

Honorato Joannio, futurum aliquando lumen, et principem virum Civitatis Valentiæ; simili modo etiam locutus fuit Michaël Hieronymus Ledesma, cum ei dicavit opusculum cui titulus: *Cento Homericus de Christi Passione, ad insignem nostrum Patritium Do. Honoratum Joannium, utrâque linguâ doctissimum, ac nostratum lumen*: Vincentius Marinerius hoc opusculum interpretatus fuit versibus Latinis heroicis, et manu scriptum extat in Bibliotheca Regia Madridiensi.

Honoratus Patrem habuit Casparem, qui nihil prætermisit ut filius bene institueretur, quique etiam Vivi fuit notus, de quo *Lib. 2. De Censura Veri*, ait: *Joannius legit; Gasparis filius est Joannius: ergo Gasparis filius legit.*

Piaculum esset silentio præterire ea, quæ si hîc non indicantur, lector, historiæ litterariæ, avidus nullibi leget, maximeque cum connexa sint rebus ad Vivem nostrum pertinentibus.

Petrus Ximenus, Medicinæ Professor in Academia Valentina, edidit elegans opusculum inscriptum: *Dialogus de Re Medica, compendiaria ratione præter quædam alia universam Anatomen Humani Corporis perstringens*: publici juris factum Valentiæ, per Joannem Mey, Flandrum, 1549. Bibliographi Valentini editionem hujus libri silentio præterierunt; Petrus Ximenus Patavii Institutorem habuerat Andream Vesalium, studii Anatomici instauratorem; interlocutores Dialogi sunt Caspar Civis Valentinus, et Andreas Medicus, hoc est Petrus Ximenus, assumto nomine Andreæ in memoriam Magistri sui Vesalii; illum fuisse Casparem Joannium nemo dubitare debet, cum Casparis nomen equitibus Valentinis ex usu non sit: ait autem primas in Dialogo agens:

» GASPAR. *Trahit sua quemque Voluptas*, Andrea amantissime, » ¡Quàm morosum fuit negotium! cùm propter sessionem tam lon» gam, tum maxime quòd meam præpediret consuetam obambu» lationem, amœnissimam plane, et quâ singulis diebus impense de» lector, a cœna, vel hujusmodi negotiis importunissimis; hoc præ» diolum, ut vides, tam multis herbulis, floribus, ac omni varieta» te refertum, me plurimum exercet, ac recreat.»

ANDREAS. » Et me proculdubio jam tædebat sessionis: et rur» sus nostræ Artis morosissima conditio prohibet, ne perinde ac

» Tu

» Tu facis, consulte quidem, itidem et ego faciam; saluberrimum » quippe est a cœna vel hujusmodi negotiis omne relictum tæ» dium excutere; illecebris hujusmodi, potissimum in rusculo tam » salubri, tamque amœno, ubi nullus fastidio locus, ubi cuncta ni» tent florum varietate, candentibus liliis, rosis purpurascentibus, » violis variis mire variegatis, undique arridentibus, ac tandem ubi » nihil deesse videtur, quod studiosam voluptatem, Christianam» que deceat; quæ præclara varietas, quantum video, animal» cula, atque avicularum omne genus, ratione expertia, vehemen» ter allicit; ac posset hercle saxa, et arbores ipsas; tantum abest » ut te non moveat, ac negotia quæcumque importunissima effi» ciat, quæ te potissimum ab his blanditiis avocare debeant, et » possint.,,

Gaspar. » Rem tenes: Ceterum vides suburbanum hoc præ» diolum quàm vernet, ac undique arridens rusticationem faciat » amœnissimam, elegantius adhuc quàm Elegantiarum Latinæ » linguæ auctor, Vallensis ille, vir Italus apprime doctus, affabre » olim depinxit; quoque argumento nostram Valentinam Urbem, » hujusmodi illecebris ornatissimam, vehementer commendari vo» luit.»

Quo tempore hæc a Ximeno scribebantur, Laurentii Vallæ lucubrationes omnium manibus terebantur, sed nostra ætate cum hæ non sint in gustu, vix in angulis bibliothecarum inveniuntur: locus indicatus a Ximeno est *Libro 3. de rebus a Ferdinando Aragoniæ Rege gestis*, ubi sic eleganter scripsit de Valentia nostra: » Li» quet nusquam in omni Hispania urbis situm esse clementio» rem; quod indicant cùm alia multa, tum vero horti non tan» tum citris consiti, sed etiam citreis parietibus vivente materia » (*de plantas*) conclusi, (Valentinis, *tancàt de bardiza*) ut dubites » horti'ne sint, an ædes; nam cùm nihil aliud insit quàm arbores » frugiferæ (*frutales*), atque felices, (*cargados de fruto*) manu posi» tæ, institutæ, digestæ, ¿quid nisi horti dicendi sunt? Rursus cum » audis extrinsecus esse parietes, intus autem aulam, (scilicet *Epis» copalem*) conclavia, curiam, (nempe *Ecclesiasticam*) item sacella, » altaria, sedilia Canonicorum, thronum Episcopi, et cetera hujus» modi, non aliud quàm ædes esse succurrit; sunt enim parietes

„ ex truncis citriorum confecti, et tamen frondibus vestiti ut pers-
„ pici introrsum nequeant, nedum intrari; ita cùm rami adoles-
„ cunt intorquentur, atque inflectuntur; ita insiti, atque inserti,
„ consiti, atque conserti coalescunt, ut omnes rimæ expleantur,
„ ut nihil vacui relinquatur, ut pariter firmitatis ex truncis, et
„ decoris ex frondibus ratio constet; eodem pacto introrsum quæ
„ enumeravi composita sunt, clericis per se, laicisque deservientia;
„ pavimentum laterculo quadrato, vitreatoque, ac picto, constratum
„ est, ut non alias apud Elysium sedes beatorum in nemoribus,
„ lucisque Poëtæ sint imaginati, nec aliæ quodammodo in para-
„ diso terrestri innocentium hominum futuræ fuerint: hi horti in-
„ tra muros Valentiæ sunt.„

Hæc Valentina tempe erant in hortis ædium Toparchæ de Novetlè, et vetustis tabulis vocatur, *L'ort pintat, el huerto pintado, hortus pictus*, fortasse quia pavimentum constratum erat laterculis quadratis, vitreatisque, uti videmus in parietibus Collegii Corporis Christi; proximæ erant ædes Episcopales, vulgo la *Casa del Bisbe del Palau*, Domus *Episcopi Palatii*; et etiam nunc vico proximo est nomen, *Lo carrer del Bisbe del Palau*; *la calle del Obispo del Palacio*; *vicus Episcopi Palatii*; scilicet Valentini, cujus Sedes nondum erat Metropolitana, hacque honoris prærogativa aucta fuit ab Innocentio Octavo Pontifice Maximo, anno 1492. cum ab expugnatione subjecta fuisset Archiepiscopo Tarraconensi, *vide Privilegia Regni Valentiæ fol.* 1.

Laurentius Valla Neapoli, vel in Regno Neapolitano Alphonsi Aragonum Regis degens, *Sex Elegantiarum linguæ Latinæ libros edidit*, hocque opere, quo linguæ Latinæ ea tempestate ad pudendam ferme barbariem prolapsæ, in pristinum nitorem restituendæ, primus quasi signum extulit, ejusque splendori renovando plurimum profuit, maximam sibi nominis famam, et nunquam intermorituram gloriam apud æquales et posteros comparavit, et a plerisque insignes laudes promeritus est: valla igitur iis verbis: „ Ut „ perspici introrsum nequeant, nedum intrari:„ respexisse videtur Julium Cæsarem, *de Bello Gallico lib.* 2. ubi Nervii: „ teneris ar-
„ boribus incisis, atque inflexis, crebrisque in latitudinem ramis
„ enatis, et rubis, sentibusque interjectis, effecerant, ut instar muri,

hæ

„ hæ sæpes munimenta præberent, quo non modo non intrari, „ sed ne perspici quidem posset.„

Puto grati animi esse parentare Laurentio Vallæ hoc epitaphio Joannis Petrei, Toletani:

A superis postquam cessit Laurentius oris,
Luget patronum Lingua Latina suum:
Scilicet, hic potuit vivus prostrare phalanges
Barbaricas, quem nunc post sua fata timent.

Sed progrediamur cum Caspare Joannio primas agente apud Ximenum, et laudibus ornante Valentiam: „ Quam, et Erasmus Ro„ terodamus, vir ille incomparabilis, totius Reipublicæ Litterariæ „ verus instaurator, et parens, atque studiosorum omnium Mecœ„ nas optimus, censet in omnibus facile Romanæ Urbis æmulam „ videri debere, cùm de nostro celebratissimo, ut præclarissimo to„ tius Hispaniæ lumine, fulgentissimo Joanne Ludovico Vivete, hu„ jus inclytæ civitatis alumno, ad clarissimum Hermannum Colo„ niensem Canonicum scriberet:„ Ximenus imitatus fuit Erasmum, qui Ludovicum appellabat Vivetem: laudatum Desiderii testimonium sic se habet epistolâ ad Hermannum Comitem a Nova Aquila: „ Lodovicus Vives, dum alii clamant, gnaviter declamat, „ veteris exempli novus auctor; scis enim hanc eruditionis par„ tem hactenus etiam in Italis desideratam fuisse; hoc decus Vi„ ves noster suæ instaurat Hispaniæ; habuit illa quondam, cùm „ aliis in rebus, tum in hoc genere, præcellentes, cùm primis Se„ necas, et Quinctilianos, sed habuit Romæ; eam hic laudem suæ „ vindicat Valentiæ, ut sit quo, præter nominis consortium, Ro„ manæ Urbis æmula videri queat.„

Ad hanc rem attinet illud Andreæ Schotti, epistolâ nuncupatoriâ voluminis tertii *Bibliothecæ Hispaniæ*: „ Habita hîc quoque „ ratio, diversarumque Nationum (*Provinciarum*) Classes quinque „ institutæ, Bæticorum, Lusitanorum, Carpetanorum, Celtibero„ rum, ac denique Valentinorum; quæ Valentia, ut Romæ, Ur„ bium dominæ ac reginæ, nomine respondet, sic et ejus est elo„ quentiam in primis apud Hiberos amplexa:„ Et Elegiâ adversus Julium Cæsarem Scaligerum Valentiam vituperantem dixit idem Schottus: Æmu-

Æmula Romani, generosa Valentia, Iberûm
Viribus, imperii nomen, et omen habes.

Tandem Caspar Joannius ajebat laudato Dialogo: „Vides „item amnium, fontiumve ductum varium, omnia placide irri- „gantem, atque ubivis naturam loquacissimam, ac passim multa „digna admiratione docentem, si talem nacta fuerit, qui hujus- „modi capiatur; adhuc avocamentis hujusmodi tam multis cer- „tum mœroris genus haud possum eximere præcordiis.

„ANDREAS. Hoc habet in Rempublicam studium arduum, ac „plane difficile.„

Caspar Joannius, Honorati pater, variis muneribus functus fuerat, eique, cum esset Valentinus Sevir, nuncupavit anno 1549. quandam Orationem Academicam Franciscus Decius, bonarum litterarnm in Gymnasio Valentino Professor.

Honoratus habuit etiam Lucam fratrem, Sevirum, sive Juratum Valentinum, anno 1551. quo fautore Laurentius Palmyrenus assecutus fuit potestatem publice interpretandi linguas in Academia Valentina magno juventutis fructu.

De filiabus fratris cecinit Ludovicus Milanus in *Aulico*:

Para tres Borjas Joannes,
Que Joannes son, i Borjas,
Sayas traen con alforjas
De mil gracias i ademanes;
De sobrinas tienen talle
Del gran Honorato Joan,
Ques el mas gentil galan
Que se viò de sala i calle.

et ita pictus fuit a Titiano, penicillo, et a Montano, calamo in Rhetoricis.

Gens Joannia inter Sætabitanas princeps, et natali solo in Ecclesia Collegiali, et in Monasterio Cartusiensi Portæ Cœli, sacella habuit magnifica ejus pietatem testantia.

Didacus Gracian ab Alderete, Lovanii versatus fuit in studio litterarum in contubernio Ludovici Vivis, sub ejusque institutione;

Pa-

Patrem habuit Didacum Garciam, cujus nomine usus non fuit, Belgæ enim Hispaniensibus vocabulis non assueti, Garceanum (hoc est, Garciæ filium) nomen patronimicum iis insolitum, in Gracianum verterunt, vox omnibus notissima ob Monachum Gratianum Juris Pontificii consarcinatorem, et Didacus ad posteros usque, quos perillustres habuit conjunctionibus, doctrina, et virtute, derivavit.

Lovanii etiam in domo Viviana contubernalem, ac condiscipulum habuit Honoratum Joannium, cujus suavissimi convictus meminit idem Didacus Gracianus in præfatione Hispanæ versionis Thucydidis; in vertendis libris, Græcis præsertim, adeo felix fuit ut nemini alio interpreti plus debeat Hispana lingua ob fidem et elegantiam; nam stupendi labores Vincentii Marinerii, natu Valentini, in hoc scribendi genere communi luce non fruuntur, propterea quod ut ipse conqueritur:

Pauperies me dira premit, comes improba Vatum,
Mæonides famam detulit, atque famem.

Sæculum integrum, quousque superstes fuit Gratiana gens, Hispaniarum Regibus a Secretis fuit, linguarum peritiâ, et fide inclyta; Beata Theresia a Jesu plurimum eam adamavit, ejusque auxilio multa præclara gessit, quæ litteris consignavit Andreas Marmolius, in perraro libro *De vita, laboribusque Hieronymi Graciani a Matre Dei Carmelitani.*

Tacitus prætererire non possum epigramma Joannis Petrei *Ad Jacobum* (quod Castellano sermone idem est ac Didacum) *Gratianum*, quod sic se habet:

Vade, libet nostri properes sub tecta Jacobi,
Vade, nec ingressu sit mora longa tuo;
Ibis, et antiqui pulsabis limen amici,
Nam tibi, nec fallor, janua nota patet;
Impartire virum, multâ, memor esto, salute,
Incomis ne sis, terque, quaterque vide;
Si tamen hunc noris grandi indulgere labori,
Et tetricas nimium solicitare Deas,

Sis-

Siste, nec in sacros ausus penetrare recessus;
Illic nam requiem docta Minerva tenet:
Illic, et Charites, Musæque cubilia servant;
Illic, et clario sunt data Templo Deo:
Ad seros ibis multo securior ignes,
Cùm regnant gravius dona, Lygæe, tua,
Cùm se solicitis animus subducere curis
Optat, et in blandos mens resoluta jocos,
Cùm rosa cùm vernat facies, fragrantque capilli,
Cùm dulcem repetunt corpora fessa thorum:
Hic tuto nostros poteris depromere questus,
Atque etiam lachrymis ora rigata piis.

Didacus Gracianus uxorem duxit Joannam Dantisco, filiam Joannis Dantisco a Curiis, nobilissimi equitis Poloni, qui legatione functus fuerat in aula Imperatoris Caroli Quinti; in patriam reversus abstinuit a negotiis civilibus, atque in sacerdotium venit hortatu Stanislai Hosii propinqui sui, fuitque etiam Episcopus Warmiensis, et egregius Poëta.

Gratianus ex uxore plurimos filios, filiasque suscepit a Marmolio recensitos, tantis parentibus dignos, qui non solum familiæ suæ, verum et genti quoque nostræ ornamento fuere; Joanna Dantisco post viginti partus venusta erat adeo, et integra facie, ac si esset adolescens, et a filio patris jussu picta, hoc Mariti distichon promeruit:

Bis decies gravidæ talem nunc cerne figuram,
Qualis erat facies Virginis, ipsa docet.

Franciscus Craneveldius, nobilis Belga Noviomagus, puer Lovanii in gymnasio Liliensi Joannem Despauterium celebrem Grammaticum audivit, eique familiaris admodum vixit; decurso Juris Civilis stadio, Brugis Flandrorum Reipublicæ Orator seu Syndicus fuit, quem Magistratum Belgæ *Pensionarium* vulgo nominant; inde Machliniam in Concilium a Carolo V. Cæsare adlectus, summa cum fide, et integritate munus obiit; ita ut in illo adimpletum

tum fuerit Pittaci effatum: *Magistratus probat virum*: unde natum illud quod proverbii loco dici solet: *Entonces es el hombre bien provado quando le dan Magistrado*: Egregie Ludovicus noster depinxit ejus dotes *Lib. 19. cap. 21. Commentarior. Civ. Dei*, verbis a nobis jam supra allatis.

At vero dum Craneveldius publica tractaret negotia, Græcarum litterarum præsidium sibi deesse dolens, M. Catonis exemplo, eas, et Hebraicas etiam, ab elementis sine magistro didicit, Joanne Ludovico hortante, et cùm esset sexagenario major, nec erubuit Consiliarius, nec desperavit senex; quas linguas, tamquam diuturnam sitim explere volens, tam avide arripuit, ut et sine doctore Græce bene peritus, Procopii *De Justiniani Imp. Ædificiis libros*, et Basilii Magni libellum, *Ad adolescentes quomodo possint ex Gentilium libris fructum capere*, aliaque non pauca Latio donaverit; quas conversiones Craneveldius censuræ Vivis subjiciebat, ideoque ei rescripsit: » Velim scire cujusmodi visa est Tibi egregia illa » mea censura de tua interpretatione, quasi vero tantundem ipse » possem præstare; sed certe sutor de crepida Apellem admonuit » quam ipse non quivisset pingere. »

Magna Craneveldio per omnem ætatem cum Desiderio Erasmo, Ludovico Vive, Thoma Moro, Alardo Amstelredamo, Petro Nannio, Hadriano Barlando, aliisque claris ea tempestate viris, familiaritas fuit, ad quos etiam Græce interdum stili exercendi gratià scripsit.

Mortuo Ludovico Vive anno 1540, Margareta Valdaura, privata viro, Franciscum Craneveldium selegit, ut in publicam lucem ederet postremum et maximum opus mariti, *De Veritate Fidei Christianæ*, illudque nuncupavit Paulo III. Pont. Max. cui Ludovicus dicaturus, si licuisset, erat.

Optimus doctissimusque Belga denatus fuit anno 1564. Machliniæ ipso Francisci die, quem sibi cognominem quoad vixit religiose coluit, hoc nomine felix, quòd impendentem patriæ ruinam morte obita non viderit: Bibliothecam optimis cujusque generis libris instructam heredibus moriens reliquit.

Inter discipulos et contubernales Lovanienses Vivis nostri annumerandus est *Petrus Maluenda*, qui litteris operam dabat una

cum Honorato Joannio, ideoque Nicolaus Valdaura Ludovici affinis, scripsit Joannio e Brugis anno 1529. die 21. Novembris, epistolâ quæ extat in *Elogiis Honorati Joannii*, editis Valentiæ anno 1659. in fol: *Dominum*, (scilicet, Joannem Ludovicum Vivem, communem magistrum, et Sororium suum; Hispani Præceptorem *Dominum* appellant, ejusque uxorem *Dominam*; Azo Jurisconsultus Bononiensis appellatus fuit *Dominus Legum*, non vero *Magister*) *Maluendam*, *Benedictum*, (nempe Franciscum Beneito, qui uxorem duxit Hieronymam Olivàn, eâque denatâ, post gestos in Republica honores inter Presbyteros cooptatus est; Benedictus munera publica obivit Valentiæ, maxime plebi acceptus, summa cum integritatis virtutisque laude, ejusque encomia persequitur Escolanus, *Lib.* 10. *cap.* 32. *Historiæ Valentiæ*) *et Straselium, meo nomine salutabis*: Joannes Straselius, Balliolanus, Flander, inter primos Græcas litteras Lutetiam Parisiorum jamjam fugientes revocavit: Franciscus Torius ejus notas in aurea Pythagoræ Carmina evulgandas curavit.

Merito ergo Vives noster, et Joannio, et Maluendæ, contubernalibus suis, partes dedit in Dialogo *Exercitationis Linguæ Latinæ*, cui titulus, *Vestitus*, *et Deambulatio matutina*, in quo descripsit contubernium Vivianum Lovaniense horum aliorumque adolescentium; et *Lib. de Conscribendis Epistolis*, *cap. De ordine Epistolæ*, dixit: *Sunt molles quidam transitus, et lepidi, ad continuationem sequentium, vel eorum quæ sis oblitus*: mane paullisper nam est aliud quod adjiciam: non gravabor hoc quoque adscribere in tuam vel Maluendæ gratiam.

Petrus Maluenda dedit studium Theologiæ quæ Scholastica dicitur, idcirco Vives ei scripsit: *Tibi vero, ut puto, rixosa ista Theologia, quâ te armas in solem nunc, aliquando et in arenam proditurus, et serviturus fabulæ in re, qua nullam decet esse minus fabulosam, et theatricam.*

Eò sapientiæ, et celebritatis devenit Maluenda, ut a Carolo V. inter alios delectus sit, qui in Colloquiis Religionis ergo, Catholicorum partes tueretur adversus Lutheranos; hujusce Theologi extant Epistolæ, quæ apud exteras gentes magno in pretio habentur, apud nostrates vero earum lectio interdicta est Religionis obtentu.

Fer-

Ferdinandus Ruïzius Villegas, Joannis Ludovici Vivis discipulus, Poëta fuit, magnificus sine tumore, elatus sine fastu, verecundus sine abjectione; ejus opera manu exarata pervenerunt in Bibliothecam nobilissimi viri Josephi Castelvinii, qui in patria Valentia litteras fovit, litteratos viros amplexus fuit, et Bibliothecam domesticam instruxit raro apud nostrates exemplo, quas animi dotes una cum libris ad filium Janum Basilium, Cervellionis Comitem, transmisit; Josephus, Marchio Villatorcanus, Provinciam Baliaricam fere per septennium cum imperio rexerat, et coëmerat in Portu Magonis penum Librariam Marci Oliverii, Assessoris insulæ Minoricæ, amici Didaci Josephi Dormerii, et Nicolai Antonii, Valentiamque asportavit, cumque eloquentissimus vir Emmanuel Martinus opes illas litterarias contemplaretur, oculorum obtutum defixit in codicem antiquitatem quandam præ se ferentem, erat enim compactus tabellis quibusdam alutâ obductis, quod solemne priscis bibliopegis diuturnitati librorum consulentibus, et invenit Martinus codicem illum continere carmina, ac poëmata varia, aüctore Ferdinando Ruïzio Villegate; pupugit illum altius nomen ignotum, cujus mentio obiter erat apud Nicolaum Antonium referentem extitisse Eclogam Villegatis, in obitu Ludovici Vivis, ad Menciam Calabriæ, et Zeneti Principissam, *Cod.* CCCLIII. *in Bibliotheca Antonii Augustini.*

Discipulus in hac Ecloga ereptum sibi magistrum, argutissimis singultibus, elegantissimisque ejulatibus, queritur; vellem autem ut in ea abstinuisset ab Ethnicismis, sed nihil frequentius invenitur in recentioribus Poëtis Christianis.

In Ecloga, VIVES, edita cum reliquis operibus, Venetiis anno 1734. auspiciis Jani Basilii Castelvinii, Cervellionis Comitis, ex recensione Emmanuelis Martini, Alonensis Decani, viri mihi, dum auram vitalem spiraret, amicitià conjunctissimi, non apparet, incuria transcribentis, inscriptio Villegatis ad Mençiam, quæ Ludovici Vivis magisterium maximo in pretio habuit; ipse Villegas in hac Ecloga de Magistro sic cecinit:

Aut mihi, si celebrare datum per rura Magistrum est,
Et satis ipse licet Vives sit nomine clarus;

Attamen hoc ipsum nomen super astra referre,
Da faciles versus, et pondus habere cicutam.

Et in Vivis Epitaphio sic ei parentavit:

Vives ille meus Magister, ille
Magnus, sæcula prisca quem timebant,
Ille, ille ingenio vir omnibus, quos
Roma, aut Græcia vidit olim,
Par, hoc conditus est brevi sepulcro.

Nec putandum est cecinisse hoc Villegatem sola motum pietate erga præceptorem, nam Desiderius Erasmus, cui innotuerant omnes sui sæculi Eruditi, procul ab affectibus, epistolâ ad D. Hermanum Comitem novæ Aquilæ, anno 1520. cum Vives viginti octo haberet ætatis, sic scripsit de eo: *Nunc totus in mansuetioribus litteris versatur, et sic versatur, ut hoc sæculo vix alium norim, quem ausim cum illo committere.*

Quanto in mœrore submersus fuerit Villegas ob mortem Magistri, apparet his versibus:

Et tu, fertilibus, pater optime Turia, ripis,
Undique collectas sacra in penetralia Nymphas
Coge tuas, lacrymisque urnas effundere plenas
Pleno e fonte jube, ne jam ferat alveus amnem;
Tu roseo cursu felicem interluis oram,
Surgit ubi partu fecunda Valentia Vivis:
Plangite Thespiades mecum, renovate dolorem.

Joannes Vilchius, non incelebris Poëta illius ævi, texuit seriem majorum Villegatis, eosque summis et debitis laudibus ornavit; quam scriptionem Ferdinandus compensavit eleganti Elegia ad Vilchium, luculento Commentario digna, continet namque abstrusa quædam ad Historiam Genealogicam spectantia; auctor in ea meminit Petri Ruïzii Villegatis avi sui, insignis Cosmographi, de quo videndus doctissimus Antonius ab Herrera, in *Historia No-*

Novi Orbis, *decade* 3. *Lib.* 6. *cap.* 7. *et dec.* 4. *lib.* 5. *cap.* 10. sicque his versibus commendavit avum nepos:

His successit avus noster, quem Phœbus Apollo,
Pieridesque, suis asseruere choris;
Cui prisci Vates assurrexere canenti,
Et cessit Ditis regia Tartarei;
Ergo mihi tu Petrus eris Ferdinandius, hæc si
Scripta meo fuerint digna nepotis Avo,
Si fuerint fortasse meo haud indigna parente,
Martia qui Musis miscuit arma novem,
Et quantum virtute animi, et fulgentibus armis,
Ingenii tantum dotibus emicuit;
Hujus in arbitrium lusus committere Summam
Rex atque Hesperii constituere duces;
Tanta viri virtus quoniam, tanta unius in re,
Tam celebri Herois cognita relligio,
Regibus ut fuerit regnandi norma, Novique
Orbis ad arbitrium qui nova Regna dedit,
Cujus judicium, missi velut æthere ab alto
Numinis, imperii cura severa tenet.

Guilielmus Montiojus, nobilissimus Anglus, filium habuit Carolum, cui erudiendo Ludovicus Vives exaravit Epistolam, *De Ratione Studii Puerilis*, Londini anno 1523. Pater fuit, ut ajebat Erasmus, inexplebilis Historiarum helluo, solebatque singulis diebus a cœna ad mediam usque noctem incumbere libris, non sine Uxoris, ac pedissequarum tædio, magnoque famulorum murmure, quod illi licebat præter valetudinis dispendium, sed cum magno quæstu litteratorum hominum, quorum fuit egregius fautor, imprimis Desiderii Erasmi Præceptoris sui, qui epistolâ ei scripta Lovanii postridie idus Octob. ann. 1519. dixit more modoque suo: *Eximie Mœcenas, vix mihi tempero quin invideam aulæ vestræ, tot eruditis refertæ, cùm nostra, præter Midas, nihil habeat; etiamsi res ipsa cogit nostros Satrapas litterarum habere rationem*: Erasmus fuit Guilielmi institutor, qui eum ut amicum coluit, et ut Mœcenas fo-

fovit, in cujus gratiam in Angliam semel et iterum profectus fuit, sed spes felicitatis aulicæ Desiderium fefellit.

Ad Ludovicum quod attinet, Guilielmus semper singulari in eum benevolentia fuit, et, ut ego conjicio, in caussa fuit ut Vives in Angliam transmearet, ac Mariam, Æcaterinæ Reginæ filiam, litteris imbueret; ideoque Ludovicus duas *De Ratione Studii Puerilis* Epistolas scripsit, aliam Æcaterinæ gratiâ, et alteram Guilielmi, qui Henrico VIII. adolescenti socius fuerat ab studiis, et in Historiis potissimum versabantur, idque vehementer approbante Henrico VII. Angliæ Rege.

Erasmus Carolo dicavit editionem Titi Livii Frobenianam, et stupendum opus Adagiorum postremo recognitum, quemadmodum Guilielmo patri antea nuncupaverat primordia hujus laboris; quos progressus fecerit Carolus Montiojus monitionibus. Ludovici Vivis, deprehenditur ex Desiderio Erasmo in dedicatione Livianæ editionis, in qua sic ei scripsit: *Etsi nunquam hactenus mihi contigit faciem intueri tuam, Juvenis ornatissime, tamen in tuis ad me litteris, mire puris, doctis, argutis, amicis, candidis, optimam tui partem, animum, sic expressam video, ut nullus Apelles corporis effigiem in tabula repræsentare possit evidentius.*

In hac Frobeniana editione Livii anni 1531. Desiderius Erasmus luci publicæ dedit quinque libros antea ineditos, quos Simon Grynæus, Latine, Græce, et Hebraice doctissimus, reperit in Monasterio Wormatiæ Laurisheimensi, hodieque codex iste singularis asservatur in Bibliotheca Vindobonensi, teste doctissimo Lambecio, *Lib. 2. Commentarior. Biblioth. Cæsareæ, pag.* 943; idcirco Petrus a Vega, Monachus Hieronymianus, hos libros nec transferre, neque edere potuit cum Livium Hispanitate donatum edidit Cæsaraugustæ anno 1520. dicavitque Imperatori Carolo Quinto, qui inter maxima negotia lectitabat Patavinum hunc Historicum; huic malo occurrit Arnaldus Byrcmanus Coloniensis rogatu quorundam nobilium Germanorum Hispanæ linguæ amantium, eosque omnes Hispanice versos edidit in gratiam Philippi Asturum Principis: sed lector, eruditionis Hispaniensis cupidus, animadvertere debet deesse etiam passim in hac conversione aucta, et recognita, aliquas Livianas periodos.

Ni-

Nicolai Votonii, et *Hieronymi Ruffaldi*, Discipulorum suorum, meminit Ludovicus Vives, in *Veritate fucata*, sive *De Licentia Poëtica*, in quo Dialogo, e tenebris eruto in hac editione Valentina, Joannes Vergara, Canonicus Toletanus integerrimus, suas partes agens, ait se conspexisse Vivem deambulantem cum his duobus discipulis per prata Lovaniensia Divi Jacobi.

Apposite, et secundum leges fictionis loquitur Vergara commorans Lovanii, in Germaniam missus ad informandam ætatem puerilem Guilielmi Croji, Archiepiscopi Toletani: audiamus igitur, quid de Votonio, et Ruffaldo scripserit Vives in laudato Dialogo, *De Licentia Poëtica.*

» VERGARA. ¿Ecquid latius dici potest, vel liberius istis finibus, » ut in eis expatiari, currere, vagari, errare laxissime, pro arbitrio » queant, ut non patentiora sint prata Divi Jacobi (vespertinæ deambulationi accommodata, ut ait in Dialogo *Vestitus, et Deambulatio*) » in quibus te nuper deambulantem cum illis duobus ho- » nestissimis adolescentibus offendi? »

» VIVES. Nicolaum Votonium dicis, et Hieronymum Ruffal- » dum. ¡Quæ ingenia, mi Vergara! ¡qualia futura olim seculi » sui ornamenta nisi, quod avertat Deus, vel Fortuna illis invi- » derit, vel ipsi sibi! »

» VERGARA. Gaudeo equidem talia abs te formari ingenia. »

» VIVES. Si ipse nihil magni et præclari fœtus possum parere, » at saltem ad pariendum alios adhortabor, faciamque quod vel » effœtæ istæ, vel steriles mulieres, quæ obstetrices sunt, ubi puer- » peræ esse nequeunt. »

Nicolai Votonii meminit etiam Ludovicus Vives ad calcem opusculi, in *Pseudo-Dialecticos ad Joannem Fortem*: » Hæc tibi cum » scripsissem, venerunt ad me Petrus Gratianus noster, et Toussa- » nus Hocedius, Nicolausque Votonius, nunc mei, brevi quoque, » ut spero, tui, mire enim te, etsi nunquam a se visum, diligunt, » ducti iis rebus, quas illis ego de virtute retuli tua: omnes jus- » serunt salutem hîc tibi nomine suo adscribi: Lalous quidem, » ut jam pridem communis amicus, Hocedius vero, et Votonius, » ut brevi futuri: » Suspicor Vivem hîc loqui de discipulis suis Lovaniensibus; eundemque Votonium laudavit in Commentariis

ad

ad Augustinum, *De Civitate Dei*, *Lib.* 18. *cap.* 22. „Ut annotavit mihi Nicolaus Vottonius meus, acri judicio, et suavissimo „ingenio juvenis.„

Hieronymo Ruffaldo dicavit Ludovicus Vives Tria Capita addita initio C. Suetonii Tranquilli, Lovanii 1521. ubi scripsit: *Auditorum meorum probissimo, ac proinde carissimo*: quæ edita etiam fuerunt Parisiis apud Simonem Colinæum 1527. 8. hujusce discipuli meminit etiam Magister, litteris ad Erasmum scriptis Lovanii XIV. Julii 1522. „Salutant te Craneveldius, Laurinus, et Favinus „nostri, tui etiam, Vaulterus Consiliarius Flandriæ, et Ruffaldus „noster, qui negotii tui non est immemor: etiam hodie ad pa„trem ea de re scripsit:„ Quod melius intelligetur additis iis quæ Vives scripsit Erasmo, die Assumptionis ejusdem an. 1522. „Ruf„faldus (scilicet) salutat te impensissime, qui dicit se brevi cum „patre congressurum, et a præsente impetraturum ne tibi solutio „hæc differatur:„ Quam in visceribus hæreret Vivi Ruffaldus apparet ex libro *De Conscribendis Epistolis*, in illis: „Hieronymus „Ruffaldus Vivi, Jonathæ suo:„ Hieronymus Ruffaldus fuit Abbas Divi Vedasti, (*Saint Vâst*) in Atrebatibus, et adhuc erat in vivis anno 1560. in quo subscripsit impensis Goltziani operis.

Joannis Ludovici Vivis Magisterium non continuit se se in viris instituendis, verumtamen ad erudiendas feminas progressum fuit, hujusque rei præclarissimum exemplum proferam in Mencia a Mendoza, Marchionissa Zenetis, et Calabriæ Principe.

Martinus Lasso, ex vico Oropesa, Cardinali Francisco Mendozæ a Secretis, in linguam Hispanam transtulit valde eleganter M. Annæi Lucani *Pharsaliam*; Joannes Baptista Bonellus, ejus ex testamento hæres, recudit hanc versionem Burgis, apud Philippum a Junta, anno 1588. in fol. adhuc superstite Lasso jam vulgata fuerat hæc interpretatio, etiam in fol. sed quo anno, quove loco, exprimere non valeo, nam exemplari quod habeo deest chartæ plagula, in qua excudi solet editionis annus, et typographeum; in eo Lassi epistola nuncupatoria inscripta fuit: „Al mui „magnifico Señor Don Pedro de Guevara, Señor de Juan Vela, „Comendador de Valencia del Ventoso, i de Benamexi, Cama„rero de su Magestad:„ De nobilissimo hoc viro vide Ludovicum

cum Salazarem a Castro, in *Historia domus Larensis, volumine primo, pag.* 473.

Martinus in dedicatione hujusce conversionis de Mencia, in cujus clientela erat, ait: „Si despues mudè de parecer (scilicet, „edendi hanc versionem) fue porque supe que la Marquesa (Ze„netis) mi Señora, en tiempo que su Señorìa tenia tanto descanso „i placer, como ahora cuidado i tristeza, (denato primo marito Comite Nassovio) „avia holgado de leerle, (Lucanum scilicet Hispanitate donatum admodum dextere a Lasso) „i tenido por no „mal empleado el trabajo, que en èl tomè; porque el parecer de „su Señorìa vale aqui por muchos, no tanto por ser de una tan „gran Princesa, quanto por la excelencia que su Señorìa tiene en „la Lengua Castellana, en que se lee esta traduccion, i en la La„tina de que yo trasladè: de la primera, mui muchos, i ningu„no mejor que V. M. sabe que digo verdad, i de la segunda, „esnos mui aventajado testimonio aver muchas veces oïdo decir „al insigne doctor Juan Loïs Vives, maestro de su Señorìa, que „conoce mui pocos en nuestros tiempos (aun entre los varones „afamados) que tan propiamente la sientan, i la escrivan.„

Joannes Maldonatus litteris ad Vivem datis, et nondum editis, meminit etiam hujus inclytæ discipulæ; de qua magister libro *De Femina Christiana*, sic scripsit: *Crescentem Valentiæ meæ video Menciam Mendoza, Marchionis Zeneti filiam, quæ olim (ut spero) celebrabitur.*

Pergit Lassus: „Juntòse con esto, mui magnifico Señor, aver „yo sabido de cierto que el Marques del Zenete, Conde de Nas„sou, mi Señor, que estè en gloria, (Mencia a Mendoza, Ruderici Marchionis Zenetis filia, heresque, bis nupsit, primum Comiti Henrico Nassovio, postea vero Ferdinando Aragonio Calabriæ Duci, et Proregi Valentino; horum Principum patrocinio eruditi viri caput sustulere Valentiæ; quomodo vita truderetur in eorum aula, lepide enarravit Ludovicus Milanus, nobilissimus eques et insignis musicus, libro inscripto, *El Cortesano.*) „queria hacer una „tapiceria rica de esta Historia, (quam Lucanus ita cecinit ut magis Historicis, quàm Poëtis annumerandus sit) „i era cierto, ar„gumento harto galanamente hallado para ello, si nuestro Señor

„ no fuera servido de llevar a su Señoria tan presto para si, i atajar con su fallecimiento esta pequeña obra i otras mui grandes, „ que con su largueza emprendia, i con su industria i prudencia „ acabava: „ Et revera mortuo patrono Nassovio, Lassus nihil luci publicæ edidit, et apud scriptores coævos altum de eo silentium: hæredi Bonello debetur conservatio concinnæ hujusce translationis Hispaniensis Lucani nostri, raritate et præstantia maxime commendabilis.

Mencia improlis obiit, die 4. Januarii, anno 1554. etatis suæ 45. quantum ei debuerit Gymnasium Valentinum supra a nobis, etsi levi brachio, adumbratum est: merito igitur Ferdinandus Ruïzius Villegas dicavit Menciæ Eclogam inscriptam, VIVES, in obitu communis Magistri.

Ludovicum nostrum instituisse Menciam Græcis Latinisque litteris in secessu Belgico pro certo habeo, ideoque Alfonsus Garcia Matamorus *Apologiâ pro doctis Hispaniæ viris*, dixit: „ ¿Cujus obsecro „ principis viraginis ingenium uberius cultum Græcâ et Latina „ eruditione fuit? ¿Cujus animus in studiis magis æstuavit? ¿Quis „ tam occultos eruditionis thesauros ex Belgio unquam in Hispaniam deportavit, quàm cum hæc, defuncto priore viro Nassao, „ ad suos revertit? Matamorus silentio pressit nomen Magistri Menciæ, quod illi in fastidio erat.

Tandem ad finem perduximus Vitam Clarissimi viri Joannis Ludovici Vivis, Valentini, ope auxilioque Dei optimi maximi, ob quod sane beneficium gratias illi ago, atque habeo merito immortales; eundem præterea precor demississimo animo, ut hunc qualemcumque laborem nostrum, quem in hoc opusculo adumbrando suscepi, gratum habeat, ducatque ad nominis sui gloriam, et juventutis Hispanæ, maximeque Valentinæ profectum; postremo omnes vere Christianos, qui salutis æternæ curâ tanguntur, sedulo admoneo, ut abhorreant ab insanis factionibus, quæ hodie ¡nimium quantum dominantur! animumque intendant utilioribus studiis, exemplo Vivis nostri, et operentur secundum præceptum, exemplumque unici nostri magistri Jesu Christi, divinæque ejus voluntati morem gerant, ut participes sint felicitatis æternæ, cujus aditum, antea interclusum, nobis aperuit; ad hunc scopum toto pectore in-

incumbere, atque contendere debemus ut in beatorum sede, ab omnibus ante sordibus peccatorum repurgati, ornati veste candida innocentiæ, justitiæ, atque salutis, ipso Deo fruamur, illiusque laudes concordi animorum concentu decantemus; coram ipso, gaudio, lætitiâque immensâ tripudiemus, quæ superant non modo omnem orationem, sed rationem quoque, captumque humanum: tandemque, eo favente, ævum sempiternum agamus. ¡Quod utinam ita Deus faxit! ¡Iterum, utinam!

MONITUM.

CUM incomparabilis Vir JOANNES LUDOVICUS VIVES ætatem egisset extra Hispaniæ fines, ibique labores suos litterarios luci publicæ dedisset, idcirco uberes fructus ex eis percipere Nostrates non potuerunt ob exemplarium penuriam, et quia Viviana Opera, post Basileensem junioris Episcopii collectionem anno 1555. adornatam, rarò ars typographica excudit. Libenter civi Basileensi gratulor, propterea quod commodissimum esse putavit in unum corpus redigere omnia Ludovici nostri Opera, quæ in ejus manus pervenerunt, duobus tomis in fol.; sed volumina ista rarò apparent in nostrorum hominum Bibliothecis.

Illius ævi typographi doctrinâ, et litterarum cultu eminebant; sed in libris ab illis editis deesse solet aliquid elegantiæ et munditiæ; ad hæc, interpunctio, quæ tunc erat frequens, et probata, hodie fastidium parit lectoribus; atque in adipiscenda cognitione litterarum nexarum, et jugatarum, Editionum principum, quandoque conjecturâ aberratum fuit.

Hæc mala editionis Basileensis vitata sunt in hac Monfortiana, in qua emaculanda, et ornanda, adhibita est magna cura, auxilio collationis exemplarium editionum antiquarum quotquot reperiri potuerunt, omni ope atque opera charissim. et eruditiss. Fratrum D.D. Gregorii et Joannis Mayans, DDrm. et Presbrm. Emmanuelis Peris Bibliothecarii Regii hujus publicæ Archiepiscopalis Valentinæ Bibliothecæ, Francisci Serra, et Joannis Bapt. Puig, in hoc præsertim, de Patria, de Republica, de Regno Valentino, immo de tota Hispania optime meritorum; quos omnes, honoris, gratitudinis, et justitiæ causa, silentio non præterimus, ingenui enim et justi animi est fateri per quos profeceris.

Ne-

Neque his finibus continuit se arduus, et indefessus labor duorum prælaudatorum Fratrum; nam collectio, impensis Episcopii in lucem edita, distributa est nunc in certas, distinctasque classes secundum argumenta præcipua et generalia omnium operum; et aucta etiam quamplurimis Ludovici Vivis Epistolis, doctâ Censura Operum Aristotelis ex hac Bibliotheca publica Archiepiscopali Valentina, et libro, cui titulus: Veritas Fucata, *sive,* De Licentia Poëtica: *quem e selectissima Bibliotheca sua perhumaniter communicavit Excellentissimus Dominus Don Emmanuel de Roda, et Arrieta, inclytæ justitiæ vir, nuper fato functus.*

In hac Editione adornanda tantummodo publicæ utilitati consultum est; Litterarum scilicet cultum, et Pietatis studium promovere, et roborare, præoculis habuit Excellentissimus, et Illustrissimus Vir, cui debetur editionis susceptio, et perfectio, in eaque omnem laborem impendit.

Emptores Volumina Viviana, auro contrà cara, habebunt sibi fœre computatis tantum impensis, ut brevius ac facilius illa possint venumdari quin immodici pretii onus emptoribus imponatur, et alendis pauperibus Domus Misericordiæ, seu Hospitii Urbis Valentiæ, omne deserviat; sicque præfati emptores gratissimam Deo eleemosynam egenis elargientes, opus utilissimum, atque Hispaniæ universæ honorificentissimum, sibi comparent.

Notatiunculæ ad marginem eædem sunt ac illæ, quæ reperiuntur in antiquis editionibus; earum pars maxima ab ipso Ludovico Vives ad laboratæ sunt; paucæ enim et non sine delectu de novo sunt additæ, obruitur namque ac tædio afficitur animus legentis earum assiduitate, quandoque etiam et sensus auctoris obscuratur, et inutilis tantum eruditionis fastui deserviunt, denique supervacaneæ sunt aliæ in eorum præcipuè operibus, qui, ut Vives noster, perspicuè et solidè conscripserunt: Nec vero nova hæc editio novis eget apologiis aut præloquiis; omnia habebit Lector in Ludovici Vita, exquisitis notitiis referta, et adeo numeris omnibus absoluta, ut jure merito habenda etiam sit instar Prologi, et Prologi galeati.

JOAN-



JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI
OPERA OMNIA.

INTRODUCTIO AD SAPIENTIAM
SEQUENTIS LIBRI CAP. XVIII. CONTINENTIA DXCII. INTRODUCTIONES.

CAPUT I.
DE SAPIENTIA.



VERA sapientia est, de rebus incorrupte judicare, ut talem unamquamque existimemus, qualis ipsa est: ne vilia sectemur tanquam preciosa: aut preciosa tanquam vilia rejiciamus: ne vituperemus laudanda, neve laudemus vituperanda.

2 Hinc enim error omnis in hominum mentibus, ac vitium oritur: nihilque est in humana vita exitiabilius quàm depravatio illa judiciorum, quum rebus non suum precium redditur.

3 Quocirca perniciosæ sunt vulgi opiniones, quæ stultissime de rebus judicant.

4 Magnus erroris magister, populus.

5 Nec aliud magis laborandum est, quàm ut sapientiæ studiosum a populari sensu abducamus, et vindicemus.

6 Primum omnium suspecta illi sint quæcunque multitudo magno consensu approbat: nisi ad illorum normam revocarit, qui singula virtute metiuntur.

7 Assuescat unusquisque jam tum a puero, veras habere de rebus opiniones, quæ simul cum ætate adolescent.

8 Et ea cupiat quæ recta sint: fugiat quæ prava: ut assuefacto hæc bene agere, vertat ei prope in naturam: ut non possit, nisi coactus et reluctans, ad male agendum pertrahi.

9 Eligenda est optima vitæ ratio: hanc consuetudo jucundissimam reddet.

10 Tota reliqua vita ex hac puerili educatione pendet.

11 Ergo in curriculo sapientiæ, primus gradus est ille veteribus celebratissimus, *Se ipsum nosse.*

CAPUT II.

DIVISIO RERUM.

12 HOmo ex corpore constat, et animo. Corpus habemus ex terra, et his elementis quæ cernimus ac tangimus, corporibus bestiarum simile.

13 Animum divinitus datum, angelis et Deo similem, unde censetur homo, et qui solus merito esset homo appellandus, ut maximis viris placuit.

14 In corpore sunt forma, sanitas, firmitas, integritas, robur, celeritas, delectatio: et his contraria, deformitas, morbus, mutilatio, imbecillitas, tarditas, dolor, et alia corporis seu commoda, seu incommoda.

15 In animo, eruditio, et virtus: et contraria, ruditas, vitium.

16 Extra hominem sunt divitiæ, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia: et contraria his, paupertas, inopia, ignobilitas, vilitas, dedecus, obscuritas, odium.

CA-

CAPUT III.

RERUM NATURÆ, AC PRECIA.

17 REgina et princeps rerum omnium præstantissima est *Virtus*: cui reliqua omnia, si suo velint officio defungi, ancillari oportet.

18 *Virtutem* voco, pietatem in Deum et homines, cultum Dei, et amorem in homines, voluntatemque benefaciendi.

19 Reliqua, si quis ad virtutem hanc referat, non mala videbuntur.

20 Nec qui primum hæc nuncupavere bona, sic de illis senserunt, ut nunc vulgus, quod veros illos ac naturales significatus corrupit, unde et rerum æstimationes mutatæ sunt.

21 Sic enim sunt intelligenda hæc, quatenus censentur bona. Divitiæ sunt non gemmæ, aut metalla, non magnifica ædificia, vel supellex instructa: sed non iis carere, quæ sunt ad tuendam vitam necessaria.

22 Gloria, bene audire de virtute.

23 Honor, veneratio ob virtutem.

24 Dignitas, recta hominum opinio de magna virtute.

25 Potentia et regnum, habere multos quibus probe ac recte consulas.

26 Nobilitas, excellentia actuum esse cognitum: vel a bonis prognatum similem parentum se præbere.

27 Generosus est, ad virtutem a natura optime compositus.

28 Sanitas, talis habitudo corporis, ut valeat mens.

29 Species, lineamenta corporis, quæ animum formosum ostendant.

30 Vires et robur, ut exercitiis virtutis sufficias, ne facile defatigeris.

31 Voluptas, delectatio pura, solida et diuturna, qualis capitur ex iis solis, quæ ad animum pertinent.

32 Si quis hæc aliter, ut a populo videlicet intelliguntur, discutiat ac expendat, reperiet inepta, vana, noxia esse.

33 Primum, externa omnia vel ad corpus referuntur, vel ad ani-

animum: ut divitiæ ad tuendam vitam, honor ad indicium virtutis.

34 Corpus ipsum nihil aliud est, quàm tegumentum vel mancipium animi, cui et natura, et ratio, et Deus ipse jubent subjectum esse, ut brutum sentienti: mortale immortali ac Divino.

35 Porro in ipso animo eruditio in hoc paratur, ut cognitum vitium facilius fugiamus, cognitam virtutem facilius persequamur, teneamusque, alioqui supervacanea est.

36 Quid aliud est vita, quàm peregrinatio quædam, tot undique casibus objecta et petita? cui nulla hora non imminet finis, qui potest levissimis de causis accidere.

37 Quare stultissimum est, cupiditate tam incertæ vitæ fœdum aliquid, aut pravum agere.

38 Et quemadmodum in via, sic in vita, quo quis expeditior, et paucioribus sarcinis implicitus, hoc levius et jucundius iter facit.

39 Tum natura humani corporis ita constitutum est, ut paucissimis egeat: ut, si quis animadvertat, haud dubie insaniæ damnet eos, qui tam multa tam anxie congerunt, quum sit tam paucis opus.

40 Divitiæ namque, et possessiones, et vestimenta in usum tantum parantur: quem non adjuvant immensæ opes, sed opprimunt, ut navem, ingentia onera.

41 Nec aurum, si non utare, a cœno differt, nisi quod magis angit ejus custodia: et efficit, ut, dum ubi uni studes, ea negligas, quæ maxime sunt homini curanda.

42 Est enim pecunia idolorum servitus, quum ei reliqua posthabentur, nempe pietas, et sanctum.

43 Ut transeam, quot insidiæ divitiis tenduntur, quot et quàm variis casibus pereunt, in quàm multa vitia detrudunt.

44 Culta vestimenta quid aliud sunt, quàm superbiæ instrumenta?

45 Utile indumentum excogitavit necessitas: preciosum, luxus: elegans, vanitas. Suborta est in vestitu contentio: hæc multa docuit supervacanea, et damnosa, dum homines etiam ex eo quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant.

Ita

46 Ita divitiarum pars maxima, ædificia, supellex numerosa et opulenta, gemmæ, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, spectantium oculis et comparantur et exponuntur, non possidentium usibus.

47 Jam nobilitas quid est aliud, quàm nascendi sors, et opinio a populi stultitia inducta: ut quæ sæpenumero latrociniis quæritur.

48 Vera et solida nobilitas a virtute nascitur. Stultumque est, gloriari te parentem habuisse bonum, quum sis ipse malus, et turpitudine tua dedecori sis pulchritudini generis.

49 Sed certe omnes ex eisdem constamus elementis, et idem omnium pater Deus.

50 Ignobilitatem contemnere, hoc est Deum nascendi autorem tacite reprehendere.

51 Potentia quid est aliud, quàm speciosa molestia? in qua si quis sciret quæ sollicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorum mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret, ut gravem miseriam.

52 Quantum est odium, si regas malos? quanto majus, si malus ipse?

53 Honor, si ex virtute non oritur, pravus est: sin ex virtute, hoc præstat virtus ut is negligatur: aliter vera non erit virtus, si quid honoris facit gratià: sequi enim debet honor, non expeti.

54 Dignitates quis potest sic appellare, quum indignissimis quoque hominibus contingant? nempe fraude, ambitione, præmiis, pessimis artibus quæsitæ?

55 Et gloria est ne aliud, quàm (ut ille dixit) *Aurium vana inflatio*?

56 Ex qua, ut honore et dignitate, nihil omnino ad eum pertingit, de quo sunt: et incertæ, vagæ, iniquæ, momentaneæ sunt, similes parentis suæ multitudinis, quæ eodem die eundem hominem et commendat atque evehit summe, et vituperat ac deprimit extreme.

57 Quid dicam nasci ex his rebus partim deridendis, partim stultis, partim sceleratis, sicut ludo pilæ, profusione patrimonii in comessationes, scurras, mimos: bello potissimum, hoc

est

est impunito latrocinio, quo magis vulgi dementiam agnoscas?

58 Secedat in se unusquisque, ac solus cogitet: inveniet quàm parum ad se attingat ex fama, rumoribus, veneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

59 Quid in somno, quid in solitudine, inter summum Regem interest, et infimum servum?

60 Denique sic unusquisque sentiat, nobilitatem, honores, potentiam, dignitates ex prisca hominum persuasione, quam Christus animis suorum ademit, nata et relicta esse, et in Christianos homines invecta, tanquam lolium, quod hostis diabolus aspersit bonæ segeti Dei.

61 In corpore ipso quid est forma? nempe cuticula bene colorata: si intraria cerni possent, quanta vel in corpore speciosissimo cerneretur fœditas?

62 Lineamenta et corporis decor quid juvant, si turpis sit animus? et sicut Græcus ille dixit, *In hospitio pulchro hospes deformis*?

63 Robur quorsum pertinet in homine, quum res maximæ et homine dignæ non viribus nervorum gerantur, sed ingenii?

64 Nec vires quantumcunque augeantur, majores erunt quàm tauri vel elephanti: ratione illos, ingenio, virtute superamus.

65 Transeo quod forma, vires, agilitas, et ceteræ corporis dotes, ut flosculi, celeriter marcescunt, exiguis casibus diffugiunt: vel una febricula validissimum quandoque hominem concutit, et summum decorem tollit.

66 Ut nihil accidat, certe necesse est illa omnia cum ætate flaccescere, ac decidere.

67 Nemo ergo potest externa jure sua dicere, quæ tam facile ad alios transeunt: nec corporea, quæ tam cito avolant.

68 Quid quod hæc quæ multi admirantur, magnorum vitiorum sunt causæ, velut insolentiæ, arrogantiæ, socordiæ, ferocitatis, livoris, æmulationis, simultatum, rixarum, bellorum, cædis, stragis, cladis?

69 Delectatio corporis, ut corpus ipsum, vilis ac pecudina est, qua sæpius et vehementius et diutius pecora quàm homines perfruuntur.

Ex

70 Ex hac quum morbi plerique ad corpus redundant, et ad rem familiarem permagna damna: tum ad animum certa pœnitentia, et hebetudo ingenii, quod deliciis corporis extenuatur, ac frangitur: denique odium virtutum omnium.

71 Nec aperte frui licet: nam, ut dedecent generositatem nostræ mentis, ita nemo tam perditus est, quin eas erubescat apud arbitros capere, pariunt enim ignominiam: idcirco tenebras et latebras quærunt.

72 Quid quod sunt fugacissimæ, et momentaneæ, nec retineri ulla vi possunt, nec unquam veniunt puræ, cujuscunque amaritudinis expertes?

73 Ergo exclusis vulgi sensibus, maximum malum putato, non paupertatem, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatem, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: sed vitia, et his proxima, inscitiam, stuporem, dementiam.

74 Magnum bonum credito horum contraria, virtutem, et quæ huic sunt finitima, peritiam, acumen ingenii, sanitatem mentis.

75 Reliqua vel externa, vel corporis, si habes, proderunt tibi ad virtutem relata: oberunt, ad vitia. Si non habes, cave ne quæras vel cum minimo dispendio virtutis.

76 Prolixus quæstus est pietas cum sufficientia. Fama, tametsi nihil agendum est ut videaris, conservanda tamen est integra, quod interdum ea cura a multis nos turpibus cohibet, sed præcipue in exemplum ceterorum.

77 Unde præceptum illud sapientium et sanctorum virorum, *Nec malum faciendum, nec ejus simile.*

78 Quod si hoc assequi non possumus, conscientia debemus esse contenti, et quum tam depravati erunt hominum sensus, ut quæ sunt optima, putent esse scelestissima, tunc laborandum erit, ut interna et externa soli Deo approbemus, idque abunde nobis sufficiat.

79 Etiam mala, quæ dicuntur corporis, vel fortunæ, licebit in bonum vertere, si patienter feras: et tanto sis ad virtutem promptior, quo minus tibi in illis succedit, ac proinde es expeditior.

Sæ-

80 Sæpenumero ex damnis corporis, vel externorum, magnæ sunt accessiones virtutibus natæ.

CAPUT IV.

DE CORPORE.

81 ET quoniam in hac nostra peregrinatione animum gestamus in corpore inclusum, maximasque opes in vasis fictilibus, non omnino repudiandum nobis est et contemnendum corpus.

82 Sic curandum tamen, ut se non dominum, non socium esse sentiat, sed mancipium: nec sibi pasci, aut vivere, sed alteri.

83 Quo curatius est corpus, hoc animus neglectior.

84 Quo mollius habetur corpus, hoc acrius menti reluctatur, et, ut equus delicate pastus, sessorem excutit.

85 Gravis sarcina corporis animum elidit: acumen ingenii sagina corporis, aut indulgentia retunditur.

86 Cibi, somni exercitationes, tota corporis curatio, ad sanitatem referenda est, non ad voluptatem: ut animo prompte inserviat, nec ferocia cultus insolescat, neu virium inopia decidat.

87 Nihil est quod æque et vigorem mentis debilitet, et robur ac nervos corporis infringat, ut voluptas: quippe vires omnes et corporis et mentis, opere ac labore vegetantur, otio et mollitie voluptatis languescunt.

88 Mundities corporis et victus, citra delicias aut morositatem, ad valetudinem et ingenium confert.

89 Ablues subinde manus et faciem frigidâ, detergesque mundo linteolo.

90 Repurgabis crebro eas partes quæ sordibus et recrementis ad extima corporis meatus præbent.

91 Hæ sunt, caput, aures, oculi, nares, axillæ, et pudenda.

92 Pedes mundi et calidi foveantur.

93 Arceatur frigus quum ab aliis partibus, tum vel maxime a cervice.

94 Ne statim edas a quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter.

95 Jentaculum enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, non satietati.

Ideo

96 Ideo tres aut quatuor panis bucceæ sufficiunt sine potione, aut certe exigua, atque ea tenui: salutare hoc non minus ingenio, quam corpori.

97 In prandio et cœna assuesce non vesci, nisi ex uno obsonii genere: eodem simplicissimo, et quantum per facultates licebit, saluberrimo, quamvis multa mensæ inferantur: et, si tua sit mensa, noli admittere.

98 Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum.

99 Munda et pura parsimonia, temperatis et castis animis congruens, conservatrix rei familiaris: et quæ sola efficit, ne multis indigere nobis videamur, nec suscipiamus pessima facinora quæstus gratia quo gulæ morem geramus, irritatæ, vel luxu, vel lauticiis, vel delicatis nimium et exquisitis cibis.

100 Tum præstat, ut quæ adsunt, non modo nobis sufficiant, sed ex eis liceat egentibus impartiri.

101 Ostendit hoc Dominus exemplo sui, qui post exsaturatam multitudinem, reliquias perire panum et piscium non est passus.

102 Natura necessaria docuit, quæ sunt pauca et parabilia. Stultitia superflua excogitavit, quæ sunt infinita et difficilia.

103 Naturæ si des necessaria, delectatur, et roboratur tanquàm propriis: sin superflua, debilitatur, et affligitur tanquam alienis.

104 Stultitiam necessaria non explent: superflua quum obruant, non satiant.

105 Potus erit, vel naturalis ille universis animantibus in commune a Deo paratus, pura et liquida aqua, vel tenuissima cervisia, vel vinum bene dilutum.

106 Nihil est quod juvenum corporibus magis officiat, quàm calidus cibus, aut potus: incendit enim et exurit eorum viscera, agitque in libidinem et temeritatem præcipites.

107 A cœna ne bibe: aut, si id admonet sitis, sume humidum aliquid et frigidiusculum, aut perpusillum tenuis potiunculæ.

108 Inter eam potionem et quietem, interpone quum minimum, horæ dimidium.

109 Levaturus animum, fac cogites quàm exiguum tem-

pus datum sit vitæ hominum: ex illo non oportere multum discindi ad lusus, ad comessationes, ad puerilitates, ad ineptias.

110 Breve spatium esse vitæ nostræ, etiamsi totum bonæ menti impenderetur.

111 Non esse nos a Deo creatos ad lusum, aut nugas: sed ad seria, ad moderationem, modestiam, temperantiam, religionem, omne genus virtutis et laudis.

112 Morbos corporis morbis animi ne curaveris.

113 Exercitationes corporis non erunt immodicæ, ceterum aptandæ rationi valetudinis, in quo sequenda erunt medicinæ consultorum consilia.

114 Sic tamen, ne quid habeant turpe, immodestum, obscenum, flagitiosum: etiam in remissionibus et refectionibus animi adsit aliqua memoria virtutis.

115 Absit arrogantia, contentio, rixa, invidia, cupiditas: ¿ quî enim convenit cruciare animum, dum delectare studes? non aliter quàm si fel infundas in id mel, quod cupis esse quàm dulcissimum.

116 Somnus sumendus est tanquam medicina quædam curando corpori, tantummodo quantus sufficit: immodicus enim reddit corpora redundantia noxiis humoribus, segnia, pigra, lenta, et celeritatem mentis tardat.

117 Nec est existimandum vitæ id tempus, quod somno impenditur, vita enim vigilia est.

CAPUT V.

DE ANIMO.

118 In animo duæ sunt partes: illa quæ intelligit, meminit, sapit, ratione, judicio, ingenio utitur ac valet. Hæc pars superior appellatur, et proprio nomine, Mens, qua homines sumus, qua Deo similes, qua ceteris animantibus præstamus.

119 Est altera ex conjunctione corporis bruta, fera, atrox, bestiæ quàm hominis similior: in qua sunt motus illi, qui sive affectus, sive perturbationes nominantur, Græce πάθη, arrogantia, invidentia, malevolentia, ira, metus, mœror, cupiditas, stulta

gau-

gaudia. Pars inferior nominatur etiam Animus: qua nihil a belluis differimus, et quàm longissime discedimus a Deo, extra morbum et perturbationem omnem posito.

120 Hic est naturæ ordo, ut sapientia regat omnia, pareant homini cetera quæ videmus: in homine vero corpus animo, animus menti, mens Deo. Si quid hunc ordinem egreditur, peccat.

121 Ergo peccatum est, in homine perturbationes illas tumultuari, sævire, ac trahere ad se jus et ditionem totius hominis, spreta et contempta mente: mentem etiam, relicta Dei lege, animo et corpori servire.

CAPUT VI.

DE ERUDITIONE.

122 IDcirco menti indita est vis intelligendi, ut singula expendat, sciatque quid factu bonum sit, quid secus: et vis volendi summa, ut imperio hujus nihil sit in animo quod non pareat, si illa contendat, nec de jure decedat suo.

123 Ingenium multis artibus, et humanis et Divinis, excolitur et acuitur: instruiturque magna et admirabili rerum notitia, quo exactius singulorum naturas et precia cognoscat: possitque voluntatem docere quid sequendum bonum, quid vitandum malum.

124 Igitur fugiendæ artes illæ, quæ cum virtute pugnant, quales sunt divinatrices omnes, quæ a Græcis μαντείας dicuntur: ut chiromantia, pyromantia, necromantia, hydromantia, etiam astrologia: in quibus est plurimum exitiabilis vanitatis: excogitatæ ab impostore nostro diabolo.

125 Tractantque et profitentur id, quod sibi uni Deus reservavit, futurarum et abstrusarum rerum peritiam.

126 Nec inquirendum in Dei majestatem, et arcana a cognitione nostra procul remota, a quibus Deus hominem arcuit.

127 *Qui scrutatur majestatem, opprimetur a gloria.*

128 Et Paulus jubet *Nos non plus sapere, quàm oporteat: sed sapere ad moderationem.* Hebræus quoque concionator inquit: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præce-*

pit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.

129 Et arcana illa, quæ vidit, negat licere homini eloqui.

130 Vitanda ars omnis a dœmone tradita, cum quo velut Dei hoste nullum debet nobis esse commercium.

131 Nec expedit vel philosophorum, vel hæreticorum opiniones, pietati nostræ contrarias, cognoscere: ne quem scrupulum subtilis artifex diabolus in animos nostros injiciat, qui nos nimium torqueat, etiam adducat in exitium.

132 Nón attingendi autores spurci, ne quid sordium animo ex contagio adhæreat.

133 *Corrumpunt bonos mores collocutiones malæ.*

134 Reliqua eruditio munda est, et frugifera, referatur modo ad suum scopum, virtutem, hoc est, recte agere.

135 Est divina eruditio a Deo tradita, in qua sunt thesauri omnes scientiæ et sapientiæ reconditi. Hæc est vera mentium lux, reliqua omnis ad hanc collata, densissimæ sunt tenebræ, et ut res hominum, ludicra et puerilis.

136 Legitur tamen vel in hoc, quo tanquam ex comparatione fulgentior appareat nostra lux.

137 Tum ut testimoniis hominum adversus eos utamur, qui divinis parum acquiescunt, ut vitiosi oculi aversantes solis splendorem.

138 Ad nos quoque commonefaciendos, quum in multis gentilium tanta præstantia fuerit virtutis, quantam esse convenit in homine Christiano, discipulo magistri Dei, cui ex luce pietatis, quam profitetur, magna est imposita necessitas bene vivendi.

139 Suppeditant quoque facundiam, et usum, ac prudentiam vitæ communis, quîs nonnihil interdum indigemus.

140 Tribus velut instrumentis fabricamur eruditionem, ingenio, memoria, cura.

141 Ingenium exercitatione acuitur.

142 Memoria excolendo augetur.

143 Utrumque enervant deliciæ, bona valetudo confirmat, otia et diuturnæ remissiones profligant, exercitamenta ad manum et in promptu ponunt.

Si-

144 Sive legis ipse quid, sive audis, attentus id fac: nec vagetur mens tua, sed coge illam ibi esse, et agere quod adest, non alia.

145 Si incipit digredi, parvo murmure eam revoca: cogitationes omnes ab studiis alienas in aliud tempus differ.

146 Scito te operam et tempus perdere, si quæ legis, vel audis, non attendas.

147 Quæ ignoras, ne pudeat quærere. Ne erubesce a quovis doceri, quod maximi viri non erubuerunt: erubesce potius ignorare, aut nolle discere.

148 Quæ ignota tibi sunt, ne jactes te scire: sciscitare potius ab iis, quos scire credis.

149 Si videri vis doctus, da operam ut sis: nulla est compendiosior via: quemadmodum non alia ratione facilius consequêris ut existimeris bonus, quàm si sis talis.

150 Denique quidquid videri cupis, fac ut sis, aliter frustra cupis.

151 Falsa tempus infirmat, vera corroborat.

152 Nulla simulatio diuturna.

153 Magistrum semper sequere, noli præcurrere, et illi crede, ne repugna.

154 Ama illum, et parentis loco habe: putaque verissima et certissima esse quæcumque dicit.

155 Attende ut quod semel errasti, emendes iterum aut tertio, ne idem pecces: labora ut proficiat emendatio.

156 Illorum decet te præcipue meminisse, in quibus falsus es, ne te rursum decipiant.

157 Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, perseverare in errore.

158 Scito nullum esse sensum, per quem promptius docemur, quàm auditum.

159 Et nihil facilius quàm audire multa, et nihil utilius.

160 Nec malis levia, aut inepta aut ridicula audire, quàm seria, gravia, prudentia.

161 Pari labore utraque discuntur, quum sit adeo commodum dispar.

Ne

162 Ne labores quàm multa respondeas, sed quàm apte, et in tempore.

163 Prandio tuo et cœnæ illos adhibe, qui te possint instituere, quique suavi ac docta collocutione pariter et exhilarent te, et peritiorem reddant.

164 Scurras, parasitos, imperite loquaces aut spurce, moriones, nugatores, bibaces, et id genus hominum aptum ad risum movendum vel verbis vel factis, nec honore mensæ tuæ digneris: nec illi te, dum reficeris, oblectent: potius jucunda aliqua, et ingeniosa confabulatio.

165 Non os modo a turpibus cohibe, sed etiam aures tamquam fenestras animi, memor dicti veteris, quod citat Apostolus: *Corrumpunt mores probos confabulationes malæ.*

166 Sive ad mensam, sive alio quovis loco, diligenter quid quisque dicat ausculta.

167 Ex sapientibus disces quò fias melior.

168 Ex stultis, quò fias cautior.

169 Quæ sapientes probarint, sequêris.

170 Quæ stulti laudarint, vitabis.

171 Si quid videris a cordatis recipi tamquam vel argute, vel graviter, vel sapienter, vel docte, vel ingeniose, vel urbane dictum, retinebis, ut et ipse in occasione utaris.

172 Habebis librum chartaceum, in quo annotabis si quid legeris, vel audieris dictum festive, aut eleganter, aut prudenter, vel vocabulum aliquod exquisitum, rarum, utile sermoni quotidiano, ut quum usus poscat, habeas paratum.

173 Annitere ne sola verba intelligas, sed præcipue sensa.

174 Quæ legeris, vel audieris, fac aliis narres, tum tuis condiscipulis Latine, tum aliis lingua tibi vernacula: et conare, ne minus ipse vel lepide, vel venuste referas, quàm audieris, aut legeris: sic et ingenium exercebis, et linguam.

175 Est etiam tractandus et agitandus sæpenumero stilus, optimus dicendi magister.

176 Scribe, transcribe, rescribe crebro, atque annota: compone alternis diebus, aut ad summum tertio quoque, epistolam ad aliquem, qui tibi respondeat: et tuam ostende institutori emen-

mendandam: mendarum, quas sustulerit, fac recordere, ne rursus ad easdem impingas.

177 Post cibum, velut a prandio et cœna, cesset studium: sumto prandio sede, confabulare, audi aliquid suave, aut sic lusita ne nimium corpus exagites et concutias.

178 Post cœnam, quam volo esse modicam, deambulato cum jucundo aliquo et docto confabulatore, qui te sermone oblectet, cujus verba et sententias imitari cum decòre possis.

179 Inter cœnam, et quietem, vita omnino potum: nihil perniciosius simul corpori, memoriæ, ingenio. Quum urgebit te sitis, si biberis, pone inter potum et lectum intervallum, quum minimum, semihoræ.

180 Memoriam quiescere non sines.

181 Nihil est, quod æque labore gaudeat, et augeatur.

182 Commenda ei quotidie aliquid.

183 Quò plura commendabis, hoc custodiet omnia fidelius: quò pauciora, hoc infidelius.

184 Quum aliquid ei credideris, sine eam quiescere, et aliquanto post ab ea velut depositum reposce.

185 Si quid vis ediscere, id de nocte quater aut quinquies attentissimus legito: hinc ito cubitum, de mane exigito a memoria rationem ejus quod pridie credideris.

186 Cavendum a crapula, a cruditate, a frigore, potissimum cervicis.

187 Vinum, memoriæ mors.

188 Optimum esset singulis noctibus, paulo antequam cubitum concederes, in sella te sine arbitris sedentem quæcumque die illo vidisses, legisses, audisses, egisses, in memoriam revocare.

189 Si quid fecisses honeste, moderate, prudenter, cordate, cum decòre et laude, gauderes, sciresque id esse Dei munus, et similia pergeres facere.

190 Si quid turpiter, immodeste, flagitiose, pueriliter, inepte, vituperio dignum, scires ex tua malitia profectum, doleres, et vitares in posterum.

191 Si quid vel audisses, vel legisses elegans, doctum, grave, sanctum, retineres.

Si

192 Si quid vidisses probatum, imitarere: si quid improbatum, fugeres.

193 Nulla tibi abeat dies, in qua vel non legeris, vel audieris, vel scripseris aliquid, quod seu eruditionem, seu judicium, seu virtutem augeat.

194 Cubitum iturus lege, vel audi aliquid dignum, quod memoriæ mandetur, et de quo salubre ac jucundum sit per quietem somniare: ut etiam nocturnis visis discas, et fias melior.

195 Studio sapientiæ nullus in vita terminus statuendus est: cum vita est finiendum. Semper illa tria sunt homini, quamdiu vivit, meditanda: *Quomodo bene sapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.*

196 Ab studiis arrogantia omnis arcenda est: nam ea quæ vel doctissimus mortalium novit, non sunt minutissimum eorum quæ ignorat: exiguum quiddam et obscurum et incertum est quidquid homines sciunt, mentesque nostræ in hoc corporeo carcere devinctæ, magna ignoratione et altissimis tenebris premuntur: aciemque adeo retusam habemus, ut nec summas penetremus rerum facies.

197 Tum profectui studiorum plurimum nocet arrogantia: multi enim potuissent ad sapientiam pervenire, ni jam putassent se pervenisse.

198 Vitanda etiam contentio, æmulatio, obtrectatio, inanis gloriæ cupido: quum in hoc sequamur studia, ut illa fugiamus.

199 Nihil excogitari potest jucundius cognitione multarum rerum: nihil intelligentia virtutis fructuosius.

200 Studia res lætas condiunt, tristes leniunt, temerarios impetus juventæ cohibent, senectutis molestam tarditatem levant: domi, foris, in publico, in privato, in solitudine, in frequentia, in otio, in negotio comitantur, adsunt, immo præsunt, opitulantur, juvant.

201 Eruditio pastus ingenii verissimus, ut indignum sit, pasci corpus esuriente animo: ex qua voluptates, et oblectamenta et solida, et perpetua: quæ alia ex aliis nascentia, et se renovantia, nunquam nos deserunt, nec lassant.

CA-

CAPUT VII.

DE VIRTUTE.

202 PRæstantissima illa rerum universarum Virtus, neque dono ab hominibus datur, neque accipitur: divinitus contingit.

203 Idcirco a Deo suppliciter ac pie petenda est.

CAPUT VIII.

DE AFFECTIBUS.

204 SUmmum in litteris omnibus atque eruditione est ea Philosophia, quæ ingentibus animi morbis remedium adfert.

205 Magna cura adhibetur curando corpori: major adhibenda est animo, quò hujus morbi et occultiores, et graviores, et periculosiores sunt.

206 Hi non injuria tempestates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furiæ animi humani nuncupantur: maximam hi adferunt calamitatem, et indicibiles dolores, si regnent, si agitentur: incredendam tranquillitatem, et beatitudinem, si sedentur, et cohibeantur.

207 Huc tendunt quæcumque a maximis ingeniis de vita moribusque acutissime sunt excogitata, atque perscripta.

208 Hoc est ingens præmium litterati laboris, cujus verissimus fructus est, ut non in admirationem, aut ostentationem vanam sit nobis magna illa rerum supellex collecta: sed ut transeat in usum vitæ, et primum omnium prosit possidenti: nec in ejus mente sit tamquam in pixidicula, unde petitur res alios juvatura, ipsi vasculo inutilis.

209 Nec aliud conatur pietas Christiana, quàm ut serenitas humanos animos exhilaret: et tranquillitate animorum, compositisque affectionibus simus Deo, angelis quàm simillimi.

210 Remedia his morbis, vel ex rebus ac nobis ipsis, vel ex Deo, vel ex Christi lege ac vita petuntur.

211 Natura rerum est, ut in certa, et fluxa, et momentanea, et vicissitudinaria, et vilia sint omnia præter animum: qui est

unusquisque, aut certe potissima ejus pars. Reliqua ab aliis ad alios transferuntur, ne quis extra animum quidquam possit suum dicere.

212 Quæ habet, non donata esse putet, sed accommodata.

213 Quocirca ingentis dementiæ est, grave aliquod crimen, et magna luendum pœna, ob res minutas suscipere.

214 Nec se quisquam efferat, quod aliquid de externis aut corporeis contigerit: quum id omne breve futurum sit, ac incertum, nec proprium, sed alienum: quod ut concessum est, sic etiam reposcetur, ad summum, in morte, sæpe, in vita ipsa.

215 Nec dolendum, si quod accommodatum ac velut depositum est, repetatur: quin potius agendæ gratiæ, quod tantisper uti licuit.

216 Intolerandæ ingratitudinis est, si sic aliquando affectus beneficio, injuriam te credas accipere quòd id non sit perpetuum: nec quid habueris spectes, aut quamdiu, sed quid, aut quamdiu non habueris.

217 Nec lætandum, quòd fortuita tibi accesserunt, aut amicis, adempta sunt inimicis: quum in omnibus tanta sit celeritas, et ambiguitas, ut plerumque inani lætitiæ proximus sit acerbus fletus.

218 Nec despondendus animus, aut contrahendus reflante fortuna: quippe adversis matutinis interdum succedunt prospera vespertina.

219 Jam quæ conditio corporum, quæ ratio vitæ fictis ex tam vili initio, tam fragili, quum sit anceps vita, septa tot undique periculis: et, ut sit aliquantisper certa, utique non est diu duratura: quid habemus cur in tanta infirmitate marciamus?

220 Quumque nihil sit aliud hæc vita, quàm peregrinatio, qua in alteram sempiternam tendimus, paucissimisque rebus ad hoc iter conficiendum egeamus,

221 Quid est quam ob rem his quæ huc atque illuc volvi et jactari cernimus, sollicitemur, aut omnino moveamur?

222 Cupiditati quare serviendum est, quum sint futura incertissima, et præsentia paucis contenta?

223 Liber ille, qui cupit solum quæ sunt in ipsius manu: servus, qui contra.

Jam

224 Jam fortunæ muneribus expleri, quid aliud est quàm peditem multis sarcinis impediri ac obrui?

225 Nemo est tam stupide amens, qui non se illi civitati, ad quam tendit, et ubi morari destinat, potius quàm itineri adornet, componatque.

226 Vita hæc nostra quum sit natura sua fugax, et arcta, maxima ejus pars, ac fere tota perturbationibus perit: neque enim vivimus quamdiu affectibus concutimur, et in primis mortis metu.

227 Quæ, quum ex infinitis causis immineat, et appropinquet, expavenda non est ex una et altera: quum necessario perventura, fugienda non est per scelus, aut mœrendum quod accedat.

228 Quum sit vita innumeris tædiis ac miseriis referta, cur est tam arcte retinenda? quum ad alteram æternam proficiscamur, ita nos comparemus, ut rectà ad illam evolemus plenissimam bonorum omnium.

229 Ergo premimur sæpius nostris erroribus quàm rebus ipsis, quum magna mala aut bona censemus, quæ non sunt.

230 Natura, et conditio, et vera rerum precia illa sunt, quæ initio posui: quo apparet, nihil præter virtutem pulchrum aut magnum esse, aut etiam nostrum.

231 Nos vero in consilium mentis amorem corporis, et cupidinem rerum vitæ hujus accersimus, quæ a multis vocari solent *Amor nostri*.

232 Hic animos viriles enervat, ut nulla res tam minuta sit, quæ in eos non penetret: nec ulla tam exilis aut tenuis, quin eos concutiat.

233 Hinc tenebræ oboriuntur oculo mentis, et ubi regnum affectus occupavere, jam illis tamquam dominis blandimur, indulgemus, paremus.

234 Ita aliena mordicus tamquam nostra apprehendimus, et si detrahantur, lamentamur, et affligimus nos ipsos.

235 Et nostra tamquam aliena negligimus, et aversamur profutura ceu in primis noxia, et nocitura amplectimur pro utilibus.

236 Aliena mala nobis videntur levissima, nostra, illis non majora, intolerabilia: et semper queruli nec aliena desideria ferimus, nec nostra.

237 Nec jam nobis placemus ipsi, nec hic mundus cum sua lege nobis satisfacit, immutatas vellemus rerum naturas: tanta est ex deliciis impatientia.

238 Quæ cruces possunt cum his comparari? nec sunt alia apud vita functos tormenta.

239 Nec dæmones aliis suppliciis sunt miserrimi, quàm superbia, invidia, odio, ira.

240 Cernere est vultus eorum, qui his affectibus tenentur, quàm varii sunt, quàm anxii, anheli, truces, horridi: ad eundem modum et animi sunt affecti.

241 Ira, perturbationum omnium atrocissima, maxime hominem dedecet.

242 Naturam hominis in truculentam mutat feram.

243 Et quum quævis perturbatio mentis aciem et judicium omne obscuret, tum ira tenebras densissimas offundit, ut nec verum, nec utile, nec decorum possit cernere.

244 Arrodit cor, et valetudinem affligit.

245 Id cogit facere, quod illico pœnitentia consequatur.

246 Jam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempestas? oculorum ardor? dentium stridor? despumatio? et totius oris pallor? fœda in lingua titubatio, et clamor?

247 Ut ille qui iratum se ad speculum vidit, non sine causa dicatur se non agnovisse.

248 Ob hanc torvitatem vultus, atrocitatem dictorum, crudelitatem factorum, adimitur viro omnis auctoritas, omnis benevolentia, diffugiunt amici, recedunt obvii, solitudo undique, omnes oderunt, omnes detestantur.

249 Quo fit, ut maximi viri nihil vel caverint magis, vel texerint, quàm iram, et irati opera: adeo ut Naturæ etiam suæ repugnarint, ac vim attulerint.

250 Quid enim ridiculum magis, quàm tantulum, tam imbecillum animalculum, sic ferocire, ac furere?

251 Et tantas tragœdias, tam atroces, de vilissimis rebus excitare, ut de corporeis, de fortuitis, etiam, si Diis placet, de uno verbulo?

252 Iram facile domabis, si illud animo perceptum et fixum tenueris.

In-

253 Injuriam non fieri nisi lædatur animus, cui a nemine noceri potest nisi a possidente, introducto in eum vitio.

254 Hæc ad hominem, ex homine, nunc altius, nempe ex Deo, etiamsi et illa quoque ex Deo: sed hæc aliquanto expressius, ac propius.

CAPUT IX.

DE RELIGIONE.

255 NIhil potuit hominum generi dari majus aut præstabilius quam religio, quæ est cognitio et amor Principis et Parentis universitatis mundi hujus.

256 In nullos homines æque est beneficus Deus, ac in illos, quos docet qui sit verus sui cultus.

257 Idcirco Psalmista inter maxima Dei in populum Israeliticum munera, illud ponit: *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israeli.*

258 *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

259 Per religionem Deus cognoscitur, cognitus fieri nequit aliter quàm ametur.

260 Unus Deus est princeps, et auctor, et Dominus universorum, qui potest, qui scit omnia.

261 Mundus hic est velut domus quædam ejus, vel potius templum: ipse ex nihilo in hanc faciem atque ornatum protulit, unde nomen accepit apud Græcos, ornati.

262 Idem regit atque administrat, non minore conservationis miraculo, quàm creationis.

263 Et quemadmodum in domo prudentissimi patrisfamiliâs nihil injussu ejus agitur, sic in omni mundo nihil injussu Dei geritur, omnia potentis et scientis.

264 Illi angelos, dæmones, homines, animantia, stirpes, lapides, cœlos et elementa, cuncta denique curæ esse, ac parêre.

265 Nihil fieri, nihil moveri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem attolli ullam, aut floccum volitare, extra illius præscripta et jussa.

Hanc

266 Hanc esse universi legem, non alium esse in rebus casum, non fortunam, aut sortem.

267 Omnia ab eo fieri cum summa æquitate, et sapientia, tametsi viis nobis ignoratis.

268 Quæcumque cuivis contingunt, ad ejus referri commoda, si sit bonus, non ad ista pecuniolæ aut mundi hujus momentanei, sed illius æternæ salutis.

269 Ergo quæcumque in hoc mundo accidunt, tamquam ab auctore Deo profecta æquis animis accipienda atque approbanda sunt, ne affectu nostro, et tamquam judicio, consilium damnare videamur, et improbare voluntatem justissimi illius et sapientissimi rectoris omnium Dei, quia non assequimur.

270 Ei nos obsequi, ac subditos præbere, laudare, atque approbare cuncta quæ facit, fas piumque est.

271 Nos pueri, et meliorum rerum inscii, quæ damnosissima sunt deflemus non dari: tamquam utilissima, quæ utilissima horremus tamquam adversissima.

272 Ut nihil sit nobis sæpenumero pestilentius, quam fieri votorum nostrorum compotes.

273 Quumque in tantis tenebris ignorationis versemur, sic Deo visum est, ut nobis sola sit præstanda culpa, cetera omnia illius curæ remittantur.

274 Nobis, velimus nolimus, exequendum est quod de nobis statuit ac jubet rector hujus tanti operis: ¿quorsum igitur spectat malle cum lacrimis detrectantes et reluctantes trahi, quàm hilariter et ultro duci?

275 Certe amicus omnis Dei, legibus et voluntati amici obtemperabit.

276 Hæc potissima ratio est Dei amandi, sicut Christus inquit: *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.*

CAPUT X.

DE CHRISTO.

277 PAcificator humani generis cum Deo, et auctor salutis nostræ est *Jesus Christus, homo Deus, Dei omnipotentis filius unigeni-*

ni-

nitus, quem ad hoc ipsum Pater misit quum ei visum est misereri generis humani, quod maximo suo malo inimicum se fecerat Deo.

278 Nullum excogitari potest malum pestilentius, aut exitiabilius, quàm per peccatum a Deo separari, a perenni bonorum omnium fonte ad perniciosissimam converti miseriam, et a dulcissima vita in acerbissimam mortem.

279 In hoc inter cetera *Christus* venit, ut rectissimam viam nos edoceret qua insisteremus proficiscentes ad Deum, nec ab ea vel pilum deflecteremus.

280 Hanc ipse et verbis indicavit, ac patefecit, et exemplo vitæ suæ munivit expeditissimam atque certissimam.

281 Humana omnis sapientia, si cum religione Christiana conferatur, cœnum est et mera stultitia.

282 Quicquid grave, prudens, sapiens, purum, sanctum, religiosum; quicquid cum admiratione, exclamatione, plausu apud gentiles sapientes legitur; quicquid ex illis commendatur, ediscitur, in cœlum tollitur: id totum purius, rectius, apertius, expeditius invenitur in pietate nostra.

283 Hanc nosse perfecta est sapientia, juxta hanc vivere perfecta virtus; sed nemo vere novit qui non sic vivat.

284 Vita *Christi* testatur humanam ejus probitatem, miracula omnipotentiam divinitatis, lex cœlestem sapientiam.

285 Ut ex probitate accedat exemplum ad imitandum, ex auctoritate vis ad obediendum, ex sapientia fides ad credendum.

286 Probitas amorem eliciat, majestas cultum, sapientia fidem.

287 Si quis quæ *Christus* præcipit expendat, comperiet omnia ad nostras utilitates referri, ut nemo nisi maximo suo bono sentiat se credere.

288 Ut nihil est homini gratius quam fidi sibi, ita nec Deo: nec quisquam bene de illo cogitat, cui timide se ipsum credit.

289 Fundamentum salutis est credere Deum esse patrem, et hujus filium unicum *Jesum Christum* legislatorem nostrum, et ex utroque spirari sanctum illum afflatum, sine quo nihil agimus, nihil cogitamus excelsum, aut profuturum nobis.

Ve-

290 Verus Dei cultus est animum morbis et pravis affectibus perpurgare, et in illius quam proxime possumus transformari simulacrum, ut puri et sancti simus sicut et ipse est, neminem oderimus, omnibus prodesse studeamus.

291 Quo magis te a corporalibus ad incorporea transtuleris, hoc vitam diviniorem vives.

292 Ita fiet ut Deus cognatam et similem sibi naturam agnoscat, eaque delectetur, ac velut in vero et germano templo habitet, multo sibi acceptiore quam ista sunt lapidum et metallorum.

293 *Templum Dei sanctum est*, inquit Paulus, *quod estis vos.*

294 Tantus hospes conservandus est, nec tetro peccatorum fœtore expellendus.

295 Corporalia opera fatua sunt ante Deum nisi conditura ex animo addatur.

296 In occultissimis recessibus, et procul ab omnium oculis, atque adeo in corde ipso atque in animo tuo, scito te habere Deum, arbitrum, testem, judicem omnium, etiam cogitationum tuarum, ut illius præsentiam reveritus, nihil non modo facias, sed nec in animum admittas, nefarium aut turpe.

297 Caritas erga Deum hæc esse debet, ut illum ceteris rebus universis anteponas, honoremque et gloriam illius cariorem habeas cunctis vitæ hujus honoribus et commodis.

298 Et quemadmodum amicus, quum amici memoria occurrit, benevola quadam afficitur et pia lætitia, sic curare te decet ut Divina omnia amicissima tibi sint, et proinde gratissima, verserisque in illis multo libentissime.

299 Quoties nominari audis Deum, majus quiddam et admirabilius occurrat quàm quod possit humana mens capere.

300 Quæ de illo et Divis dicuntur, audi non quomodo humana, sed cum magna animi admiratione.

301 De Deo ne quid temere censeas, aut de illius factis pronunties aliter quàm venerabundus et timide.

302 Impium, in res sacras jocari, aut dicta sanctarum scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata convertere, ceu quis medicinæ ad salutem paratæ cœnum aspergat: ad obsce-

scenitatem autem trahere, id vero nefarium et intolerabile.

303 Omnia decet illic esse admiranda, et cum ingenti dignatione in animos recipienda.

304 Sacris intersis attente ac pie, non ignarus quæcumque ibi seu vides, seu audis, esse purissima et sacrosancta, spectareque ad immensam illam Dei majestatem, quam adorare facile est, comprehendere impossibile.

305 Ita ut in Divina illa sapientia altiora semper existimes latere, quam quo possit vis ulla humani ingenii pertingere.

306 Dicta sapientum hominum etiam non intellecta veneramur, ¿quanto id æquius est Divinis deferri?

307 Quoties nominari audis *Jesum Christum*, toties veniat tibi in mentem caritas illius in nos inæstimabilis, et recordatio illius sit tibi dulcedinis et venerationis plena.

308 Quum titulum aliquem, aut epitheton *Christi* audis, extolle te in ejus contemplationem, et ora ut talem se præbeat erga te; velut quum clementem, mitem, placidum, ut talem illum experiare; quum omnipotentem, ut id ostendat in te, ex pessimo reddens optimum, ex hoste filium, ex nihilo aliquid: quum terribilem, ut eos, a quibus terrere, terreat.

309 Quum Dominum vocas, fac illi servias; quum *Patrem*, fac ames, et te dignum præstes *tanto Patre* filium.

310 Nulla res est in toto universo, cujus si vel originem, vel naturam, viresque intuearis, non suppeditet quo auctorem omnium Deum admireris, et adores.

311 Nihil exordire non invocato prius Numine; Deus enim, in cujus manu sunt progressus et exitus, optatos eos tribuit iis actibus quos ab ipso auspicamur.

312 Quicquid aggressurus es finem spectato, et ubi tu rectum consilium præstiteris, de eventu ne sis sollicitus.

313 Illi fide, in cujus potestate sunt rerum eventus.

314 Quandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoris, preces da operam ut intelligas, et cave ne ore tantum permurmures, sed quum oras, totus et animo, et mente, et cogitatione, et vultu in hoc sis, ut omnia secum consentiant, et excellentissimæ respondeant actioni.

315 Execrantur illum cœlestia oracula qui opus Dei facit negligenter.

316 Si in citharœdo turpe est aliud ipsum ore, aliud fides ejus sonare; multo est turpius, quum Deo psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

317 Vota nostra sobria sint, et digna quæ a Deo petantur, et quæ Deus det, ne stulta illum aut inepta offendant.

CAPUT XI.

DE SUMTIONE CIBI.

318 SUmturus cibum, recordare omnipotentiæ Dei, qui cuncta ex nihilo condidit; sapientiæ ac benignitatis, qui ea sustinet; mansuetudinis et clementiæ, qui etiam inimicos suos pascit.

319 Expende quantum illud sit tot vitis universitatis mundi hujus tam variam quotidie alimoniam sufficere, conservare omnia, et vindicare ab interitu quo nutu suo tendunt.

320 Nullam neque hominum, neque angelorum sapientiam non modo hoc non posse præstare, sed nec intelligere.

321 Itaque quum scias te de illius bonis vivere, cogita quam execrandæ sit ingratitudinis, quam perditæ temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere, cujus beneficio et voluntate consistis, non amplius, si nolit, futurus.

322 Ad mensam sint casta omnia, pura, cordata, sancta, qualis ille est, inter cujus munera tunc versaris.

323 Omnis detractio, virulentia, atrocitas, crudelitas a mensa arceatur, in qua tu sentis incredibilem Dei erga te suavitatem et clementiam.

324 Quo intolerabilius est eum te locum asperitate aut odio in fratrem contaminare, ubi tu benignam et largam in te lenitatem percipis.

325 Quod nec Gentiles ignorarunt, qui eam ob causam mensæ sacra nominabant læta et festa, ad quam triste aliquid aut atrox dici fierive, nefas erat.

326 Quumque sis omnipotenti, sapientissimo, largissimo Deo curæ, tu immodicam sustentandi tui curam depone, tamquam boni-

nitati illius diffisus, unicam curam suscipe quomodo illi placeas, ac satisfacias.

327 Stultissimum est alimenti causa pravum ullum facinus admittere, et illum offendere a quo solo alimenta veniunt, ut eum tibi iratum facias a quo aliquid contendis impetrare.

328 Præsertim quum non alimentis conservetur vita, sed voluntate Dei, quemadmodum Divinis oraculis declaratum est, *Non pane hominem vivere, sed verbo Dei.*

329 Habemus syngrapham *Jesu* universorum in cœlo et in terra Domini: *Nihil eorum quæ opus sunt homini, defuturum iis qui quæsierint regnum Dei, et justitiam ejus.*

330 Tum ex Dei donis, quæ ipse arbitrio suo et largitur, et tollit, quum is in te tam benignus fuerit, tu in fratrem tuum illius filium, malignus ne esto, reputans vos ex æquo esse Dei filios; nec Deum plus tibi debere quam illi: tantum voluisse te dispensatorem et administratorem esse, et a quo secundum Deum frater tuus peteret.

331 Nihil verius datur Christo quam quod egenis datur.

332 Sumto cibo, considera cujus sit sapientiæ, cujus potentiæ vitam nostram iis rebus quas edisti sustentare, et ruentem fulcire.

333 Itaque habeas Deo gratiam, non quantam haberes illi qui tibi pecunia sua cibarium emisset, sed quanta habenda est ei, qui te, et cibum ipsum condidit, et cibum propter te, et cibo te sustentat, non vi illius sed sua.

CAPUT XII.

DE SOMNO.

334 QUum petis quietem et quum surgis, reminiscere beneficiorum Dei, non in te solum sed in totum genus hominum, atque adeo mundum universum.

335 Cogita quantæ sint hostis hominum per licentiam quietis insidiæ, dum homo velut cadaver jacet impos sui: quo instantius orandus est *Christus* ut nos tam imbecillos tueatur.

336 Nec ullo nostro peccato irritandus est custos et præses noster.

337 Et frons et pectus crucis nota exterius muniendum, interius vero piis precibus, et sanctis meditationibus.

338 Ubi jam lectum ingrederis, fac cogites unumquemque diem imaginem esse humanæ vitæ, cui succedit nox, et somnus simulacrum mortis expressissimum.

339 Itaque rogandus est *Christus*, ut in vita et in morte adsit semper propitius ac favens, illamque ipsam noctem præbeat nobis placidam atque tranquillam.

340 Nève insomniis terreamur, semperque, etiam sopitis, *ille* menti nostræ obversetur; illius solatiis recreati ad matutinum tempus sospites et læti perveniamus cum pia memoria sanctissimæ mortis ipsius precii, quo genus humanum redemptum est.

341 Cubile servabis castum mundumque, ne jus ullum in id inveniat auctor ille et caput totius spurcitiei.

342 Signo crucis, et sacra aqua, et invocatione Divini numinis, sed in primis sanctis cogitationibus, et statuto custodiendæ pietatis, omnem ab eo diaboli ditionem pelles.

343 De mane surgens commenda te *Christo*, cui et age gratias, quod illius ope ac præsidio non es illa ipsa nocte oppressus dolis et invidia immanis hostis.

344 Et quemadmodum de nocte dormiisti, postea evigilasti, sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda vitæ a *Christo* quum apparebit judex vivorum et mortuorum.

345 Quem supplex obtestare ut sequentem diem velit ac faciat te in obsequio suo totum consumere, ne quem lædas, neu a quo lædatur tua probitas; sed septus undique ac munitus pietate Christiana, sospes et integer tot evadas retia, tot pedicas, quot per vias omnes et aditus humanos sparsit, tetenditque insidiosus diabolus.

346 Sanctissimam Dei Parentem *Mariam*, et reliquos divos divasque, venerare tamquam caros amicos *Christi Dei* viventis in sæcula sæculorum.

347 De illorum vita et actis crebro vel legito, vel audito attentissimus, et libentissime, pio et venerabundo animo, ut tibi ad imitationem prosint.

De

348 De illis sic senti, sic loquere, tamquam non jam hominibus, sed supergressis naturam omnem et fastigium humanum, divinitati proximis et conjunctis.

349 Inter homines vero quum tanta sit cognatio similitudinis in corpore et toto animo, simusque omnes pari jure in mundum invecti, ad societatem et vitæ communionem facti, ad hanc conservandam lex est a Natura proclamata: *Ne quis alteri fecerit, quod sibi factum nolit.*

350 Hoc unum instaurator ille Naturæ collapsæ suum esse dogma professus est, sed explicatum et illustratum.

351 Nam ut humanam naturam ad similitudinem Dei, quoad ejus fieri potest, sublatam, suis omnibus numeris consummaret, non modo mutuum amorem imperavit, sed eorum quoque qui nos oderunt.

352 Ut simus cœlestis patris similes, qui suos quoque inimicos amat, quod declarat beneficiis illos prosequendo, et quidem maximis; neminem odit.

353 Quid quod hominum ingenium ita fert, ut benevolos in se illos velint, etiam in quos ipsi sunt malevoli.

CAPUT XIII.

DE CARITATE.

354 SApientissimus vitæ nostræ magister nempe et auctor unicum dedit ad vivendum documentum; ut amemus; gnarus, vitam nostram, si amemus, fore felicissimam, nec aliis opus esse legibus.

355 Nihil felicius quàm amare: idcirco Deus et Angeli felicissimi, qui amant omnia.

356 Infelicius nihil quàm odisse; quo affectu miserrimi sunt diaboli.

357 Verus amor omnia exæquat; ubi is viget, nemo alteri quærit præferri, nemo a dilecto rapere, quum apud se esse censeat, quæ apud illum.

358 Non litem movere fratri caro, ac neque se umquam injuria putat ab illo affici; ideo nec ultionem meditatur: nemo in-

vi-

videt ei quem amat, nec quisquam malis amici gaudet, nec bonis indolet: contra potius *gaudet cum gaudentibus* (juxta dictum Apostoli) *flet cum flentibus*; idque non ficte aut simulate, sed ex animo; quoniam amor omnia reddit communia, suaque esse existimat, quæ sunt ejus quem amat.

359 Documenti hujus solidum et verissimum exemplar, oculis nostris ad imitationem propositum, sunt *Christi* actiones.

360 Venit enim Dei filius, non ut verbis modo, sed exemplo vitæ suæ rectam nos doceret vivendi rationem, ut illustratis sole illo suo animis nostris, aperte qualis quæque res esset cerneremus.

361 ¡Primum, exercitus per omne genus patientiæ quantam ostendit animi moderationem in quanta potentia! impetitus tot, tam gravibus contumeliis, nemini remaledixit; tantum docuit viam Dei, adversam detestatus: vinciri se est passus, qui mundum evertere vel unico poterat nutu.

362 Calumniam quàm patienter tulit!

363 Denique sic gessit sese, ut nemo in eo potentiam noverit nisi ad juvandum.

364 *Rex et Dominus* universorum per quem fecit *Pater* hunc mundum, ¡quàm æque tulit æquari se infimis mortalium, et propriam sibi domum, et caris suis ministris deesse alimenta!

365 Conditor rectorque Naturæ, malorum naturæ nostræ expers non fuit, esuriit, sitiit, delassatus fuit: et mœstus; quorsum hæc, nisi ad exemplum nostrum?

366 Tam amicus pacis, concordiæ, caritatis, ut nullum vitium magis sit insectatus quàm superbiam; et quæ illinc oriuntur, arrogantiam, ambitionem, contentionem, dissidia, simultates.

367 Ostendens nihil esse, cur quis vel ab externis sibi quidquam adroget vel a corporeis, quum sint adventitia et aliena.

368 Nec ab internis et virtute, quum a Deo dentur: et ob hoc ipsum tolluntur quod quis ejusmodi muneribus sese efferat, nec fontem atque originem agnoscat, despiciens eos ad quorum utilitatem hæc a Deo accepit.

369 Et ad superbiam infringendam, ne quis tamquam rite subditus religioni, et servator legis Evangelicæ sibi placeat, audi-

divimus ab eo: *Quum omnia, quæ vobis præcepi, feceritis*; *dicite*: *Servi inutiles sumus.*

370 Quanta stultitia est eorum, qui se exacte Christianos gloriantur, et aliis in observanda lege sese anteponunt?

371 Quum nemo de se norit, an virtutem habeat, utrum odio Dei, an gratia dignus sit; an ille, cui sese præfert, virtute sit locupletior, an ascitus et destinatus in consortium cœlestium, quum sit ipse miseriis sempiternis assignatus.

372 Idcirco judicium omne de homine, homini ademit cæco et ignaro recessuum cordis, ad se transtulit scrutatorem pectoris humani.

373 Exteriora enim, quæ sola oculus hominis intuetur, infirma et incerta sunt interiorum signa.

374 Non ergo uno congressu, quòd nonnulli faciunt temerarii, non centum, non longissimo convictu, de ingenio, vitiis, aut virtutibus cujusquam, sententiam in totum feras.

375 Longissimæ et obscurissimæ sunt in humano corde latebræ, ¿quæ humana acies in tantam caliginem penetrabit?

376 Et quum *Christus* universum genus hominum morte sua sibi adseruerit, tantoque precio de servitute diaboli redemerit, nemo ausit contemnere, nemo ludere animam quam ita Dominus amavit, ut nihil cunctatus sit vitam suam pro illa effundere.

377 Pro universis crucifixus est Dominus, et pro singulis.

378 Nec speres fore Christo rem gratam, si tu oderis quem ille amat.

379 Hanc vult sibi referri gratiam, ut quemadmodum ipse Dominus nos servos nequam, et pessime meritos amavit, ita et nos conservos nostros.

380 Hic inchoavit mutuam hominum inter se et cum Deo caritatem, hoc est, humanæ beatitudinis jecit fundamenta, in cœlo absolvit.

381 Hæc est vita et gratia Christi, sapientia humanum ingenium excedens, æquitate intelligentibus congruens, bonitate cunctos alliciens.

382 Nemo se Christianum esse putet, nemo se Deo esse carum confidat, si quem odit; quum Christus nobis homines omnes commendarit.

Ho-

383 Hominem tibi à Deo commendatum, si dignus est, ama quia dignus est quem ames: sin indignus, ama quia Deus dignus cui pareas.

384 Non jejunia, non erogatæ opes omnes in pauperum usum, hominem Deo gratiosum reddunt: sola hoc præstat hominum caritas: hoc nos Apostolus ejus docuit.

385 Nullum videbis hominem, quem non existimes debere tibi esse fratris germani loco, ut ejus rebus prosperis gaudeas, adversis doleas, juvesque quantum erit opis tuæ.

386 Non natio affectum hunc minuat, non civitas, non cognatio, non professio, non conditio, non ingenium: unus est omnium pater Deus, quem tu edoctus a Christo quotidie patrem compellas, qui te filium agnoscet, si tu ejus filios fratres agnoveris.

387 Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium.

388 Pacem, et concordiam, et amorem invexit Deus.

389 Partes, et factiones, et privatas utilitates cum alienis damnis, sicut etiam dissidia, rixas, contentiones, bella, diabolus, peritissimus horum artifex.

390 Deus, quia vult nos salvos, spargit benevolentiam: diabolus, quia perditos, inimicitias.

391 Concordia etiam pusilla coalescunt: discordia, maxima dissipantur.

392 Qui pacem, qui concordiam student inter homines vel conciliare vel conservare sartam tectam, ii filii Dei vocabuntur, teste *Christo*, hi vere sunt pacifici de quibus ipse loquitur; qui vero discordias serere, caritatem hominum inter se rescindere, ii filii diaboli.

393 Summum inimicitiarum, quo belluarum feritatem omnium homo superat, bellum: scito rem esse non hominum, sed quod verbum ipsum loquitur, belluarum.

394 Quam detestatur natura, quæ hominem inermem genuit ad mansuetudinem et communionem vitæ, aversatur Deus, qui penitus vult et imperat mutuam inter homines omnes caritatem.

395 Nec quisquam homo homini vel bellum facere, vel nocere potest sine scelere.

Si

396 Si quem arbitreris iniquo aut infenso esse in te animo, nullum laborem aut operam refugias, dum illum quacumque ratione lenias, et places tibi.

397 Neque in ea re vel precibus, vel obsequio, vel fortunis parcas, modo tibi gratiam omnium pares, celerem viam ad gratiam Dei.

398 Neminem irriseris, cogitans quod uni alicui accidit posse cuivis accidere: age potius Deo gratias, quòd te extra eam sortem posuerit, et ora, tum tibi nequid tale accidat, tum illi sic afflicto saltem remedium aliquod, vel æquum animum, et ipse subveni, si potes.

399 Crudelis animi est alienis malis gaudere, et non miserari communem naturam.

400 Esto hominibus misericors, et consequêre a Deo misericordiam.

401 Fortuna et casus humani sunt omnibus communes, unicuique minantur, unicuique impendent.

402 Hoc amore hominibus debito, nihil existimato posse te facere aptius et congruentius, quàm si maximum bonum, hoc est, virtutem, eis procuraveris; si studueris, ut omnes si potes, utique quàm plurimos reddas bonos.

403 Nihil magis amori dissonum, nihil damnosius aut deterius feceris, quàm si quos malos reddideris vel suasibus, vel exemplo, vel ullo alio incitamento.

404 Primum omnium et felicissimum est, si ames etiam odiosus: sed jucundissimum quoque est, et maxime tutum, amari.

405 Nullæ certiores opes, quàm certæ amicitiæ.

406 Nullum potentius satellitium, quàm amici fideles.

407 Solem e mundo tollit, qui e vita amicitiam.

408 Sed vera et solida et duratura amicitia tantummodo est inter bonos, inter quos facile amor coalescit.

409 Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.

410 Ut ameris, certissima est et brevissima per amorem via; nihil enim sic amorem elicit ut amor.

411 Conciliatur quoque virtute, quæ natura sua amabilis est, ut vel ignotissimos ad se amandum invitet et trahat.

412 Tum etiam virtutis signis mansuetudine, modestia, pudore, humanitate, comitate, affabilitate; si nihil vel dixeris, vel feceris, quod arrogantiam, aut insolentiam, aut petulantiam, aut obscenitatem resipiat: omnia sint dulcia, mitia, lenia et pura.

413 Amicitiæ venenum si ames tamquam osurus, et amicum sic habeas ut putes posse inimicum fieri.

414 Salutare illud: *Odi tamquam amaturus.*

415 In amicitia nulla sit inimicitiæ cogitatio: quem habes amicum, ne credas futurum umquam inimicum; alioqui infirma et fragilis erit amicitia.

416 In qua decet inesse fidem, constantiam, simplicitatem, ut de amico nec ipse suspiceris, nec suspicantibus aut deferentibus aurem accommodes.

417 Vita non est vita suspicacibus aut timidis, sed assidua mors.

418 Ne in alienas vitas inquiras, neve curiosius scruteris quid quisque agat: multæ hinc suboriuntur simultates.

419 Et qui hæc faciunt, suorum solent esse incuriosi, alienorum solliciti. Stultum est alios tam probe nosse, se ipsum ignorare.

420 Nec amare tantum homines debes, sed etiam quos æquum est, revereri, ac inter eos honeste versari, et cum decore, in quo est officium vitæ communis.

421 Ne putes nihil interesse, ubi, cum quibus, apud quos agas.

CAPUT XIV.

DE CONVICTU HOMINUM.

422 Sit tibi inter homines modestia et moderatio in universo corpore, et præcipue in oculis, ac ore toto, a quo absit species omnis fastidii et contemptus; absit gesticulatio et lascivia: serenitas illud et quietudo exornent, argumentum animi ad eum modum affecti.

423 Solum humanæ faciei tegumentum decorum in primis et favorabile modestia et verecundia; qua nudis, nihil dici potest fœdius aut detestabilius.

424 Desperanda illius salus, quem desiit pudere malefacere.

425 Nec vultus sit in atrocitatem, aut severitatem nimiam compositus, unde colligitur sævus et impotens animus.

426 Risus ne sit frequens, aut immoderatus, aut cum clamore et concussione corporis, ne in cachinnum aut irrisum exeat.

427 Nullam esse rem talem existima, quæ te tantopere queat exhilarare, ut ingentem attollere risum cogat.

428 Sed risus potest esse causa aliqua, irrisus nulla.

429 Irridere bona nefas, mala crudelitas, media stultitia, probos impium, improbos sævum, notos immanitas, ignotos dementia, denique hominem, inhumanum.

430 Oculi sint quieti, manus ne ludibundæ, ne gesticulatrices.

431 Nec assuesce quemquam cædere: ex talitro venitur ad pugnum, hinc ad fustem et ferrum.

432 Solos bonos vero ac germano honore prosequere, qui ex veneratione animi nascitur.

433 Magistratibus exteriorem honorem exhibe, illisque audiens esto etiamsi gravia et molesta imperent; hoc enim vult Deus propter publicam quietem.

434 Divitibus cede, ne irritati et tibi et aliis bonis noceant.

435 Seni assurge reveritus ætatem, et rerum usum, prudentiamque, quæ in illa esse solet. Honorationi alienæ non modo paria facito, verum etiam juxta præceptum Apostoli, præverte. Salutantem non resalutare, nec feliciter precanti feliciter reprecari, si id factum cognoscas, aut extremæ barbariei est, aut incuriæ socordissimæ. Quàm exiguæ res sunt et nullius impendii salutatio, affabilitas, comitas, honor? at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitæ, dissolvunt prætermissæ? Quanta est bonarum rerum ignorantia nolle multorum benevolentiam tantulo redimere? Generosissime ut quisque est et optime educatus, ita se maxime mitem omnibus et comem præbet: ut fastidium et ferocia ex vilitate sunt, aut hebetudine, aut imperitia; unde in bonas artes eruditio Humanitas nuncupata est. Ipse si non salutare, aut resalutare, negligentiæ magis ascribito, vel inconsiderantiæ, quàm contemptui. Parum blande aut honorifice appellatus, seu moribus, seu naturæ attribue, non malitiæ, vel odio. Hisce interpreta-

tationibus ac similibus, sanctam tibi ac jucundissimam parabis vitam; quippe omnes diliges, nec a quoquam te offensum arbitrabere. Vetus dictum: *Ut verax, ne suspicax*: hoc verbis novum, sententia priscum: *Ut quietus, ne suspicax.*

436 Neminem contemnere videaris, non vultu, non verbo, non facto aliquo.

437 Si inferior es, quis superiorum ferat se contemni abs te? sin major, irritas, et avertis minorem contemptu.

438 Intolerabilis est contemptus, propterea quod nemo videtur sibi tam vilis, ut contemptum mereatur.

439 Multi laborant ut a contemptu se vindicent, sed plures ut de contemptu.

440 Nec quisquam tantus est, quem non aliquando fortuna indigere minimis cogat.

441 Præter hæc omnia, nullus est contemptibilis quem Deus filium dignatur, nisi in hoc Dei judicium contemnas.

442 Et sæpe quem homines contemptu dignum putant, si perscrutarentur, veneratione et admiratione dignissimum comperirent.

CAPUT XV.

DE VERBIS.

443 Linguam dedit Deus hominibus ut sit instrumentum societatis, et communionis, ad quam natura hominem homini conciliat.

444 Hæc magnorum et bonorum et malorum est causa, prout utaris: scite Jacobus Apostolus assimilavit eam clavo navis: freni sunt illi injiciendi, et cohibenda ne vel aliis noceat, vel sibi ipsi.

445 Nullum est peccati ut facilius instrumentum, ita nec crebrius.

446 Nemini convicium feceris, neminem execreris, nemini noceto, non modo in re, sed nec fama, atque existimatione.

447 In neminem petulantius aut procacius debaccheris, vel effusius ac immoderatius invehare, etiam lacessitus et læsus: magis enim te et apud Deum, et apud homines cordatos lædes, quàm illum ipsum cui maledicis.

Con-

448 Convicium convicio regerere est lutum luto purgare.

449 Minitari muliercularum est, nec probarum.

450 Nec sis tam tener, ut verbulis transverbereris.

451 Nec facundiam exerceas caninam, nec disserti laudem affectes in alienam contumeliam, in quam infantem et mutum esse satius est.

452 Alios reprehendere ne sis solicitus: hoc cura, ne in te sit quod alii possint merito taxare.

453 Verum reprehendens ne utare acerbitate, aut atrocitate ulla verborum: fac ut objurgationis amarori aliquid admisceatur dulce, quod plagam leniat si quam forte facis.

454 Modo ne fructus pereat reprehensionis, dum rem studes nimium mitigare, neu in assentationem prolabaris.

455 Assentatio deforme vitium: turpe illi qui dicit: perniciosum eì qui audit.

456 Nec putes rem ullam esse tantam, ut a recto et vero propter eam sustineas deflectere: non hoc abs te opes, non ullæ necessitudines, non preces, non minæ, non mortis metus, et certum periculum extorqueant.

457 Sic tibi et auctoritatem parabis et fidem, ut oracula putentur esse quæcumque dicas; aliter despicieris, et indignissimus judicaberis qui vel audiare.

458 Sermone utitor modesto, civili, comi, non aspero, non rusticano, vel imperito, sed nec accurato aut affectato nimis: ne, quum loquendum sit ut intelligamur, sermoni tuo interprete sit opus.

459 Nec contumeliosum usurpes sermonem, aut reprehensorium, aut rigidum; sed neque blandum, aut fractum, aut adulatorium.

460 Est quiddam mediocre, quod nec suam dignitatem abjicit, nec alienam tollit.

461 Lascivia et spurcities a sermone extirpanda, ut a cibis venenum.

462 Nec celeritatem in loquendo nimiam suscipias, ne cogitationem prævertant verba; nec respondeas, antequam qua de re agatur, plene intellexeris, et quid ille cui respondes, dixerit, senseritque.

Ra-

463 Rarissimum debet esse illud Ciceronis: *Quidquid in buccam*: et merito soli Attico dictum, ac nescio an usquam admittendum, quum inter amicos cavendum sit, ne quid dicamus quod amicitiam dirimat aut lædat.

464 Quàm turpe illud et periculosum: *Lingua quo vadis?*

465 *Christus Dominus noster*, sciens ex loquacitate plurima oriri mala, et illa in primis, quæ pugnant cum capite legis suæ, rixas, discordias, simultates:

466 Ad circumspectionem loquendi interminatus est: De omni verbo otioso, quod homines fuerint loquuti, reddituros eos rationem in disquisitione illa mundi.

467 Idcirco Psalmista inquit: *Pone custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.*

468 Ne sis in sermone immodicus, ac ne multus quidem, neve audiri velis solus: est enim in loquendo vicissitudo, etiamsi cum imperitissimis agas, aut vilissimis; sed nec adeo rarus aut tardus, ut ipse te auscultare existimeris, idque facere, quod singula tua verba singulæ tibi rosæ videantur.

469 Inter prudentes præstat audire, quàm loqui; sed est locus ubi tacere tam est vitium, quàm loqui, quando non oportet. Nulla voluptas est tanta, quæ comparari queat colloquio prudentis hominis ac disserti.

470 Ne sis nimius percontator: est enim molestum et odiosum. Noris et illud Horatii: (a) *Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.*

471 In disserendo ne sis contentiosus, aut pertinax: si verum audias, hoc protinus silentio reverere, illique tamquam divinæ rei adsurgito:

472 Sin non audias, nihilominus concede hoc vel amico, vel modestiæ tuæ, præsertim ubi nullum neque probi mores detrimentum accipiunt, neque pietas.

473 Supervacanea est contentio, si non adsit proficiendi spes.

474 Arrogantiam, aut jactantiam, aut superbam et fastidiosam auctoritatem non ferunt homines, ne in maximis quidem viris et omnem laudem meritis.

Ne

(a) Horat. Epist. lib. 1. Epist. 18. v. 69.

475 Ne verbis quod scis ostentes, sed rebus te ostende scire.

476 Nec quicquid est jucundum tibi dicenti, idem credideris esse aliis audientibus.

477 Cave ne quid facias, quod securus non sis, nisi celetur: sed si fecisse contingat, nemini detexeris. Quod taceri vis, prior ipse taceas: sin detecturus es, vide etiam atque etiam cui. Arcanum quid aut celandum, maxime amico quum commitis, cave ne jocum admisceas, ne ille jocum ut referat, occultum retegat.

478 Tibi vero arcanum creditum accuratius et fidelius custodi, quàm depositam pecuniam.

479 Nihil erit in humana vita tutum, si tollatur secretorum fides.

480 Si quid promiseris, præsta, etiamsi res sit ardua in primis, et difficilis; saltem ut obligatam alteri tuam fidem solvas.

481 Si quid tibi sit promissum, ne exigas; acrior semper in te judex, quàm in alios.

482 Existimare decet te homines habere sensum, rationem, mentem, judicium; ne speres te illis posse persuadere malefacta esse benefacta, aut contra; nec falli posse rebus simulatis, tectis, fucatis, adumbratis, quæ tandem produnt se, et fiunt tanto fœdiores ac invisiores, quanto prius occultiores fuerant.

483 Infestis enim animis accipimus ea, quibus sumus decepti.

484 Ideo consultius est omnia esse aperta, nuda, simplicia.

485 Nam etsi aliquando veritas initio odiosa sit, deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius.

486 Laborat aliquando veritas, numquam opprimitur.

487 Nec mendacii utilitas solida est, ac diuturna: nec veritatis damnum diu nocet.

488 A mendacio tamquam corruptela quadam abhorreto: nihil est enim humanæ conditioni abjectius; ut quod illam procul a Deo separat, diabolo similem, ac mancipium facit.

489 Deinde seu tarde seu celeriter mendacium deprehenditur, vertiturque mentienti in turpem ignominiam.

490 Quid despectius, aut vilius mendace?

491 Si mendacem te norint, nemo credet tibi, etiamsi affirmes verissima.

Con-

492 Contra, si veracem, majorem habebit fidem nutus tuus, quàm aliorum sanctissimum jusjurandum.

493 Si non vis loqui repugnantia, si vis inesse verbis tuis constantiam, nihil opus est memoria, aut arte alia, quàm ut dicas semper quod credis verum esse.

494 Verum vero consentiens; falsum nec vero, nec falso.

495 Sed si vis in opinione tua verum inesse, nec facile credas nisi comperta, vel magnam veri faciem præ se ferentia.

496 Neu sis suspicax: unde illud sapienter dictum: *Si vis esse verax, suspicax non eris.*

497 Miserum illum qui id egit, unde extricare se non potest nisi per mendacium.

CAPUT XVI.

DE JUREJURANDO.

498 JUrare ne consuescas; Sapiens enim ait: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non recedet a domo ejus plaga.*

499 Et Dominus in Evangelio suo vetat nos penitus jurare; tantum affirmare, *ita est*, aut negare, *non est.*

500 Magna est Dei reverentia non illum passim, aut facile testem adducere: non hoc debet nisi ab invito et coacto fieri.

501 Qui facile in seriis jurat, in jocis jurabit: qui in jocis, et in mendacio.

502 Si qui tibi credituri sunt, æque injurato credent ut jurato: si non credituri, magis etiam jurejurando avertentur.

CAPUT XVII.

QUOMODO HOMINIBUS UTENDUM.

503 INter homines est aliquod faciendum discrimen: sunt enim ex eis alii domestici, alii noti tantum, alii ignoti.

504 Domesticos voco consanguineos, affines, et quibus cum in eadem domo et familia degis.

505 Omnes sunt diligendi; etiam in ignotos talem te ostendes, ut sentiant te in universum toti generi humano amicum esse, omnibusque bene cupere.

Non

506 Non tamen te eumdem præstabis omnibus, ut lineam albam in albo saxo: alios adhibebis consiliis, aliis parebis et obsequere, alios revereberis ac coles, aliis gratiam referes si quod ab eis tuleris beneficium, et iis potissimum, quorum opera usus es utili tibi aut diligenti aut fideli.

507 In quo animus pro opere computandus est, non in multo pejore loco videatur esse qui conatus est, qui voluit prodesse, quàm qui profuit.

508 Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo et compensando sollicitus, quàm si pecunias mutuas.

509 Nec putes minus esse operam dedisse, dumtaxat honestam, et a sincero profectam animo, quàm pecuniam; quin hoc majus, quo cuique corpus quàm externa carius debet esse. Ne expectes dum necessitates ad te suas familiaris deferat; tu illas odorare, et eis ultro subvenias: honestis precibus occurre, et antequam oreris exorare.

510 Parentes non amabis solum, sed secundum Deum unice venerabere: illorum jussis tamquam divinis imperiis obtemperabis.

511 Persuasus id quod res habet, illos vicem tibi referre in terris Dei, nec te vel cariorem cuiquam esse, vel majori curæ.

512 His proximi sunt præceptores, pædonomi, tutores, denique quibus commendata est morum tuorum cura, quîs nihil est in homine preciosius, aut præstabilius.

513 Istos velut alteros parentes ama et reverere; his modeste, immo cum alacritate quadam pare, reputans quæcumque præcipiunt non ad sua illos referre commoda, sed ad tua.

514 Quod quum ita sit, pessimam tu illis gratiam redderes, si ubi ipse commodis tuis intentissimi sunt, tu eis odium aut contumaciam pro tali beneficio reponeres.

515 Crede te illi esse carum, a quo amicè reprehenderis.

516 Nec unquam reprehensionem obesse, vel inimici; nam si vera objicit, ostendit quod emendemus; sin falsa, quod vitemus: ita semper vel meliores reddit, vel cautiores.

517 Quos familiares tibi facturus es, explora prius quibus sint moribus, et quemadmodum se cum aliis amicis gesserint, ne te postea necessitudinis pœniteat.

518 Ne familiaris illi fias, cujus familiaritatem bonos vides aversari. Eos etiam vita, qui non te amabunt, sed tua; quales sunt parasiti, et quorum consuetudine, ac tamquam affrictu vel pejor fies, vel labem aut periculum contrahes. Illos quoque, qui amicis felicioribus invident. Tum qui jocorum studiosi, nihil pensi habent in vitam et maxime arcana amicorum ludere, ac dicta dicere, aut innata loquacitate reticenda cum primis effutiunt; sed illos potissimum qui ob levem rixulam gravissimas inimicitias cum carissimis suscipiunt, acriusque in eos ulciscuntur quos aliquando amarunt, quàm quos semper oderunt, barbarica quadam persuasione minus ferendam esse injuriam quæ fit ab amico, quàm quæ ab inimico; in quo se ostendunt numquam amasse, alioqui non putarent se tam cito læsos: ejusmodi præstat inimicos, aut certe ignotos habere, quàm amicos.

519 Esto in admittendis ad familiaritatem cunctatior, in retinendis semel admissis constantior.

520 Familiares elige non placituros tantum, sed et profuturos: non eos qui omnia loquentur ad gratiam, sed qui ad commodum: nec qui suaviter assentabuntur, sed qui vere admonebunt.

521 Si consueveris assentatoribus delectari, numquam verum audies.

522 Ex bestiis, exitiabiles maxime, inter feras invidia, inter mansuetas adulatio.

523 Quàm amandæ sapientia et virtus, tam execranda assentatio, quæ impedit ne illuc perveniamus, dum suadet jam pervenisse: tam diligenda recta admonitio, quæ illuc provehit, dum quantum supersit, et quemadmodum conficiendum sit, docet.

524 Si reprehendi fers ægre, reprehendenda ne feceris.

525 Miserum illum, qui admonitorem, quum eget, non habet.

526 Malorum hominum consuetudinem non secus atque ictos peste devita; utrinque enim metuendum contagium:

527 Nisi talis sis, qui confidas te posse illos meliores reddere:

528 Sed huic fiduciæ non est nimis fidendum, præsertim quo-

quoniam natura nostra in malum fertur prona; ad virtutem autem acclivis est atque ardua semita.

529 Explora et ipse qui sis, quo loco, qua conditione: nec putes rem ullam esse tantam, ob quam tibi plus quàm ceteris liceat.

530 Quo tibi plus concedente more licet, hoc minus retrahente moderatione libeat.

531 In minores præbe te comem, in majores reverentem, in pares facilem ac tractabilem.

532 Sic ut vitio sis semper durus, rigidus, inexorabilis.

533 A potentioribus contemni te ne inique accipias; potiusque id crede fortunæ vitio fieri, quàm hominis.

534 Si quid a minore proficiscatur quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam esse, sed libertatem.

535 Te etiam nimis esse delicatum, cui leves titillationes grandes videantur esse plagæ.

536 Nec oportet existimes te solum esse hominem, reliquos pecudes quibus nec mutire liceat; homo es: vive æquo cum reliquis hominibus jure.

537 Immo vero si sapientior es, si melior, hoc indulge, hoc concede magis de jure tuo ceteris tamquam imperitioribus, aut imbecillioribus; tibi vero minus velis ignosci, cui tantum robur sapientia et virtus attulere.

538 Si virtute non excellis, cur postulas videri aliis potior? si excellis, cur affectibus moderandis non plus quàm vulgus præstas?

539 Injuriam accipere, quàm facere: decipi, quàm decipere, satius et præstantius: quod nec humana ignoravit sapientia, ut Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca.

540 Memineris humanæ imbecillitatis esse falli, errare; ne te graviter aliorum delicta offendant, præsertim adversum te.

541 Ignoscere, generosi pectoris: iram retinere, atrocis, sævi, degeneris, vilis: quod et natura in mutis animantibus ostendit.

542 Quumque Deus nihil vel crebrius faciat, vel libentius quàm ignoscere, quis est tam demens, qui negare possit illud esse pulcherrimum atque excellentissimum, quo tam prope ad naturam illam accedimus summi et præpotentis Dei?

543 Eris in homines talis, qualem cupis *Christum* erga te.

544 Et est profecto æquum, ut eam tu des hominibus veniam, qua in eisdem delictis, aut aliis non paulo levioribus ipse eges.

545 Nulla oratio præstantior, aut efficacior apud Deum illa, quam edocti sumus ab ejus filio *Christo Domino*: quæ idcirco *Dominica* nominatur.

546 At illam non potes vere ac puro animo dicere, nisi toto pectore homini condonaris quicquid ipse condonari tibi a Deo petis.

547 Hac lege remittitur nobis ingens debitum, si nos exiguum remittamus.

548 Quicquid unquam homo in hominem peccavit, minutissima pars est ejus, quod quivis hominum singulis momentis in Deum peccat; nimirum tantum, quanto major et excelsior est homine Deus.

549 Si cui es iratus, fac juxta monitum Apostoli: *Ne sol occidat super iram tuam.*

550 Concessurus cubitum, omnes ex animo rixas, iras, offensiones, cupiditates, sollicitudines depone, ut composito et tranquillo animo placidissimæ te quieti tradas.

551 Cui semel ignoveris, cura ut ille sentiat bona fide id esse actum, ut nec ipse injuriarum memineris, et experiatur te amicum, si qua in re juvare aut commodare illi potes.

552 Affectus injuria, cave ne ultionem tuis manibus de quoquam sumas, nec eam ulli mortalium mandes; non est tibi jus in servum alienum, immo in conservum tuum: Domino tuo injuriam facis, si non illi cognitionem relinquis de conservo tuo.

553 Atqui Deus est omnium Dominus, universi sumus ejus servi; sit satis, te questum: ac ne queraris quidem; oculus Domini singula intuetur, et juxta sacrum verbum ipse novit et facientem injuriam, et patientem.

554 Idcirco sic ipse omnibus edicit: *Mihi vindictam, et ego retribuam.*

555 Nam quum in animo sit injuria non in facto, solus Deus scit qui fuerit animus, et quod ei debetur supplicium.

556 Plerumque putamus eam esse injuriam, quæ non est, ut sunt

sunt nobis affectus nostri nimis cari, qui non sinunt nos singula rite examinare, sed ad judicandum transversos vi sua rapiunt.

CAPUT XVIII.

QUOMODO SE QUISQUE GERET ERGA SE IPSUM.

557 COnvenit te non carum modo esse tibi ipsi, sed etiam venerabilem præbere, ut pudeat te tui ipsius aliquid facturi vel inepte, vel imprudenter, vel impudenter, fœde, flagitiose, scelerate, nefarie, impie.

558 Pluris facias judicium conscientiæ tuæ quàm voces omnes ingentis multitudinis, quæ imperita et stulta est: ignota temere ut probat, sic et damnat.

559 Conscientia est, quæ turbata maximos affert animo cruciatus; tranquilla maximam beatitudinem: cui nullæ opes, nulla possunt regna comparari.

560 Hoc est quod Dominus in Evangelio pollicetur suis, multo plura etiam in hac vita recepturos eos, quàm quæ pro se repudiarint.

561 Fama nec profutura malo, nec læsura bonum.

562 Mortuus quid plus referes de fama, quàm pictura Apellis laudata? aut equus in Olympia victor? nec vivo quidem prodest, si eam ignorat: si novit, nihil adfert aliud, nisi ut sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.

563 Conscientia verum et solidum et duraturum reddit testimonium plurimum in illo Dei judicio valiturum, vitæque hujus magna est magistra. Et quemadmodum scite ille dixit, murus aheneus, quo et tuti agimus inter innumera vitæ pericula, et securi: nec ullus est tantus terror, qui muro hoc septum commoveat; est enim mente defixus Deo, illique fidit uni, ac ei se novit peculiari esse curæ cui scit parere universa.

564 Turpe est aliis notum esse ignotum sibi.

565 An non tibi sufficit te et tibi notum esse, et (quod maximum est) Deo?

566 Qui tamen nominis curam abjiciunt, ut audacius et secu-

cu-

curius peccent, ii dupliciter sunt mali, quòd nec homines reverentur, nec Deum.

567 Et in conscientiam injurii sunt, quam derident ac deludunt, tamquam ob id spreverint famam, ut se conscientiæ suæ liberius vendicarent; quæ hac de causa effusius delinquit quod jam nullo metu coercetur.

568 Hoc est amare se, conari, laborare, magnis precibus a Deo petere ac contendere, ut excellentissima nostri pars ornata atque exculta sit veris germanisque ornamentis, nempe religione.

569 Non is amat se, qui opes, qui honores amat, qui voluptates, denique quæcumque sive extrinsecus sunt, sive in corpore; quum potissima hominis pars sit mens.

570 Nec amat se qui ignoratione sui se ipsum fallit, vel falli se ab aliis patitur: interdum gaudet, quum ea sibi persuadet interesse bona, quæ nulla insunt.

571 Hic non est in homine amor sui, quum ipse sit animus; sed amor corporis inconsultus, cæcus, ferus, perniciosus sibi et aliis.

572 Quem non injuria caput esse ac originem malorum omnium Socrates pronuntiavit; quippe tollit caritatem mutuam, unde in genere humano mala omnia nascuntur.

573 Nimirum qui se hoc modo amat, is nec alium amat, nec ab alio amatur.

574 Superbus mitibus discors, superbis multo etiam magis.

575 *Servator noster* brevi declarat documento, quid sit amare se, quid odisse: *Qui odit* (inquit) *animam suam*, nihil illi in rebus istis fortuitis aut perituris indulgendo, is vere amat eam et salvam cupit; qui vero amat indulgendo, is odit, is vult perditam.

576 Laborem pro æterno et cœlesti præmio quis nisi amens refugiat? quum nec caduca hæc et fragilia citra laborem acquirantur.

577 Hæc est lex eorum quibus pater est Adam, ut laborent, hæc eorum execratio quibus mater Eva, ut affligantur.

578 Quanto præstat anniti ut maxima merces opera nostra quæratur, quàm exigua vilis et evanida, atque hinc sempiternus cruciatus et mœror?

Quid

579 Quid quod facilius et tutius et securius, ac proinde jucundius leviusque est bene agere; quum peccatum timoris et sollicitudinis sit plenum?

580 Peccatum hominis mors, ut jugulare se ipsum videatur quisquis peccat; abducit enim se a Deo vita nostra, et a quiete conscientiæ suæ, qua nihil est beatius.

581 Peccati sordes ablues lacrimis, pœnitentia, et invocatione divinæ clementiæ multum huic confisus.

582 Occasio omnis peccandi, et causa, intentissima cura vitanda est. Sapiens ait: *Qui amat periculum, peribit in eo.*

583 Et imminet semper occasioni suæ diabolus, per quem numquam nobis licet securis agere.

584 Semper est cum eo belligerandum, ut vere Job dixerit: *Militia est vita hominis super terram.*

585 Et quum sit hostis tam potens, robustus, vafer, tam callidus, veteranus, exercitatus, tot vires habeat, tot strategemata; nulla ratione, aut arte, aut vi nostra propria possemus pares illi, nedum superiores, e conflictu excedere; idcirco diffisi nostris copiis ad Deum accurrendum est ad opem implorandam.

586 Hac causa Dominus ac magister noster suis illud subinde præcipit: orent, et religiosis affectibus a Patre omnium petant: *Ne in tentationem ducantur*, hoc est, *in prælium, quo manus cum diabolo conserant.*

587 Et in oratione, quam ipse nos docuit, illa est coronis: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a pravo illo insidiatore.*

588 Sic ergo agamus semper tamquam in acie armati, vigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris non indormientes: et quum tanta sit vitæ fugacitas in tanta incertitudine, ut ne crastinum quidem possit sibi quisquam polliceri, stultum est et periculosissimum, si spes nostras in longum tendamus, differamusque nos adornare futuro itineri, quo singulis momentis vocamur, inscii quando (velimus nolimus) in illud pertrahemur. Quam ob rem paremus nobis thesaurum ad futuram vitam cui aliquid quotidie accrescat, quo instructi et confisi numquam per segnitiem aut socordiam inopinantes opprimamur, aut discedamus mœsti, sed parati abire, et vitæ hujus pleni, agentes præ

no-

nobis magnam et optimam spem vitæ innocenter sancteque transactæ per fidem filii Dei, et pietatem, quam nos edocuit, quo munere nullum potuit homini a Deo majus aut pulchrius dari, quo Deum noscimus, et quantum effici a mortali potest, æmulamur, sequimur, consequimur.

589 Sine hoc quid est homo aliud quàm immortale pecus?

590 Ut unus dies humanæ vitæ præferendus est longissimæ ætati corvi aut cervi, ita dies unus ex religione actus, hoc est, divinæ vitæ, toti æternitati sine religione anteponendus.

591 Hæc est *vita æterna*, inquit *Christus* Dominus, *ut agnoscamus Patrem, et quem ille misit, Jesum Christum.*

592 Hic est cursus absolutæ sapientiæ, cujus primus gradus est *Nosse se*, postremus *Nosse Deum.*

Regi seculorum immortali et invisibili, soli
Sapienti Deo honor et gloria.


BRUGIS,
1524.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI
ROGATIVA AD DEUM.

VITA HOMINIS CHRISTIANI.

JOANNES LUDOVICUS VIVES JOANNI BARROSO, Incliti Regis Lusitaniæ a negotiis indicis, Viro clarissimo S.



ISTINEMUR omnes adeo curis et cogitationibus alienis a pietate, ut cuique nostrum opus sit crebra revocatione animi, tamquam militis emansoris, et in officio suo cessantis, ut consuescat homo se ad cœlum, atque originem suam attollere. Quisque existimet dictum sibi a Domino, quod Marthæ: *Sollicita es, et turbaris circa plurima; porro unum est necessarium.* Quocirca exercitamenta reliqua occupationis sunt a nobis quæsitæ: hoc unum est necessitatis a Deo indictæ ad illum exitum, cui est homo missus in vitam. Eam ad rem composui mihi pridem libellum, quem quo tempore visum fuit communem multis facere, habuit apud me amplam atque honorificam tui mentionem Christophorus Mirandius meus: declaravit nobilitatem tui generis, tum ingenium, eruditionem, probitatem; quæ ego ex opusculo quodam tuo vestrati lingua conscripto facile perspexi; non potui non complecti, et suspicere dotes animi, exercitas inter negotia tam varia et magna.

Hujusmodi ingenia vehementer gratulor Lusitaniæ; et prudentiam bonitatemque Regis, cum aliis argumentis colligo permul-

tis, tum quòd tales viros publicis muneribus præficit. Adjecit idem Christophorus de studio erga me tuo summo et prope singulari, testato et quasi consignato litteris tuis ad Andream Xuarium, hominem tui amantissimum. Quibus de rebus omnibus alius erit commodior dicendi locus: nunc angustiis excludimur Epistolæ dedicatoriæ. Quapropter Libellus hic, qualiscumque fuerit, certe maximis de rebus, maximeque necessariis, sub tuo nomine prodibit: nec tu aliter dedicationem hanc accipies, quàm amoris inter nos mutui pignus. Vale. Antuerpiæ, mense Augusto, anno MDXXXV.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
EXCITATIONUM ANIMI IN DEUM
PRÆFATIO.

SAncta illa et præpotens natura, quem Deum appellamus, et in sui admirationem magnitudine nos rapit, et bonitate ad benevolentiam invitat, et quotidiana beneficentia ad gratitudinem. Tum naturæ nostræ imbecillitas, necessitatesque non quotidianæ modo, sed singulorum quoque momentorum, uti ad illum confugiamus nos docent; quoniam is unus potest omnia, immensa vi ac potentia præditus, de bonitate autem illius nihil non speramus toties experti. Itaque sive contemplamur præstantiam, sive accendimur ad amandum tantam bonitatem, illumque qui prior amore provocavit, seu quid poscimus necessarium, sive compotes voti gratulamur, attollit se animus ad Deum.

Hæc oratio seu precatio dicitur, per quam tacentibus nobis, vel verba in ore formantibus, cor nostrum Deo loquitur: ille autem qui scrutatur renes et corda Deus, verba sermonemque ejusmodi intelligit; sed sapientem oportet esse precationem nostram, et sale conditam, ne nos Deum faciamus hominis similem, ut illum capi et delectari existimemus audiendis suis laudibus, et tamquam rebus gestis, ut quòd sit omnipotens, quòd cœlum et terram condiderit, quòd magna ediderit atque admirabilia, quæ nemo umquam mente et cogitatione consequi valeat, nedum dicendo explicare: hominum est hic affectus, nec plane sapientium.

At

At non pauci, quando Deum orant, interrogati quid agant, respondent: ***Laudo Deum.*** ¿Quid? tu Deum esse vanum aliquem principem censes, te autem assentatorem illius, et quasi parasitum, qui adularis, et subblandiris ut aliquid impetres? Precatio omnis non Dei gratia reperta est, sed nostra, ad quorum utilitatem refertur; nam et petitio ad necessitates nostras pertinet, ut sciamus quis sit omnium largitor: gratiarum autem actio, ut agnoscamus beneficium, et amemus beneficum: consideratio bonitatis, et caritatis, ad redamandum adducit: magnitudinis autem ad cultum et reverentiam; adde etiam ad amandum illum, qui quum sit tantus dignatur nos tamen respicere, et in partem admittere magnitudinis et beatitatis suæ. Itaque quum potentem nominas, quum universitatis auctorem, venerare majestatem, ama in tanta magnitudine tantam bonitatem, benignitatemque effusissimam.

Quocirca oratio quæ ad Deum fit, eò spectat, ut contemplatione magnitudinis et bonitatis nascatur et adolescat in nobis caritas erga Deum, cultu et reverentia admixta, quasique contemperata. Caritas, quoniam certissima est via, atque adeo unica ad nostram beatitudinem, maximopere est e re nostra ut augeatur quotidie, quod fit recordatione et cogitatione crebra atque intenta; etenim si raro aut segniter veniat in mentem, flaccescet utique ignis, et extinguetur prorsum. Hac de causa, qui multiplicare in orando verba prohibuit, et longum facere de eo quod petamus sermonem, idem nos filios suos monet, atque hortatur, ut semper ac continenter oremus; hoc scilicet orationis genere, quo mens nostra per contemplationem Divinæ virtutis, majores in dies concipit amoris flammas, magnoque et pleno gradu ad felicitatem suam contendit.

Nihil est ergo majus, nec homini Christiano utilius, quàm precari Deum: nihilque in prima illa, et vera Christianitate, vel factum est crebrius, vel ardentius, quod Pauli epistolæ indicant, et conciones sacræ, quibus hodie quoque utimur, recepto ab priscis illis ritu ac more. Nec dubium, quin inter epulas, inter studendum, in opificio quocumque exercendo, in secundis, in adversis rebus idem factitarint; nihil sit denique absque numinis imploratione transactum. Sed quibus tamen rationibus ac modis, at-

tollamus nos in hanc contemplationem, ad amoris flammas suscitandas, majoris est speculationis, et otii; aliudque in tempus differamus: hoc vero loco de petitionibus tantum dicemus. Vult nos Dominus omnia ab se uno expectare, ac poscere, in quo uno fontes sunt, atque origines bonorum omnium, nec nobis potest nocere quicquid ab illo in nos manarit, nempe optimo, et nostri amantissimo, nec est quod præstare non valeat potentissimus: non habet eam facultatem angelus ut sit omnipotens; nec dæmon in eo quod efficere potest, probam voluntatem, qui pessimus est, et hostis noster: at homo infirmus et miser, nec potentia valet, et voluntate incertus est ac mutabilis.

Jubet ab se peti Dominus, non ut gratiam habeamus benefactori, sed quia nostra ipsorum interest ut amare illum condiscamus, a quo sunt nobis bona universa. Protrahit interdum ille vota nostra, ne apud imperitiam atque inconsiderantiam nostram, quod levi opera exoravimus, vilescat, sed ut munus diu desideratum, et quasi emptum caro, magnifaciamus, ac proinde etiam largitorem: quod nobis vehementer conducit ad cultum et amorem comparandum. Quocirca non est desistendum illico, nec inter primas continuo petitiones, si differamur, abjiciendus animus, tamquam non impetraturis: imo vero ad petendum instantius ardentiusque consurgendum; exemplo vetulæ illius, quod nobis magister noster ad imitationem proponit, quæ sedulitate sua iniquum et deorum atque hominum neglectorem judicem, ut de sua causa cognosceret, perpulit, et sententiam ferret secundum ipsam.

Quapropter reputans ego cum animo meo petitionem, si amore, atque ejus comite fiducia condiatur, validam esse indubie, ut voti compotes fiamus, tum Precationem Dominicam, canonem precationum omnium, commentariolo mihi extendi, tum alias inde preces derivavi, in quibus petitio esset haud nuda prorsum, sed reputatione vel majestatis, vel bonitatis, vel infirmitatis nostræ adjuta; non quo sic Deo existimarem persuasurum me facilius quæ cupiam: ¿ quæ enim esset cogitatio dementior, aut insanior? sed ut me, purgatione ac sublatione animi, aptiorem ad impetrandum exhiberem. Breves precatiunculas confeci; sive quia interdum justis, et a Deo attributis occupationibus distinemur, per quas

non

non licet longis precationibus immorari: aliasque animus noster pondere hoc corporis obrutus et retardatus, longa intentione delassatur et flaccessit. Imitatus sum in hoc veteres illos sanctos patres, quos in solitudine vitam transigentes, et operi manuum intentos, Cassianus refert breves quasdam precationes, et tamquam amentata jacula solitos ad Deum transmittere dum animus incalesceret, continuo post redire ad opus.

Poterunt hæc mea locum invenire inter preces illas, quas composuerunt homines ingenii ac peritiæ nullius, frigide atque ineptissime, sine ulla prorsum tantis in rebus vel verborum vel sententiarum dignitate, et leguntur tamen a plurimis allicefactis solo orationum titulo, qui pensi nihil habent ut ad Deum se animis sustollant dum precantur, sed ut grandem profundant verborum acervum quomodocumque collectum. Equidem non arbitror referre quibus ores verbis, sed quàm te ad Deum orando erigas; itaque quæcumque id demum præstat oratio, apta est et conducibilis: neque enim spectat Dominus eloquentiam dicentis aut artificium, quæ in nobis, quod ad Deum pertinet, infirmissima et caliginosa sunt, sed precantis mentem, quam unam ille exaudit etiam prius quàm incipiat fari. Sed illa tamen videntur esse eam ad rem verba accommodatissima, quæ menti lucem aliquam de eo quod poscit adferunt, et exuscitant affectum jacentem: quod me, quantum pro virili parte mea potui, et pro instituta brevitate, secutum profiteor.

Adjeci excursiones quasdam, seu indicavi verius, in quas animus precatione excalfactus expatiari posset si vellet, quamdiu saluberrima illa pietatis aurula spiraret; quæ ut plerisque nostrum raro contingit, quia nec votis eam accersimus, nec illi excipiendæ ac detinendæ nos paramus, ita quum datur, non est prætermittenda quin fructus ex illa colligamus quàm possimus uberrimos, pareamusque adjurationi sponsi in Canticis, ne soporatam dulcissimo et salutari somno sponsam ad vitæ hujus occupationes et curas excitemus donec ipsa ultro expergiscatur. Itaque ut copiosior ad meditandum suppetat materia, præter orationes, in quibus est haud sane parva, excursiones habebit paratas, quasi quædam ad expatiandum diverticula. Præmissa est ad orandum Præparatio; quo-

quoniam ad hoc tantum et tam præcipuum opus pietatis, magna est animi purgatio necessaria, ut propius ad Deum accedentes exaudiamur, incassum alioqui clamaturi.

A primo uni mihi hæc composueram, quibus me præter lectionem sacrarum litterarum in rebus ævi hujus asperis consolarer, quæ permultæ quotidie tum extra nos, tum in corpore atque animo accidunt, et opem a Deo poscerem in hac jugi necessitate mortalitatis nostræ. Postea visum est communem facere hanc meam operam, si cui etiam alteri prodesse queam ad promovendum in pietate gradum; quod ego ingentis quæstus loco deputo; primum enim est, ut ipse sis bonus: proximum, ut alios facias. Indigemus jam olim profecto Christiani omnes, humi perpetuo repentes, stimulis et incitamentis ad mentes nostras erigendas, quæ abjectæ prorsum in aspectum rerum vilissimarum, quas calcare conveniebat ita expetunt, ut immortalitati ac beatitudini anteponant.

PRÆPARATIO ANIMI
AD ORANDUM.

1 AD divinam majestatem contemplandam quum se animus accingit et præparat, id faciat liber ad tantum ascensum atque expeditus: nempe jussis tantisper curis vitæ hujus absistere, et motibus animi sedatis.

2 In quiete est locus Domini, non in commotionibus.

3 In illam contemplationem sublatus ne te impudenter aut temere ingeras; ne cum ignominia et damno repellaris.

4 Nec singulorum causas inquiras, quæ sitæ sunt in divina sapientia, quam ne angeli quidem assequuntur.

5 Quod hominibus sapientibus tribuimus, ut impares fateamur nos illorum rationibus ac consiliis, quanto reverentius concedendum est Deo!

6 Qui scrutatur majestatem, opprimetur a gloria, non aliter quàm qui intentis et inconniventibus oculis serenum solem intuetur.

7 Nolite plus sapere quàm oportet sapere, sed sapite ad sobrietatem.

Al-

8 Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit tibi Deus ea cogita semper, et in pluribus ejus operibus ne fueris curiosus.

9 Non est enim necessarium tibi ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.

10 In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus.

11 Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi; multos enim supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus eorum.

12 Ergo de divinis rebus senti reverenter: fac veniat tibi in mentem te esse puerum, et sapientiam Dei non assequi, qui etiam in humanis passim cæcutias.

13 Esse rudem, nec arcana Dei didicisse, quum etiam humana te prope omnia lateant.

14 Esse angustum, et amplitudinem divinorum pectore tuo non capi.

15 Esse malum, ideo hæsitare, et malitiam velut pondus trahere te a Deo ad se, ab spiritu ad carnem, a sublimitate cœli ad terræ humilitatem.

16 Esse suspicacem, et ex te alia metiri, divina ex humana mensura censere, sæpe etiam ex tua ipsius, hoc est, parva et prava.

17 Quum contra, si Dei opera cum ejus facultate et potentia compares, minima tibi videbuntur, et longe illi factu faciliora, quàm tibi cogitatu.

18 Summitte ergo te majestati omnipotentis, jussis omniscii, monitis amantissimi ac beneficentissimi.

19 Ille sit scopus vitæ tuæ, ad illum recta tendito, sive calcandæ sunt opes, sive dejiciendus, et prosternendus, vel obstans filius, vel parens.

20 Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quòd Jesus Christus venit in mundum ad peccatores servandos.

21 De Jesu Christo cogitabis, non ut de bono quopiam et sapienti viro, sed tamquam de virtute, et sapientia, et bonitate Dei, quem pater dedit reconciliationem et salutem hominum, magistrum, atque exemplar generis humani.

Il-

22 Illius fiducia erit lapis ædificii firmissimus.

23 Vita ejus pro antidoto cujusvis morbi, atque afectus; supplicium pro solatio incommodorum et calamitatum vitæ: resurrectio pro spe verorum bonorum.

24 De Divis senties tamquam de egressis mortalem sortem junctis Deo, et (ut sic dicam) membris Dei.

25 Ad conjunctionem Dei, hoc est ad summam beatitudinem et finem humanum venitur per caritatem Dei.

26 Quæcumque sunt in mundo, cœnum esse duces præ caritate et gratia Dei; felix si illam conciliaris tibi, etiam rerum quæcumque in mundo optari possunt jactura.

27 Sine illa nihil est dulce, nihil lætum: cum illa nihil amarum, aut triste.

28 Peccatum aversio est et separatio a Deo, id est a fonte vitæ, ac boni universi.

29 A peccati actione, occasionibus, causis, etiam imagine et specie longissime fugito: id est quàm proxime fieri poterit, accedito ad Deum.

30 In tentatione ne confidas tuis viribus: nec cum tanto potentiore, quàm tu es, congrediare, te uno fretus.

31 Sed illius opem implora, qui dixit: *Confidite; ego vici mundum.*

32 Itaque tibi diffisus ad sapientiam crucis te recipe, ac verbo fidei te sepi, tamquam valida armatura.

33 Noveris te ipsum, quàm infirmus es corpore, quàm inscius corde, quàm pravus voluntate, quàm servus eorum possessor quæ habes.

34 Itaque modice, ac potius demisse de te senti, conscius infirmitatis tuæ: hæc est vera animi modestia, non illa quæ in gestu aut cultu, aut verbis est sita; vera cujusque animi demissio ante Deum est, ut illum intuitus, plane intelligat illum esse omnia, se ipsum vero nihil penitus: aut si quid sit, minimum quiddam esse, et velut guttulam, atque eam ex immenso illo mari destillatam, nec futuram diutius, quàm dum ab illo conservetur.

35 Quandoquidem a Deo sunt bona omnia, nec aliunde veniunt, quum quid feceris boni, illico erige te ad recordationem

un-

unde sit bonum illud, eique habeto gratiam, qui eas tibi dignatus est vires impartiri, quibus recte ageres: alioqui immemor judicaberis beneficii, ac proinde ingratus.

36 Caveto etiam atque etiam, ne tibi in mentem ullo modo veniat, posse te Deo prodesse; neu tibi de bono opere blandiaris, tamquam eo sis tibi Deum promeritus: quæ cogitatio pestilentissima est, et sæpenumero optimorum operum corruptela, ad quam tollendam Dominus noster dixit: *Posteaquàm hæc omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus.*

37 Reputa cum animo tuo, te Deo nec commodare posse, nec nocere; sive enim bonus sive malus fueris, tibi eris; ne tua recte facta tamquam ad rationem cum Deo ineundam in cogitationem revoces, et ad expensionem precii cujusquam, unde tibi vana et perniciosa fiducia nascatur qualis Pharisæo illi Evangelico.

38 Acutus tibi videris: tanto pejor, ni et bonus.

39 Hebes: tarditatem Christus boni consulit, modo adsit voluntas recta.

40 Doctus: frustra nisi tibi prosit doctrina tua.

41 Nequicquam sapit sapiens, qui sibi non sapit.

42 Rudis: atqui Christo magna est eruditio facere quæ ipse jubet.

43 Tantum scis, quantum operaris.

44 Animosus: aude igitur contemnere, quæ alios terrent fortuita.

45 Timidus: immo nimis audax, si violare audes Dei leges, hoc est inimicitias cum Deo suscipere.

46 Formosus: frustra si deformis insit animus.

47 Vide ne in formoso hospitio habitet hospes deformis.

48 Deformis: Christus solam spectat formam animi.

49 Sanus: ¿quorsum; si mens insana?

50 Æger: admoneris tuæ mortalitatis.

51 Et hac ibis illuc, ubi nullis deinceps morbis attingère, sempiterna erit sanitas.

52 Perfrueris deliciis ac voluptatibus: delicate alis gravem tyrannum.

53 Laboribus exerceris: sic vinces, et domabis hostem tuum.

54 Ærumnis premeris: ea est via expeditissima ad fastigium virtutis.

55 Validus es: exerce robur tuum ad maximum præmium.

56 Invalidus: virtus animo eget, non lacertis.

57 Celer: effuge ergo vitium, quod te persequitur.

58 Tardus: satis celer es si animo cœlos transcendis usque ad Deum.

59 Longævus: solus vivit diu, qui bene.

60 Vitæ brevis: tam facile in cœlum itur per brevem, quàm per longam vitam.

61 Morbos, casus humanos, mortem neque tibi, neque alii cuiquam optaveris, vel timueris: sed æquo animo expecta quid Christus, cui sumus curæ, de nobis statuerit; et id quicquid fuerit ferendum moderate, considerantibus a quo mittantur non sine causa nostri boni.

62 ¿Quid juvat anxium esse de morbo, aut morte, nihil profecturum? quod ergo te invito eventurum est, eveniat libente.

63 Laborandum est tota vita, non ut ne moriamur, nam id nec fieri potest, nec optari debet; sed ut ne male moriamur.

64 Fratres ama, vel quia digni sunt, vel quia commendati a Christo, illisque opta, ac pro virili procura maximum illud bonum, Dei gratiam ac favorem, et ea per quæ illud facile nanciscantur.

65 Malos noli perditos, sed emendatos.

66 Non mentiendum cujuscumque lucri gratia, non assentandum.

67 Non irascendum, quicquid contingat; nemini succensendum, non male dicendum, non obtrectandum, non execrandum, quæ omnia sunt contra hominis naturalem habitum.

68 Ambigua aut incerta ne in sinistram interpretationem rapias, quod est voluntatis pravæ.

69 Non insolenter aut arroganter vel sentiendum, vel loquendum, quod est et Deo et hominibus odiosum.

70 Nemini mortalia invidendum, quod est hominis non reputantis fragilitatem et fugacitatem earum rerum.

71 In ignominia memineris quid objectum sit Christo in os: et

et ea non raro exhibetur tamquam morbi alicujus medicina, ut Davidi.

72 In laude fac animo succurrat quæ habes bona, non tua esse, commendari a Deo, huic habendam gratiam.

73 Mala tua sunt, bona autem Dei.

74 Quòd si homines guttam admirantur quamdam ¿quid facerent, si ad illum se fontem uberrimum contemplandum erigerent?

75 Jam vero reflecte in te ipsum oculos, videbis quàm exigua res sit homo, quàm levia humana omnia, et nulla prorsum laude digna.

76 Fac veniant tibi in mentem lapsus tui frequentes, sive in virtute, sive in sapientia, et ingenio: qua cogitatione velut frigida suffusa, dilues fallacem laudationis ebrietatem.

77 Ne illa vel sumas, vel optes in vita, quæ occupatione ac cura sui abducere a cultu pietatis solent: ut varia et gravia negotia, procurationes rerum asperarum, gravium, difficilium, intricatarum.

78 ¿Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?

79 Nobilis tibi videre, utinam virtute et decore bene parto; sed ut ita sit, aliena certe virtute nihil mereberis.

80 Ignobilis: non potest esse ignobilis cui Deus est pater.

81 Boni nominis: non es si male a Christo audis.

82 Infamis: Christus videt an merito, et da operam, ut illi te approbes.

83 Affectus injuria: fortàsse amore tui nimio falleris, sed Deus ultor.

84 At tu potes ipse ulcisci: melius te ulciscetur Deus sine tuo periculo, et ubi lædenti dolebit magis. Sed noli optare alteri ultionem, ne in te redundet. ¿An tu putas nihil commisisse te ultione dignum?

85 Gratiosus: unus est verus et sempiternus amicus Deus.

86 Invisus: si tua culpa, corrige: sin minus, acquiesce Dei amicitia.

87 Desertus ab amicis: at (si modo vis) non a Deo firmissimo amico.

88 Refrixit amicorum amor desuetudine: optime quòd semper Christus nobiscum versatur, nec desuescit.

89 Carus potenti, sæpe homini pessimo: ¿sed quid hoc, si invisus Christo potentissimo, summo, æterno?

90 Invisus potenti: at potentibus dominatur Christus.

91 Dives: vide ne ad paucos dies dives, ad æternitatem pauper ac miser.

92 Pauper, et pannosus: non opus est ad longum tempus divitiis, et eam personam non respicit Christus.

93 Famelicus: non alit nos panis, sed verbum Domini; et satur es, si pastus pane, hoc est doctrina Christi.

94 Opulentus, potens: voces tantum audis circumstrepentium, non conscientiam tuam, quæ clamat te esse invalidissimum atque infirmissimum.

95 ¿Sed quid potes? malefacere magis quàm benefacere, lædere potius quàm prodesse.

96 ¿Et in quos potes? in eos ipsos, qui si obsequium subtrahant, nihil poteris.

97 ¿Jam quale est in alios posse, non in te ipsum?

98 Amicitiis fultus: memineris amicos omnes esse homines, id est mutabiles et mortales.

99 ¿Sed quid juvat infirmorum et miserorum animantium benevolentia, nisi et ab illo ameris cujus te amor potest beare?

100 Propinquos habes, et consanguineos multos, ac magnos: an ¿non injuriam facis Deo, qui talem habens patrem, consanguineos de quibus gloriere quæris, mortales miserrimos?

101 Refertur tibi pro beneficio gratia: si ea gaudes, quàm bene Deo creditur, qui numquam non remuneratur, et prolixissime.

102 Memineris tu vicissim referre quam potes Deo, cui tam multum debes.

103 Non refertur: optime Deo fiditur, qui semper refert.

104 Et cave ne committas ipse, quod culpas in alio.

105 Vivis in patria: immo in exilio, ni adsit Deus.

106 In exilio: nusquam est exilium, ubi adest Deus, qui est nobis omnia.

In

107 In ædibus splendidis: tanto tu deterior, si locum nitidum flagitiis contaminas.

108 In sordidis ædibus, in carcere: at in mundo Dei templo, et quod ille universum præsentia sua complet.

109 Morieris: hac ad illum ibis, qui te amplius non sinet mori.

110 Per cruciatus: eo libentius ad immortalitatem illam revolabis.

111 Omnia si habes præter gratiam Dei, perniciem habes, non bona.

112 Qui eam habet, huic nihil bonorum deest.

113 Eam si nactum te credis, cave ne efferaris animo; nam sublatus a te ipso amittes illam.

114 Tu qui stas vide ne cadas, ne judices fratrem tuum, ne tu pejor eo fias, ille te melior.

115 Ostendam tibi o homo, quid te oporteat facere: facere judicium et justitiam, et solicitum ambulare cum Deo tuo; non propter illius morositatem aut difficultatem, quæ nulla est, sed propter tuam fragilitatem, quæ maxima.

116 Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus.

117 Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.

118 Agnosce ergo te ipsum malum, o homo: Deum autem bonum, et bonitatis, si quam habes, auctorem.

ACCESSUS AD ORANDUM.

1 Spiritus adjuvat infirmitatem nostram:

2 Nam nos quid oremus, sicut oportet nescimus:

3 Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

4 Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.

5 Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.

6 Accedenti ad orandum Deum, cogitanda est in primis tanti principis majestas, qui nos finxit, qui etiam cogitata nostra in-

intuetur, et oblita nobis recordatur conferenda cum nostra humilitate, ut merito possimus dicere: Loquar ad Dominum Deum meum, quum sim pulvis et cinis, et putredo consumenda.

7 Quoniam quidem actionum nostrarum omnium spectator est Deus, sic te gere, ut illius oculis dignum est.

8 Memineris non esse linguam quæ precetur, sed mentem.

9 ¿Quid si mens aliud agit? quæcumque verba lingua pronuntiet, nihil oras.

10 Inanis est strepitus, et proinde Deo ingratus.

11 Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.

12 Oratio collocutio est cum Deo: in eum oportet esse mentis nostræ oculum intentissimum, non aliter quàm oculum jaculantis in album, ut collimet: alioqui in diversum, quàm quo destinarat, abibit.

13 Fructus veræ, atque in id quod convenit intentæ orationis amplissimi sunt atque uberrimi; refert enim ad nos bonorum omnium, quæ optamus, copiam.

14 Si oculum a Deo vel ad tuos affectus, vel ad aliena judicia deflectas, ¡o quantam facis jacturam! quàm levi re ac vana, quàm solidam et perennem commutas!

15 ¡O quàm excellentis operæ quàm vile precium proponis! quum liceret, si velles, maximum et præstantissimum consequi.

16 Idcirco Dominus noster præcipit nobis filiis suis, ut quum quis nostrum ad tam sacrum colloquium se accingit, secedat in se ipsum prorsum, hoc est, in penitissimum pectoris sui conclave, in altissimum mentis suæ silentium, quo nec adfectus admittat suos, nec respectum alieni judicii: ibi seclusus omnibus solum Deum cogitationum et votorum suorum conscium roget. Hunc vero qui uni sibi viderit fundi preces ac vota, nec aures oculosve spectari hominum, remuneraturum puram illam simplicitatem cordis plena manu: alioqui perit ingens ab oratione fructus. Homini te approbari concupisti; habes quam expetieras mercedem, ¿quid aliam vel expectas a Deo, vel quæris?

17 Quiescant omnia, et cedant operi, quo majus nullum esse potest in vita, nec præstabilius.

Absce-

18 Abscedite viles ac degeneres curæ: cum principe atque auctore omnium loquendum est.

19 Discede malitia, nam ad optimum accedo.

20 Abi odium, nam ad amorem ipsum.

21 Cessate nugæ ac res leves, nam ad seria et solida, et permansura vadimus.

22 Meditationi nostræ magna insit attentio, cum pia veneratione.

23 Petitioni magna fiducia, non ex meritis nostris, sed ex illo qui sic jussit nos facere, cujus in hanc sententiam sunt syngraphæ:

24 Petite, et accipietis.

25 Quæcumque orantes petitis, credite accepturos vos, et fiet.

26 Omnia quæ petieritis in oratione credentes accipietis.

27 Si vos quum sitis mali, nostis bona dona filiis vestris dare; ¿quanto magis Pater cœlestis dabit spiritum bonum petentibus a se?

28 Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.

29 Sed addamus tamen ad cautionem, quod est apud Jacobum.

30 *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis; ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

PRÆPARATIONIS ANIMI AD ORANDUM FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI

PRECES ET MEDITATIONES DIURNÆ.

¶ 1. *QUUM EXPERGISCIMUR.*

DEUS et Pater Domini nostri Jesu Christi, quem nemo nisi ex tuo ipsius munere cognoscit, effice, ut ad alia ingentia tua ergà me beneficia, accedat hoc quoque maximum, quod generi hominum præstari potest, ut quemadmodum corpus somno consopitum excitasti, sic et animum a somno peccatorum et tenebris mundi hujus liberes; quodque ex somno ad vigiliam revocasti, post mortem reddas vitæ: nam est somnus tibi, quæ nobis mors. Oramus atque obsecramus te, ut per benignitatem tuam socium sit corpus in vita hac, atque administrum pietatis animæ, quo sit et in altera illa vita particeps beatitudinis sempiternæ. Per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, per quem omnia nobis tribuis bona et salutaria.

Exurge qui dormis, et surge a mortuis, et illuminabit te Christus.

¶ *Excursus ad meditandum.*

Revocanda in mentem lætitia illa, et beatitas resurrectionis æternæ: tum clarissimum et splendidissimum illud mane, et lux nova corporum post tenebras; quæ omnia plena sunt gaudiorum.

¶ 2. *Ad primum intuitum lucis.*

LUX maxima et verissima, unde lux ista nascitur diei ac solis, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: Lux, cujus nulla est nox, nulla vespera, meridies clarus semper, ac serenus; sine qua densissimæ sunt tenebræ, per quam sunt omnia lucidissima: mens et sapientia tanti Patris, illustra mentem meam, ut tua tantum videam cæcus ad reliqua; et per tuas vias ingresso nihil præterea mihi luceat, aut sit gratum.

Illumina Domine oculos meos, ne umquam obdormiam in mortem: ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum.

¶ *Ex-*

¶ *Excursio contemplationis.*

¿Quanto potior lux animi, et præstabilior mentis oculus, quàm corporis? ¿quàm convenit magis curare, ut acutius cernat mens, quàm corpus? oculum corporis bestiolæ habent, mentis autem soli homines, et quidem sapientes.

¶ 3 *Quum surgis.*

PRimus parens ex præclara et præcellenti sublimitate, devolvit se in cœnum ignominiæ, et abyssum flagitiorum ac scelerum, surrexit manu abs te Christe sublatus. Ita et nos, nisi abs te sustollamur, in perpetuum jacebimus. Christe generis humani patrone indulgentissime, ut grave hoc onus beneficio tuo erigis, ita et animos nostros ad cognitionem amoremque evehe tuæ sublimitatis.

¶ *Excursus ad meditandum.*

¿Quàm acerbus casus Adæ propter peccatum, tum etiam cujusque nostrum a fastigio gratiæ Dei? ¿Quantum beneficium Christi, cujus ope toties quotidie a casu surgimus?

¶ 4 *Quum exuis subuculam.*

NAscimur grave ac molestum induti onus primi hominis terrestris, qui per delictum ad partes carnis defecit. Exue nos Christe vetere hoc et corrupto Adam, qui peccato maceratus, in animi formatur perturbationes morbosque a te alienos, cum tota illa sua tentatrice Eva, quæ ab obsequio patris tui avertit.

¶ 5 *Quum induimur.*

INdue me Christe te ipso homine secundo, qui per justitiam factus es Deo patri tuo adjuratissimus, ad exuendas concupiscentias omnes, et crucifigendum regnum carnis. Tu nobis adversus frigus hoc mundi esto indumentum quo foveamur; qui si absis, omnia fiunt protinus torpida, infirma, mortua: sin adsis, vivida, tuta, fortia, vigentia. Et ut corpus amiculo hoc circumdo, ita tu me totum, sed animum potissimum te ipso vestias.

¶ *Excursio.*

Quomodo incorporamur Christo, ille nos induit, et tegit, et fovet, ut sub alis ejus servemur et regnemus.

¶ 6 Indutus pro auspicio diei.

DEus et Domine Jesu Christe, tu scis, immo tu docuisti nos quanta sit hominis imbecillitas, quàm nihil possit absque tua ope. Si ipse sibi fidat et credat, necesse est ruat in mille exitia. Miserere Pater infirmitatis filii tui, adsis propitius et dexter, ut te illuminante vera bona videam, te hortante expetam, te ducente consequar: mihi diffisus, me cunctum tibi uni trado commendoque.

Cogitatio cujusque intra se pro auspicio diei.

1 Conditus sum homo ex corpore terreno, caduco, mortali: ex animo cœlesti, firmo, immortali.

2 Præditus mente, hoc est intelligentia, ratione, judicio, quibus intelligam supremum bonum, qui est Deus: intellectum amem, amore conjugar ei, fiamque unum cum illo, immortalis, beatissimus.

3 Ego vero tantum bonum negligo.

4 Ad cupidines corporis vergo.

5 In rebus vilissimis omnem vim mentis consumo.

6 Obruo me terra, et ex cœlesti fio terrenus, ex divino belluinus.

7 Non deest mihi Deus, qui primum vocavit me in partem sui regni, et maximo ejus munere ablutus sum aqua, in fide ac nomine Jesu Christi. Illi gratia pro tanto tamque ineffabili suo beneficio. Neque hoc illi satis, etiam lumen suum offert singulis pene momentis ut videam: accendit pectus ut amem.

8 Ego vero mihi desum ipse; surdus et cæcus et saxeus nihil sentio.

9 Ingratus, tantis beneficiis non utor, aspernor.

10 Malo abjecta et peritura, in illis versor, et me cunctum occupo.

11 Ducit me Deus, ego averto me ipsum: porrigit manum, et rejicio: trahor, et repugno.

12 Ingredior quandoque viam, et continuo post respicio, cesso procrastino.

13 Age anime expergiscere, erige te, ne semper in cœno vo-

volutemur, sume vires adversus pravam consuetudinem, aude contemnenda despicere, abjecta calcare: summa, præclarissima, optima appetere.

14 Vocat Deus, audiamus; ducit, sequamur; nam ad sua bona perducet, offert se ac sua, accipiamus: monstrat maximorum bonorum viam, ne avertamus faciem, quin illac ingrediamur.

15 Sint hæc semel certa et deliberata, ne sint vani et inefficaces cogitatus, exequamur re ipsa.

¶ 7 *Egrediens domo.*

INter laqueos a dæmone et ministro ejus mundo extentos, gradiendum est mihi, et circumfero stimulos carnis meæ, duc me certissime Dux, ac tuere a plagis atque insidiis, ut quæcumque occurrent, non pluris faciam quàm ipsa sint; in te unum aspiciens, ac intentus sic pergam, ut unumquicque eatenus a me sumatur, quatenus ad te referendum est.

Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

¶ *Egressio ad contemplandum.*

Quàm vana est occupatio filiorum Adæ, quàm varie distinetur ac distringitur; quomodo mentes suas ad cognitionem et cogitationem sui maximi boni tributas in tam diversa dissecant et dissipant, ut ejus quod primum et potissimum, est obliviscantur, ut alii aliis sint offensio, et Satan.

¶ 8 *Ingrediens iter.*

PEregrinatio est hæc vita nostra; a Domino discessimus, ad Dominum tendimus, sed inter voragines, et præcipitia, quæ malus ille hostis per viam fabricatus est nobis peccato exoculatis. Porrige nobis manum Christe verus, certus, videns, amicus et fidelis dux. Aperi oculos nostros, illustra regiam illam viam, quam tu primus ingressus ex hac corruptibilitate vitæ, ad immortalitatem alterius munivisti. Tu es hæc via, duc nos ad Patrem per te ipsum, ut omnes simus unum cum illo, sicut tu et ille estis.

¶ *Altera.*

MIsericors Pater, tu sanctis hominibus, qui puro et simplici

corde tibi placent, mittis angelos custodes, a quibus ducantur, tamquam imbecillioribus filiis filios natu grandiores, ac magis validos; omnes enim et angelos et homines paterno affectu complecteris. Ita Thobiæ probi patris filio modestissimo, iter ingressuro, Raphaelem ministrum tuum misisti viæ comitem; nobis virtute quidem Thobiæ longe inferioribus, sed bonitate tua confisis, mitte sanctum angelum tuum, qui nos et magno animo esse faciat, quoniam te fidimus, et per vias deducat tibi gratas.

¶ *Digressio.*

¿Quomodo peregrinamur a patria, a domo, a nostra origine, nempe Deo? quàm libenter immoramur et intricamur in peregrinatione, hoc est in miseria, immemores bonorum.

¶ 9 *Sumpturus cibum.*

ADmirandum mysterium operis tui fabricator et rector mundi, ut cibis istis hominum et animantium vitas sustentes; profecto non est in pane atque obsoniis ea potentia, sed in voluntate et verbo tuo, quo uno vivunt et consistunt omnia. ¿Tum et illud quantum est, te in annos singulos sufficerė unde tot animantibus alendis sit satis? quod sanctus Propheta tuus in enarratione laudum tuarum dixit: *Spectare ad te omnia, ut des sibi escam in tempore opportuno*: *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*: Hæc sunt mirabilia omnipotentiæ tuæ opera. Rogamus te Princeps et Pater munificentissime, ut qui vitam nostris corporibus subministras cibis per verbum tuum, animos quoque nostros gratia per idem verbum tuum vivifices, ut digni simus, quos merito, tamquam pater carissimos filios, saluberrimis alimentis enutrias, donec ad perfectionem illam ventum sit filii tui Jesu Christi, in qua mortale hoc induet immortalitatem, nec amplius alimoniæ indigebimus facti unum cum te ipso.

¶ *Digressio animi.*

¡Quantæ potentiæ condidisse nos: quantæ sapientiæ tueri ac conservare: quantæ bonitatis immerentes! ¡Quàm multa data nostris usibus: quàm admirabile sustentari illis vitam: quanto admirabilius animæ vitam ad immortalitatem propagare solo suo nutu!

¶ 10 *In*

¶ 10 *In convivio.*

BEnignissime munerum tuorum distributor, qui donas bona omnia ad utendum, purus pura, sanctus sancta, fac adsit nobis auxilium tuum, ne prave abutamur iis quæ tu ad nostros rectos usus condidisti; non te amemus, quia illa das; sed illa diligamus, quia veniunt abs te, et ad tempus sunt nobis necessaria revertentibus ad te; sobrie, pure, moderate, sancte versemur inter tua dona, qui es talis: ne, quæ tu largiris nobis tamquam medicinam vitæ corporeæ, nos in venenum convertamus mortis animæ; quin potius recte ea sumendo, et animo grato, fiant nobis corpori ac animo salutaria.

¶ *Egressio.*

Ad usum data esse illa nobis, non ad abusum: ut prosint, non ut noceant: non nobis solis, sed aliis etiam per nos.

¶ 11 *Sumpto cibo.*

COrporalibus cibis corporalem vitam fulcis ruentem; grande hoc opus; sed illud utilius et sanctius, quod gratia tua Christe Jesu, mortem nostrarum animarum arcet; multum quidem pro ævo hoc debemus tibi: et quoniam id muneribus tuis prorogas, habemus atque agimus tibi gratias, sed hæc modo via est ad æternam illam, quam obsecramus te per mortem tuam, ut beneficio quoque tuo immortali beatitudine dones; hic pro re temporaria gratias quidem agimus, sed temporarias, videlicet ut possumus: illic pro æterna agemus æternas. Rogamus te, ut huic voto annuas, qui vivis cum Patre et Spiritu sancto, Deus in æternum.

¶ 12 *Revertens domum.*

NIhil est Domine, tuæ illi sanctæ naturæ similius, quàm animus in tranquillitate compositus. Tu nos ex mundi tumultibus in quietem illam et pacem tuam vocasti, ceu ex tempestatibus in portum, pacem qualem dare mundus non valet, quæ omnem exsuperat hominum sensum. Domicilia nobis constituta sunt, in quæ confugeremus ab injuria cœli, a sævitia belluarum, a fluctibus turbæ, et mundi negotiis. Fiat Pater indulgentissime tuo maxi-

mo

mo beneficio, ut in hæc se recipiat corpus nostrum ab externis actionibus, quo sese animo præbeat morigerum, nec reluctetur, quo minus hic se in quietem illam tuam altissimam extollat, nihil obstrepat, nihil obturbet, omnia sint per pacem illam tuam placida et tranquilla.

Pax Christi huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

¶ *Excursio animi.*

Qualis, et quàm lætus erit reditus in domum illam sempiternam, quietissimam, beatissimam: molestia omnis abest, si quid est hic lætum et jucundum, umbra est præ illis voluptatibus.

¶ 13 *In occasu solis.*

MIseros, quibus sol tuus occidit Domine; ille sol, qui sanctis tuis numquam occiduus est, meridianus semper, serenus, ac fulgens. Gravis nox etiam in meridie incubat illorum mentes, qui abs te discedunt; at iis, qui tecum versantur, numquam non est dies lucidissima. Habet sol hic vices suas: tu, si te vere diligamus, non habes. Utinam obicem hunc peccati a nobis removeas, quo sit semper in nostris pectoribus dies.

¶ *Digressio.*

Non dolere nos quòd sol occidat, quia rediturum scimus: ita non dolendum discedere animam e corpore, quam scimus esse reversuram.

¶ 14 *Quum accenduntur lucernæ.*

MAgnæ ac densissimæ animos nostros premunt tenebræ, nisi tua lux eas dispellat: fax est corporali mundo sol tuus, artifex sapientissime: fax spiritali mundo sapientia tua, per quam animorum et corporum lux est orta. Post diem succedente nocte, in remedium tenebrarum lucernas dedisti; post peccatum in remedium ignorantiæ doctrinam tuam, quam ad nos filius tuus nostri amantissimus detulit; fac nos auctor et magister totius veritatis utraque luce ea cernere, quibus caligo mentium depellatur.

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

Ex-

¶ *Excursio.*

Lucernas hujus noctis esse scientiam et sapientiam a Deo hominibus traditam, quibus ea cernant in hac corporum nocte, quæ ipsis expediant: quantopere doctrinam hujusmodi optandum esse, et ubi contigerit, diligenter ac pie amplectendum.

¶ 15 *Quum exueris.*

COrpus hoc per peccatum fluxum et male cohærens, sensim dissolvetur, ac reddetur terræ de qua sumptum est: ibi erit finis vanitatis hujus, quam nos stultitia nostra nobis confinximus. Sic dissolve me Pater mitissime, qui et compegisti, ut dissolvi me sentiam, et a quo fictus fuerim recorder, et quo eundum mihi sit considerem, ne imparatus rapiar ad tribunal tuum.

¶ *Excursio.*

Non ponimus vestes gravate, quas sumus recepturi transacta nocte: sic corpus post hanc noctem curriculi seculorum resumendum, ne posuerimus inviti.

¶ 16 *Quum intras lectum.*

PEracto die tradimus nos quieti de nocte; sic vita hac finita quiescemus in morte. Nihil vitæ similius quàm quivis dies, nec morti quàm somnus, nec sepulturæ quàm lectus; fac Domine præses et propugnator nostri, ut et nunc jacentes nos, ac nostri impotes, ab astu et incursibus crudelis hostis tueare: et tunc finito vitæ curriculo magis adhuc invalidos, non meritis nostris, sed clementia tua ad te voces, ut tecum semper vivamus, æternumque vigilemus. Nunc vero obdormiscamus in te; tu solus, tua illa bona ingentia, incredibilia, per visum nobis obversentur, ut ne dormientes quidem a te absimus: quæ somnia tum cubile ipsum, et corpora nostra pura conservent, tum animos exhilarent beata illa tua lætitia.

In pace in idipsum obdormiam, et requiescam.

¶ *Excursio.*

Peracto tumultuoso hoc die, succedit nox et quies, et lectus, et somnus dulcissimus, qui summos reges et infimos servos pares facit: sic post tumultus et tempestates vitæ hujus, fiden-

dentibus Christo, portum et quietem gratissimam esse paratam.

¶ 17 *Quum obdormiscis.*

SUscipe me tuendum Jesu Christe, præsidium nostrum; fac, ut sopito corpore, animus in te meus vigilet, et felicem illam lætissimamque cœlestem vitam, lætus atque alacer contempletur, in qua tu es princeps cum Patre et Spiritu sancto. Angeli vero, et puri sanctique animi, sunt cives ad æternitatem beatissimi.

PRECES

ET MEDITATIONES GENERALES.

¶ 1 *PRO VENIA PECCATORUM.*

SCELERUM nostrorum is est cumulus et varietas tanta, ut nisi quis se ad considerationem attollat tuæ bonitatis, desperet necesse est. Te nos offendimus, tibi flagitiis nostris inimicitias indicimus potentissimo, nullius rei indigo, et cui nocere nihil potest: et tamen abs te pacis, ac reconciliationis initium. Nulla re magis egemus quàm medicina indulgentiæ tuæ, quia nihil crebrius nobis accidit quàm in hunc morbum incidere: eam vero tu semper obviam offers nobis atque expositam. Da mitissime ac placabilissime Pater, ut mala nostra et remedia malorum agnoscamus, eaque abs te uno, uti convenit, petamus, quæ tu rogatus tam facile soles elargiri.

¶ *Altera.*

CLementissime Jesu Christe, qui factus in similitudinem carnis peccati, peccatum nostrum in te portasti, ut mala nostra omnia morte tua deleres, nosque purificatos novam instaurares creaturam Deo gratam, absterge nos a maculis, quas candori, quem per te sumus nacti, nos ipsi vitiis nostris quotidie aspergimus, et repurgatos jam in ea nos munditie gratia tua conservet, quo digni simus, ut tui dicamur professione ac nomine.

Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.

¶ *Alia.*

¶ *Alia.*

DEus Pater indulgentissime, atque optime, oro te, ne malitia mea aliis noceat, sed aliorum potius bonitas mihi prosit. Tu es metuendus ille Deus zelotes, qui reddis iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem, iis qui oderunt te: es vicissim exorabilis, et mansuetissimus, qui facis misericordiam in milia iis qui diligunt te, et custodiunt præcepta tua. Ad ingentem tuam munificentiam istud quoque accedat, ne in me patrum carnalium noxie redundent; sed Christi filii tui, qui Pater est noster, benefacta mihi subveniant: ne mihi propter eos, qui genuere corpus hoc, irascaris; sed propter Jesum, qui animum regenuit, sentiam te placatum.

¶ *Alia.*

ANte actam vitam respicientibus, quantum se pandit subito errorum, flagitiorum, scelerum barathrum, ut nullus sit, quem sui non pudeat, quum in semet revertitur, quique non exhorrescat de sceleribus sequentis ætatis. ¿Nam quis erit nobis sponsor, aliam fore hanc, quàm quæ præteriit? ¿tuam vero Pater clementiam admiretur ac adoret, qui ultionem tuam tam diu distuleris? Accedimus ad te perterrefacti, magne judex, et supplices obsecramus, ne illorum universorum cumulata jam vindicta in nos redundet; sed ea operiat tua erga Jesum Christum caritas, filium tuum unicum Dominum nostrum, cujus gratia nobis extrema commeritis ignoscis.

¿Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

¶ *Excursio.*

¿Quanto accuratius paremus humanis legibus, quàm divinis, quum in his sit tanto majus præmium obsequii, et pœna delicti? ¿Quantam consuetudinem duximus peccandi, ut pene jam nec aliter possimus facere, nec quod admittatur facinus, sentiamus? ¿quàm pro nihilo habemus? jacemus humi in cœno, in sterquilinio, nec umquam navamus ullam operam, ut saltem erigamus caput, ne omnino computrescamus. ¿Quis pater ferret nos toties contemnentes sua jussa? fert tamen Deus, et dissimulat peccata homi-

num, ut bonitas et tolerantia illius ad resipiscendum nos alliciat.

¶ 2 *Pro fide.*

EXcæcatus est homo a peccato, sed miseratione Patris tui, appositus es tu Christe dux huic cæco, magister rudi. Illud tamen atrocissimum in cæcitate hac, et ruditate malum, quod subinde trepidamus, ac nutamus; alias optima præceptoris monita non capimus; alias hæremus, et ambigimus de veritate. ¿Miserum cæcum, quomodo paratam perniciem evades, si te subtrahis? ¿si nec ipse nosti viam, nec fidem habes monstranti? Christe veritas pura et sempiterna, dignare ita pectoribus nostris illabi, ut te, ac tua omnia, sicuti veriora sunt, ita pro certioribus habeamus, quàm quæ vel oculis nostris cernimus, vel digitis contrectamus, fallacibus corporis sensibus, quibus stolida et bruta caro tantopere confidit: seda et compone motus istos carnis, detrudentes nos subinde ad mutationem ejus, quod firmissimum atque stabilissimum oportet esse apud animos nostros. Donum est luminis tui fides, hoc tu Christe benignissime ita cordibus nostris instilla, ut vitiosi isti oculi, vel reluctantes et inviti, cogantur illud aspicere.

Credo Domine, sed tu adjuva incredulitatem meam: Domine adauge nobis fidem.

¶ *Egressio.*

¿Quàm facile credimus homini malo, mendaci, inscio? ¿quàm ægre et cunctabunde Deo optimo, veracissimo, sapientissimo? et credimus homini de iis quæ nobis non expediunt, non credimus Deo de salute nostra. Homo nihil potest, Deus nihil non potest; sensus sequimur toties deceptos; dubitamus de Deo, qui nec fallere potest, nec falli.

¶ 3 *Pro fiducia in Deum.*

INitium ruinæ hominis, sibi fidere: initium reparationis, sibi diffidere, Deo confisum. Optime ac sapientissime dux, qui vere ac bona fide credentes semetipsos tibi rectissimo compendio deducis ad immortalem beatitudinem, fac, ut quemadmodum re ipsa cæci sumus atque invalidissimi, ita et esse nos putemus; ne hoc nobis sumamus, ut ipsi nobis velimus prospicere: hactenus

ve-

vero videamus, ut intueamur te unum: hactenus possimus, ut te et præcedentem velimus sequi, et vocantem adire, et parere ducenti, concredamusque nos cunctos tibi; ut tu, qui solus, qua eundum sit nosti, ea nos deducas via ad vota nostra, quam nos sponte nostra numquam ingrederemur.

¶ *Digressio animi.*

Quemadmodum offert se nobis, qui potest omnia, et vult, nos cunctamur sequi, et convertimus nos ad ea quæ nec possunt ex sua imbecillitate, nec volunt ex sua malitia: fiduciam in illum habeamus qui offert, qui libentius dat quàm nos accipimus. Recole animo, quoties hortatur, monet, incitat, ut petamus fidenter quicquid nobis expediat; quàm placet illi fiducia, displicet diffidentia.

¶ 4 *Pro caritate Dei.*

MEntes nostras ita condidisti auctor naturæ, ut pronæ ferrentur ad pulchrum, qui affectus amor dicitur. O utinam dignareris oculos nostros aperire, ut cerneremus te unum esse veram, summam, absolutam pulchritudinem: reliqua omnia, etiam quæ nos de forma admiramur, et suspicimus, deformissima esse, si tecum conferantur. Effice Pater, ut hæc, sicut revera sunt, ita et sentiamus, et sint nobis persuasa, quo rebus aliis cunctis pro nihilo habitis, et contemptis, in te uno mens, animus, cogitatus, affectus noster omnis sit defixus.

¶ *Altera pro amore Dei.*

INitium felicitatis est, te optimum amare: absoluta felicitas, tecum optimo ita conjungi, ut unum fiamus tecum; etenim hic est amoris finis. Ergo auspicamur hic nostram beatitudinem in amore tui, absolvimus in cœlo in conjunctione tecum. O Christe amicissime, utinam tanta erga te caritatis corripiamur flamma, ut in te penitus absorpti et consumpti, quemadmodum Pater et tu unum estis, ita simus nos tecum, non jam nos, sed tu; non homines, sed dii quodammodo, quoniam quidem unum cum Deo, quæ est summa et perfecta beatitudo. Deus caritas est: qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.

Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.

¶ *Excursio.*

Rem esse pene incredibilem, ut Deus velit a nobis diligi, ut summus, et Dominus, et fabricator mundi huius postulet, et exigat amicitiam nostram; ut non immerito exclamet Psalmista: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fundasti. ¿Quid est homo, quod memor es ejus?* Nos vero tardi et vecordes ad tantam conjunctionem vel non accedimus omnino, vel lenti, et quasi repugnantes trahimur, et non quamcunque occasionem rebus omnibus prætermissis arripimus. Qui amorem dat, se ipsum dat. Nos damus nosmetipsos rebus nobis inferioribus et vilioribus, quæ vel exitium nobis afferunt, vel certe frustrantur nos, et eludunt; Deo vero minimam nostri partem, et sæpe nullam impartimur, a quo, et in quo sunt bona omnia.

¶ 5 *Pro caritate proximi.*

ILlumina Domine ac edoce mentes nostras, ut unumquicque suo precio æstimemus, nihil pluris faciamus te, quando nihil potest fieri melius te; secundo loco sit nobis homo, quo nihil est in rebus mundi hujus præstabilius; illum secundum te diligamus, sive quia simillimum nostri, sive quia filium tuum, ideoque fratrem nostrum, sive quia destinatum civem communis patriæ, et mutua caritate meditemur jam hic cœlestem illam vitam, a qua procul exulat odium, omnia sunt amoris, ac proinde gaudiorum referta.

¶ *Egressio.*

¿Quanto dignius est amari a nobis similem nobis, et parem, quàm inferius, et dissimillimum? ¿Quanto precio amamus hominem? ita ut Deus cultum et sacrificium suum humanæ benevolentiæ jubeat posthaberi: ¿Quàm dulce amare, et homini congruens? ¿quàm acerbum odisse, quamque ab homine alienum?

¶ 6 *Pro misericordia proximi.*

REmolli cor hoc nostrum Domine, ut necessitatibus et incommodis proximorum non aliter moveamur, quàm si ad nos aut ad res nobis conjunctissimas pertinerent, et carissimis nostris existimemus

mus accidere; misereamur in illis nostri ipsorum, et in communi calamitate communis sit erga alios quoque miseratio, ut qua de causa misereamur nosmetipsos, eadem ipsa moveamur erga illos, quos eisdem videmus adversis premi. O Christe mitissime ac misericordissime, affla nos quæso spiritu mansuetudinis et bonitatis tuæ, ut quemadmodum te misericordia nostri ad cruciatus impulit, et mortem amarissimam, ita nos proximorum miseratio ad eis pro virili succurrendum adducat.

¶ *Egressio.*

¿Quàm contra naturam hominis est odisse? quanto inhumanius non miserari afflictum; quum etiam belluæ irritatæ et sauciæ prostratis parcant, et quæ sensu omni amoris et mansuetudinis carent, misericordiam præstent.

¶ 7 *Adversus mundi vanitatem.*

HEu quibus ludibriis præstigiator hic mundus debiles nostros atque obtusos oculos ludificatur, quales ostentat procul rerum species, ut magna appareant, et expetenda, quæ sunt re vera parva, inania, contemnenda: ut formidanda, in quibus nihil est periculi; fugienda, quæ conveniret appetere; vocat, invitat, allicit, abblanditur: quum hac parum proficit, terret, impetit, vexat. ¡O lux fulgentissima Divinæ veritatis! simul nebulas has discute et dissipa, simul sensus nostros illumina, ne alia devitemus quàm tibi contraria, hoc est plane nobis noxia, et perniciosa; neu alia sequamur vel appetamus quàm solida et vere magna ac pulchra, nempe te unum perennem atque æternum fontem totius bonitatis ac beatitudinis. Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri: exiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini insufflavit in illud.

¶ *Excursio animi.*

¡Quàm cito transvolant omnia! nullum vestigium post se relinquunt, nisi tædium et molestiam; nullius sunt omnino fructus: quàm parum aliis profuerunt, tam tibi proderunt. Qualis fuit vitæ pars transacta, talis erit quæ restat, et pejor in dies vitio ætatis; non tales fecisse Deum has res, sed nos stultitia nostra in usus pravos detorsisse.

Ad-

¶ 8 *Adversus cupiditatem opum.*

¿HUmanæ divitiæ quid queunt nos juvare, nisi tu Pater benignissime tuas in nos effuderis? Aperis tu liberalem manum tuam, et imples omne animal affluentia. ¿Quorsum parantur nobis tam multa, quibus paucissima sunt opus? ¿Quid sumus anxii de futuris, quæ tu præstare potes solus? O institutor et conservator vitæ nostræ, tu qui unico tuo verbo nos finxisti, eodem unico nos sustenta; illustra mentes nostras, ut cognitis umbris te unum concupiscamus, in quo sunt thesauri omnes scientiæ et sapientiæ: tuam gratiam exoptemus, qua una cuncta perseverant, et vita nostra propagatur.

Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.

¶ *Altera.*

¡O Maximam mentium nostrarum cæcitatem! ut noxia tam sollicite expetamus, fugientia persequamur, retineamus invita, quæ nos in exitium nostrum sumus commenti, et dum alimenta quærere nos putamus, illum offendimus, qui nos alit, a quo solo pendet vita nostra, haud aliter quàm tenuissimo filo alligata. ¡O tutor et altor noster! da nostris cordibus ad custodiam legis tuæ curam, ad nos vero alendos securitatem: quandoquidem curam hanc ipse et in te profiteris recipere, et remitti ad te jubes, ne nos de eventu simus solliciti, quem tibi soli reservasti.

¶ *Alia.*

QUoniam tu nos abs te discedentes reliquisti, et necessitates sunt in immensum auctæ, quia procul abs te omnia invalida atque infirma, sine te in nihilum suum recidunt; et quia orbatos nos sensimus tuo præsidio, creverunt necessitatum metus, ex metu autem major necessitatum opinio. Revoca et reduc nos ad te, Pater clementissime: et tanto muniti auxilio, neque necessitates nos impetent, et necessitatum formidines tollentur: ita omni alia cura explicati et soluti, id solum curabimus, ut amicitiam tuam, quantum erit virium nostrarum, conservemus, eamque curam tu ad-

adjuvabis; qui si desis, nihil poterit consistere: et benignitas tua conatibus nostris manum statim porrigere consuevit.

¶ *Alia.*

QUotidiana corporis necessitas animum ad se trahit, ac detrudit. Mitte nobis Pater, cui scimus esse de nobis curam, panem illum quotidianum, quem nos abs te jussit et petere et sperare unicus tuus Christus: da necessariis contentos vivere, supervacanea aspernari, ut nos neque inevitabilis necessitas vincat, neque obruat affluentia. Atque ea ipsa necessaria ita mitte, ne per offensam tui paremus, quam nos graviorem et magis censeamus devitandam, quàm hujusce corporis mortem.

Melius est modicum justo, quàm divitiæ peccatori multæ.

¶ *Alia.*

¿QUo mihi ad tam brevem vitam tantum viaticum? et quo minus restat viæ, hoc viaticum vel solicitius quæro, vel arctius complector. O quanta mihi perit occasio ex ærugine hac non mea, felicissimum mihi et immortalem thesaurum quærendi. Confirma me fortissime Domine, ac corrobora, ut magno animo audeam nihil profutura contemnere, perniciosa rejicere. Fac me, sicut tu admonuisti, ex mammona iniquo parare amicos, qui me recipiant in æterna tabernacula. Transfer cor meum a servitute idolorum ad servitutem tui: cui servire, regnare est: nam divitiis servire, ea est servitus conditionis extremæ. Immitte pro cupidine harum divitiarum, quæ et tempori et injuriæ hominum, et casibus sunt obnoxiæ, cupiditatem tuarum, quæ sempiternæ et inviolabiles semel acceptæ possidentur.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Non tuebuntur nos divitiæ in die ultionis. In imagine pertransibit homo, et frustra conturbatur. Thesaurizat, et nescit cui congregat. Et relinquet alienis divitias suas: et sepulcra eorum, domus illorum in æternum.

¶ *Alia.*

¿QUis est hic furor? ¿quid volo? ¿quid requiro? ut conspectum et verecundiam Dei, caritatem hominum, libertatem meam, quie-

tem

tem animi, vitam, quum hanc temporariam et brevem, tum sempiternam illam, cui sum a Deo conditus, posthabeam ærugini vilissimæ, cujus usus vel nullus futurus est prorsum, vel pravus et noxius. Redde mihi oculos Pater, et fons luminum, da et necessitatibus subventum, et animum acquiescentem præsentibus.

Nihil intulimus in hunc mundum, utique nec sumus quicquam ablaturi. Habentes igitur quibus alamur, et vestiamur, his contenti simus. Magnæ divitiæ sunt pietas, et præsentibus acquiescere.

§ 9 *Contra superbiam.*

¿QUid facit mihi animos? Externa incerta sunt, et ad brevem usuram accommodata. Corpus caducum, putre, fragile, fœtidum: animus pravus, mens cæca. Quicquid habeo meum, malum est; si quid boni, quod est prætenue atque utinam aliquid, id vero alienum est. Tantæ meæ infirmitatis conscius, ¿cur me extollo, cur aliis me antepono certe non pejoribus me? scilicet quia huc me protrudit caro peccato coinquinata, nisi tu feras opem. O Christe in tanta potentia mansuetissime, et in tanta excellentia demisse, ac tua sponte humilis, imparti mihi animum, atque spiritum tuum, ut agnoscam infirmitatem meam malitia fermentatam, et exemplo tui moderatus sim, qui nullam habeo efferendi mei causam; quum ipse tu Dominus cœlorum ac terræ, cui tantum sese licebat extollere, ad infimam te hominum dejectionem submiseris.

§ *Altera.*

O Pater sapientissime atque optime, qui semper excogitas quemadmodum nobis prosis, quum nos semper cogitemus, quemadmodum te offendamus: dedisti humano generi superbissimo, indomito, rebelli, cœleste filii tui exemplum moderationis, atque obedientiæ: converte mentes nostras ad te, atque illud tuum exemplum, ut nos tam demisse nos geramus, mali atque imbecilles, quàm ille optimus atque potentissimus.

§ *Egressio;*

Percurrat homo per ea quæ subdunt ei spiritus; expendat, inspiciat origines, progressus, exitus: intelliget quàm sint levia et indigna, ut de iis nos extollamus. Vera bona in animo sunt, de quo

quo nullus hominum potest judicare, sed solus Deus. Ita superbia ex animi tenebris nascitur, nempe vel hebetudine, vel ruditate, vel inconsiderantia et temeritate.

§ 10 *Contra invidentiam.*

TU Domine repertor et conditor es omnium, tu munerum tuorum distributor, quæ pro immensa tua liberalitate elargiris, nemini non tribuens plusquam meretur, nemini non quantum sufficit: ¿ quæ ergo invidendi causa nobis relinquitur, quando tu omnibus das de tuo, et immerentibus das, et unicuique quod est ad beatitudinem suam satis? Adde pater hoc quoque ad cetera, beneficiorum tuorum judicio et distributione acquiescere; ut pro iis quæ accepimus, agamus gratias. Pro iis quæ in alios contulisti, ne tacite apud nosmetipsos, et sacram tuam voluntatem damnemus, et consilium non investigabile: sed amemus potius et in bonis aliorum tuam munificentiam, qui tam es in omnes benignus, nullius rei egens, a nullo nec accipiens quicquam, nec sperans.

§ *Excursus.*

¡ Quàm vile vitium, et ignobile, quàm inutile! nec tu ideo habes melius, nec invidiosus pejus. Immo tu pejus, qui arroderis præcordiis, et exhauriris toto corpore, nec tamen confiteri audes morbum, considera quid invides, vilia, caduca, brevia, miseranda, potius quàm invidenda.

§ 11 *Contra iram.*

CÆca hæc nostri indulgentia quantum in animos nostros errorum importat, ut injuria existimemus fieri, quod fit justissime; ut in eo aliis denegemus veniam, in quo nos singulis momentis labimur, et venia indigemus, ut nobis ultionem sumamus pueri, dementes, furiosi, injusti; et præripiamus illi, qui solus sapiens est et justus, quem et propter sapientiam nulla res fallit, et propter æquitatem nihil abducit a recto. O Christe mitissime, exemplar moderationis, fons mansuetudinis, aliquid in nos asperge de lenitate ista tua, quo nos imitatione tui conviciis impetiti, injuriis affecti, calumniis et contumeliis oppressi atque afflicti, beneficium tamen pro maleficio rependamus.

¶ *Altera contra iram.*

QUid dignum ira existimari par est, nisi quo lædimur? quum ergo potissima nostri pars sit animus, quo censemur uno; quæ animo illæso possunt adimi, ea vero tamquam nihil ad nos pertineant, negligamus: nec damno ducamus affici nos, seu ablatione fortunarum, seu incommodis corporis, aut doloribus. O Christe secunde Adam, qui conditus es in similitudinem terreni, sed cœlestis, aufer judicium hoc, quod peccatum primi patris nobis indidit: immitte nostris pectoribus tale de rebus judicium, ut lædi probitatem nostram, id demum judicemus malum, atque ira dignum.

¶ *Digressus.*

Quàm alienum vitium a mansuetudine humanæ conditionis, ut in feram videatur degenerare homo: quàm obscurat mentem, ne quid cernat. Et ideo quot malorum causæ, quot dolores adfert, et irato, et aliis permultis, quantam et quàm perpetuam pœnitentiam consilii præfervidi.

¶ 12 *Adversus pravos omnes affectus.*

SUbjeceras nobis auctor providentissime affectus animorum nostrorum, tamquam prava et nequam mancipia. Sed nos peccatum, quod a te separavit, subjecit illis tyrannis impotentibus; merito libertatem, immo dominatum amisimus, dum a te discessimus omnium Domino, cujus unius favore regnabamus. Nunc nos ad te revertentes suscipe Pater mitissime, et a cervicibus nostris tam durum et sævum jugum depelle. Reddat nobis tua bonitas, quæ malitia ademit nostra, ut mens tui simillima in regnum totius hominis reposita, regat juxta præscriptum tuum, quæ in nobis sunt, volentia et libentia, ut subdita tibi mens, subditos sentiat sibi quoscumque pectoris sui motus..

¶ *Excursio.*

Homo ex mente est homo, ex affectionibus brutum: qui ergo juxta mentem vivit, homo est, et ratione utitur, et ea agit quæ sunt digna homine: qui vero juxta affectus, brutum, nec ratione utitur, et ea agit quæ sunt a Deo alienissima, in viliorem

et

et pejorem naturam degenerans. Miserrimæ servitutis vitam deges, si tu sis in manu affectuum: felicissimæ autem libertatis, si illi in manu tua. Hoc est semper et sedulo elaborandum, ut motus nostrorum animorum quàm minimum habeant virium.

§ 13 *Adversus carnem.*

ALligata est caro spiritui, brutum et spurcum ratione prædito; sed ratio præstabat spiritum dominum, in innocentia: nunc scelus a primis parentibus hæreditarium, rebellem carnem dominæ atque imperatrici menti objecit. O si tu Christe, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, restitueres nobis benignitate tua quod nos malitia nostra nobis ipsi detraximus, ut vel pareret rationi rectæ atque incorruptæ caro alacriter ac libenter, vel certe quamlibet belligeraretur et repugnaret, majores essent rectæ rationis vires, et robur potentius, ut id domaret in nobis, ac cogeret, quod duci se ac gubernari indignatur.

Excursio.

Ingratissimum et nequam mancipium corpus quo habetur indulgentius, hoc fit deterius et nequius: plagis, ac dura tractatione emendatur, et fit frugalius; si obsequamur illi, in exitium nos detrudet, avertens a Deo ad terram et putredinem suam. Quàm est pudendum nobis illud certamen, quo mens cum carne, hoc est dominus cum mancipio suo commissus, de victoria et præstantia contendit interdum vincens, plerumque victus; nec potis est servi nequissimi audaciam cohibere, proterviam atque insolentiam retundere, quia nimis illi, et diu, et sæpe indulsit.

¿Quanta fœditas, quàm spurca et obscœna, ut homo obbrutescit, debilitatis fractisque et corporis et ingenii nervis? Quàm momentanea voluptas, tam caro hic empta, tanto in altera vita carius.

Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.

Qui in carne sua seminat, inquit Paulus, *de carne metet corruptionem*: *qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

§ 14 *Contra diabolum.*

JEsu Christe Domine Deus noster, hostis irruit in nos, qui nisi tu subvenias, facile nos et astu suo fallet, et viribus prosternet,

et sævitia dilaniabit. Sed si tu vel procul appareas, qui illum fregisti, solo aspectu tuo perterritum fugabis; dignare nos in tutelam tuam recipere infantes, invalidos, imbecillos, imperitos, ne nos tam truculenta et immanis fera discerpat: crucem vexillum tuum, crucem trophæum tuum, in hac pugna præferimus, ac ostendimus, ut hostis sciat ductu atque auspiciis tuis rem geri.

Per signum sanctæ crucis ab inimicis nostris libera nos Domine Deus noster.

§ *Excursio.*

Hostis noster est, quicquid fingat, quicquid simulet, dissimulet, perniciem nobis machinatur; cavendus est, quicquid vel aperte suadeat, vel clam instillet animo; et circumspectissime agendum, ne qua irrepat et invalescat.

Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.

§ 15 *Contra tentationem.*

QUàm imbecilla arx, et caduca, tot impugnata atque impetita machinis: sed unico tuo Christe robore munita, inexpugnabilis persistet. Fuisti et ipse tentatus, ut eos qui tentantur, scires miserari. Expertus es, quæ jaciantur tormenta; infirmitatem nostram non es expertus, sed neque ignoras. Ne sinas nos oppugnari, quandoquidem tantum subimus discrimen, ne prosternamur. Quod si ita justissimæ voluntati tuæ videatur, ut omnino sit dimicandum, sentiat unusquisque nostrum opem illam, quam Apostolus tuus de te audivit: *Sufficiat tibi gratia mea, nam virtus mea quàm sit valida, in tua infirmitate declaratur.*

O gubernator navis hujus, tam agitatæ et concussæ, ne nos deseras.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et in timore, et præpara animam tuam ad tentationem.

§ *Egressus.*

Nullas habemus vires, ideo quantum possumus, fugiamus pugnam: ne credamus nos periculis, quia sumus tam imbecilli, et imbelles.

Quan-

¡Quanta est dementia inermem et debilem ultro iter appetere inter gladios et tormenta!

Qui amat periculum, peribit in eo.

§ 16 *Pro gratia Dei.*

NAtura nostra fragilis ex se, atque imbecilla, dictu acerbum, quantam a peccato accepit plagam, quantum amisit nervorum ac virium: non attollere se, non insistere, non ingredi valet, sine ope atque auxilio tuo. Neque efficax est, aut cujusquam momenti quicquid seu cogitat, seu extruit humana mens, ni subsit fundamentum favoris tui. Nihil validum est, nisi tua benevolentia opituletur; omnia absque illa ruunt protinus: illa nos purgat, et detergit sordidos, corroborat infirmos, artifices reddit virtutum omnium peritissimos. Obsecramus te Domine, ut ea nobis adsit semper tua gratia, quo nec excogitari potest donum ullum majus, nec tu aliud promptius aut libentius largiris, ac proinde crebrius. Ipsa in nobis efficiat, ut quantum sui indigeamus agnoscentes, et in petenda simus votis assidui, et in conservanda piis operibus soliciti.

§ *Excursio.*

¡Quantum præsidium in solo favore Dei, in quo sunt nobis omnia! Labores nostros omnes irritos esse, si Deo non simus amici et cari; consumuntur enim in rebus inanissimis, et nulla opera, nec cura dignis. Nos vero per delictum fracti prorsum, et debilitati, nihil præstare possumus sine fulcimento gratiæ Dei.

§ 17 *Pro imitatione filii Dei.*

PEr filium tuum Domine ostendisti, quantæ tibi essemus curæ, qui illum dedisti nobis salutis nostræ inventorem perditæ, reparatorem lapsæ, magistrum pietatis, exemplar vitæ, innocentia atque integritate animi, patientia sævissimorum cruciatuum, obsequio tuorum imperiorum. Tribuat hoc nobis tua bonitas, quæ tanta nobis singulis momentis elargitur, ut nos per nomen illius baptizatos et insertos sancto illius corpori, ad incredibilium virtutum illius imitationem aliquam, quantum præstari a nobis poterit, nos componamus, sitque nobis admirabilis ejus vita, exem-

plar

plar cogitatuum atque actionum nostrarum omnium: ut eadem insistentes via qua ille, ad eandem qua ipse perveniamus hæreditatem; et simus, quemadmodum hic membra ejus, ita etiam illic regni cohæredes, felicitatis ejus adoptatione participes, quam ille possidet per naturam.

¶ *Excursio.*

Quanta bonitas Dei, quanta benignitas, et nostri indulgentia; quoniam exempla hominum vel prava erant, vel nos aspernabamur, nec divinam naturam facile est reddere atque exprimere: humanam assumsit Deus nostræ infirmitati parem, quum ad alia multa, tum ut in ea haberemus certissimum et rectissimum exemplum, quod non dubitaremus imitari: et nefas esset non imitari, nempe optimum et exactissimum. Nec est ulla vitæ pars, sive ad minuendam arrogantiam, sive ad consolationem ægritudinum, sive ad actionum directionem, ad quam non inveniamus exemplum, et disciplinam in Christo Jesu.

Venite post me omnes qui laboratis, et onerati estis, et discite a me quòd mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.

¶ 18 *In lætis gratiarum actio.*

SI pro singulis tuis erga nos beneficiis gratias tibi essemus acturi, CHRISTE JESU benignissime, ac beneficentissime, tota esset in eo uno vita consumenda, ut nulla alia de re conveniret nos cogitare; a te sunt læta nostra, a te bona omnia: da nobis Domine hoc et firmiter credere, et sæpe meminisse; sed pro eo quod hoc tempore visum est sacro tuo consilio largiri, ago gratias. Fac, oro te, ut ne lætitia hæc lævis sit remuneratio exigui benefacti, sed potius velut gustus quidam immensæ tuæ lætitiæ, ac felicitatis sempiternæ.

¶ *Egressio ad contemplandum.*

Si nos hæc exhilarant læta, ¿quid illa quorum hoc est velut exemplum ex infimo, et abjectissimo decisum? Et si suavia sunt foris læta, ¿quid lætitia sanæ mentis, nulliusque sibi delicti conscia? Hæc læta, diluta, et brevi peritura: illa læta, solida, sempiterna; ¿quid opus est tanta lætitia in re tam levi, et tam cito peritura, incerto quid posthac sequetur? ne efferaris de rebus caducis.

Pro

§ 19 *Pro acceptis muneribus.*

¿QUid habemus quod à te non acceperimus? immo vero ¿quid sumus, nisi per te? ¿quid staturi, si non manu tua fulciremur? Tu hactenus dignatus es nos conservare, tu mactos tuis sanctis muneribus effecisti quum in corpore, tum (quod optabilius est) mente. Da nobis Domine, non tam agere gratias tibi, quàm habere: hoc est benignitatis ac munificentiæ tuæ erga nos continenter recordari, ut quum nos experiare non ingratos, pergas dona tua in nobis augere, quousque per hæc tua veniamus ad te fontem bonorum omnium perennem, et totius beatitatis.

§ *Altera.*

DOna tua Domine, quoniam à te sunt maximo et uberrimo fonte bonorum omnium, quantumcunque voraginem nostrarum cupiditatum non impleant, non possunt tamen non esse amplissima. Itaque infunde nobis moderationem animi, ut illa accipiamus læti, et gratiam habentes versemur inter ipsa hilari; quoniam ea tu nobis tribuis munificus magnifice parens libenter, sapiens et bonus accommode, et conducibiliter: simus boni ex tuis bonis, ne tua bona malos nos reddant culpa nostra, quemadmodum salutares cibi noxii sunt ægrotis; ne illud abs te exprobrante audiamus, ¿cur te mea bonitas malum facit, et benignitas mea te exasperat? Sed illud potius: *Euge serve bone ac fidelis, qui in modico fuisti fidelis, super multa te constituam.*

§ *Excursio.*

Quàm multa nos singulis momentis a Domino accipimus, et transglutimus sine sensu, sine grata recordatione, nihil damus aut quàm minimum iis, quibus ille vult dari de suo. Si propter hæc munuscula bonus Dominus, ¿quid propter magna illa, et vere ipso ac nobis digna? Sed consideremus rationem largiendi, qua ille utitur, ut verius magisque ex animo habeamus gratiam; utar Annei Senecæ verbis: *Non voluntatem tantum juvandi habet, sed cupiditatem; accipere videtur beneficium, qui dat; largitur autem tamquam non recepturus; recipit tamquam ipse non idem ipsum dederit; occasionem, qua prodesse possit, et occupat, et quærit.*

Pro

§ 20 *Pro recte factis.*

NOs nutu carnis nostræ in præceps ferremur procul a te, hoc est ad vitia, et extrema nostra mala. Tu nos erigis jacentes, tu illustras tenebris obrutos ac oppressos, aperis clausos oculos, et non raro cæcos. Tu addis animum, et suggeris facultatem, ut agamus quæ tibi placent: id est quæ nobis conducunt. Tuum est id munus, tibi acceptum referendum. Agimus tibi, et habemus gratiam, qui nos sponte nostra malos, bonitate tua dignatus es adjuvare atque instruere, ut aliquid ageremus boni.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

§ *Excursus.*

Nos malos, et in malitiam pronos, Deus docet bonitatem: admonet, ducit, stimulat, impellit, reducit, retrahit; ¿quis pater tantum indulget filio unico? ¿quid nobis in virtute arrogamus? ¿nostrum in ea opus quantulum est? pene nihil: scilicet non aspernari, recipere et admittere animo, ac voluntate, quæ ille largitur; et tamen ea ipsa, quorum ipse est auctor et tributor, tamquam nobis accepta refert, et sua ipsius munera remuneratur. ¿Quantum illi debemus quia dat? quantum vero, quia quæ dat, tamquam si ipsi daremus, tam ingenti præmio compensat, quin etiam hoc ipsum agnoscere tantum Dei beneficium grato animo, Dei munus est.

§ 21 *Contra hypocrisim.*

OPera humana omnia ¿quid aliud esse possunt, quàm qualis est quisque hominum, ineptus, vanus, puerilis? ¿Quanto vaniora, si ad eam conferantur æternitatem beatitudinis, qua tu pater munificentissime illa ipsa opera remuneraris? sicut Apostolus tuus dicit: *Non sunt condignæ afflictiones ævi hujus ventura ista tua beatitate*; sed tua bonitas et amor erga nos efficit, ut aliquo habeas in precio quæ alioqui ex se nihil habent, et præmium proponas incredibile. ¡O quanta cæcitas mentis, quis furor animi! ut opera nostra, quæ tu tanti facis, quibus nos parare possumus regnum immortalis beatitudinis, convertamus ad quæstum rerum momen-

ta-

tanearum, vilissimarum, inanium, velut pecuniæ, laudis, existimationis: et qui servientes tuis unius oculis maxima cum mercede possumus operari, serviamus humanis oculis frustra. O Christe bonitas vera, solida, sine simulatione et ambitione, inspira nobis eam mentem, ut tibi uni velimus nos approbare, nec alium spectatorem et judicem quæramus nostrarum actionum, nec curemus.

§ 22 *Ad tristia.*

VIta hæc nostra peregrinatio est ad patriam ab exilio, hoc est ad te beatitudinem ab omni miseria quæ longissime recessit a te. Ac ne detineat nos dulcedo, vel amœnitas viæ, quo minus ad te recta et celeriter contendamus, excitas nos stimulis, pungis spinis, ut concupiscamus requiem, et finem itineris. Sunt ergo morbi, fletus, luctus, mœror, denique adversa omnia, velut calcaria, quîs urgetur segnis iste equus, vel verius asinus, ne velit semper in via subsistere. Fac nos Domine oblivisci viæ, meminisse patriæ: et si adjicis pondus adversorum, adde etiam robur, quo nec succumbamus oneri, sed fortiter portemus, ad te perpetuo intenti et erecti. Ceterum tua sunt Domine omnia, fac de omnibus sine exceptione quod inscrutabili tuo consilio cordi fuerit; hoc demto ne me tibi inimicum esse patiaris.

§ *Altera.*

TUum est Domine oraculum, visitare te, ac castigare quos diligis; ¿quid potest nobis contingere felicius quàm ut tu velis paternam erga nos curam exercere, eamque ostendas nobis signis evidentissimis? ¿quid potest tanto beneficio comparari, ut te adeo tangat cura nostri, qui per nos ipsos pene nihil sumus, ad te vero collati plane nihil? non minus debere nos sentimus pro hoc munere, quo nos a vitiis subducis, quàm quum læta concedebas, quibus et tui et nostri ipsorum non raro obliviscebamur. Oramus te Pater optime et clementissime, ut pergas nos paterno affectu ad virtutem instituere ac erudire; tollas per quæ fimus pejores: tribuas sane adversa, si per illa tamquam per amaram medicinam sumus purgandi, modo etiam efficiat in nobis tua gratia, ut ad-

monitiones hæ a quo veniant, et cui sint usui agnoscamus, ne nobis per ignorantiam tam utilis rei fructus pereat.

Non sunt dignæ res tristes ævi hujus ventura illa beatitudine, quæ manifestabitur in nobis.

§ *Excursio.*

Nihil est, quocunque te vertas, quod non sit in vita hac grave ac molestum, etiam ipsa quæ jucundissima, quæ oblectamenta nuncupantur, possessiones, pecuniæ, opes, dignitates, fama, gloria, liberi, voluptates. Si levamen ex his rebus petimus, est lutum luto purgare, et ardentissimum caminum sulphure, aut oleo velle extinguere, inferius pungunt omnia, et solicitant: in Deo quies certa, et vera, ubi bona omnia sine termino, sine mixtione contrarii.

§ *Altera excursio.*

Judicium nostrum falsum, quoniam non ex mente recte instituta judicamus, sed ex affectu ignaro et pravo. Quod si res omnes ex fine et usu censendæ sunt, non res sunt adversæ et tristes, quæ lætissimos habent exitus, vel saluberrimos effectus, ut morbus, et inopia, et ignominia; per quæ fimus meliores, hoc est amiciores Deo, maximoque in posterum sunt bono.

§ 23 *Ad omnia vitæ hujus incommoda.*

CONdideras tu quidem nos auctor naturæ rectos, simplices, sinceros, integros: collocaveras in via latissima ac rectissima, qua placide ingrederemur et perveniremus ad te. Nos vero ultro digressi ad avia, miseris calamitatum ambagibus nos implicuimus. Et quoniam abs te recessimus, qui unus es nostrum bonum, in varia et multiplicia mala corruimus. Attenuatum et debilitatum corpus nostrum etiam levissima et minutissima ferre non potest: irritati et efferati affectus statim ad reclamandum et resistendum rationi consurgunt. Eo devenimus, ut nulla humana solertia ad cavendum sufficiat, nulla vis ad propugnandum valeat. Nos quidem nobis ipsi accersimus tanta hæc mala, et manibus nostris sumus fabricati. Sed in culpa nostra ad te, ut solemus, accurrimus, ut tu morbis medearis, quos ipsi fecimus: quæ nos depravavimus, tu corrigas: quæ corrupimus, instaures. Nos destructores, tu cons-

truc-

tructor: nos sævi et crudeles adversum nosmetipsos, tu mitis, misericors, clemens. O Christe beneficentissime, et collapsæ naturæ reparator, fer opem, et vel in priorem illam reducito viam tutissimam, a qua aberravimus: vel avia hæc salebrosa et durissima explana, et faciliora redde.

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum.

§ 24 *In morbo.*

OBliti sortis mortalitatis nostræ, admonemur Domine abs te per infirmitatem nostri corporis, quæ est velut accessus quidam ad finem: docemur patienter ferre incommoda, et assuescimus non tam carum habere hoc corpus, unde tot nobis existunt dolores, atque acerbitates. Da nostris animis eam mentem, ut quemadmodum læti ac alacres sanitatem e tua manu accipimus, ita quos tu morbos nobis mittis, æquo animo perferamus: nec minus persuasum sit nobis, quàm sancto Job, esse afflictiones de manu tua bono animo tolerandas, qui res prosperas libenter accipimus te largiente.

§ *Excursio.*

Affligitur quidem et debilitatur animus in morbo, confirmatur autem et roboratur mens prudentia et sano judicio, quoniam in se ipsam redit corpore invalido, quæ temere vagabatur sano corpore, et quasi aqua illa cogitationum effusa et sparsa in alveum cogitur ægrotatione. Illud quoque in damnis corporis reputandum, quod est apud Apostolum: *Servatorem de cœlis expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

§ 25 *Mulier prægnans.*

IN omnibus tuis operibus quàm relucet Domine tua sapientia, et potentia? quanto vero sunt illæ et perspicuæ magis, et admirabiles in formatione hominis, ex quàm parvis initiis, quantum et quàm admirandum animal infusa in illud mente ex cœlesti origine, ut eodem cupiat semper reverti, tamquam in patriam. Quòd me dignatus es facere officinam tam insignis operis, habeo gratiam: et precor, ut qui facultatem dedisti concipiendi, præ-

breas ad perfectionem fœtus vires, quo gestare possim incolumis, et parere. Tua quidem bonitas Pater optime, facile nobis instituerat hoc opus enitendi ad propagandum humanum genus, sed peccatum nostrum fecit ærumnosum, et periculi plenum. O artifex clementissime reficiat tua clementia, quod delictum corrupit: et vel detrahe de labore, ut non sit opus tot viribus, tanta sedulitate ac industria: vel auge vires, animum, mentem, quibus facile laborem omnem superemus.

¶ 26 *Pro sanitate corporis.*

VEra atque unica est salus, id valere in nobis, quod nostri est pars potissima, tuique Domine simillima: hoc est fieri eam, quoad ejus perfici queat, cultu atque amore vicinam conjunctamque tibi, qui solus es salus nostra. Sed ea ipsa mens, quatenus corpori est annexa, sentit illius affectiones, atque eis commovetur. Pharmaca, et medicinæ omnes, ex jussu tuo ac nutu prosunt: superflua atque inania futura, nisi tu annueris, et illorum et naturæ universæ opifex. Voluntas tua unica auctor est vitæ ac mortis, valetudinis prosperæ et adversæ, quam tu sæpius immittis nobis propter castigandum et cohibendum corpus hoc, effundens se in libidinem rerum omnium projectissimam, veluti belluam immanem ac effrenem, quod viribus et felici habitudine, oblivione nos obruit veræ salutis. Da pater, ut recte valeamus corpore, quo integra et sana sit mens. Aut si bene esse corpori non est e re nosrra, tribue saltem fortem animum, præbe vires ac robur, ut morbum possimus tolerare, ne corporis dolor atque infirmitas in ipsam mentem redundet.

¶ *Egressio.*

Occasio præclarorum operum, quam nos sinimus e manibus elabi, sine fructu, et sine sensu; nec deprehendimus nos vivere, sed vixisse. Quàm simus quotidie differendo minus apti, et habiles ad res necessarias, nempe vel segnitie indurati, vel inutilibus occupationibus detorti.

¶ 27 *Pro sana mente.*

PRopheta quidam tuus Domine dixit: *Excæca cor populi hujus, ut*

ut videntes non videant, audientes non audiant. O lux et doctrina nostra, ne a nobis discedas, ne nos deseras, duc ad te volentes, trahe reluctantes, quales plerique nostrum sumus. Nos vero simus ne cæci an cernamus, equidem haud scio. Certe in apertum ac manifestum exitium luce media, videntes, vigilantes, prudentes ruimus. Vadimus ultro quo non expedit, et quod facimus damnamus, nec tamen sistimus; adeo nos ludificatur caro: deprimit grave hoc onus, avertit abs te peccatum. Itaque, quod video bonum aspernor, et fugio; quod video malum sequor: ¿qui gemitus, quæ suspira iis, qui tantam infelicitatem sentiunt? Profluvia aquarum effuderunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Miserum me, ¿quis me liberabit e corpore hoc mortis? Beneficium Domine favoris tui, quem nobis assiduo impendis larga manu per caritatem filii tui Jesu Christi. O maxime medice, tantum hunc animi morbum, et tam pene deploratum, sana tu qui solus potes.

¶ *Digressus.*

Dicunt vulgo fortunas omnes non esse cum sanitate corporis comparandas: satius esse carere quovis alio sensu, quàm visu: nihil esse miserius, quàm orbari luminibus, et merito dicunt. Quod si præcipua et vera hominis pars est animus, et in animo mens, ut propemodum ea sola mereatur dici homo: ¿quantum erit sanam esse mentem, hoc est bene institutam valente ratione, solidam judicio, recte et sane statuentem de rebus? ¿Quantum erit illo oculo acute cernere? ut nihil miserius, quàm caligo ac tenebræ illius.

¶ 28 *Pro Ecclesia sancta catholica.*

O Amicissime nostri Christe, o sponse, cui est unice cara tua Ecclesia, quique pollicitus es te illi numquam defuturum, auge eam, et fac lætissimam bona sobole patris simillima, nempe tui; fac nos omnes idem et de te sentire, et in te: ut simus vere unum corpus illud, cujus tu es caput, conglutinati et compacti caritate mutua, de tuo illo perpetuo igne accensa: qui ita nos amasti, ut sanguinem et vitam tuam pro nobis impenderes. O Christe, auctor et suasor caritatis, pacis, benevolentiæ, emolli duris-

si-

sima nostra pectora, et plane ferrea, calefac corda nostra glacie concreta et durata, ut mutuo bene cupiamus; quo agnoscant omnes discipulos tuos esse nos, et jam nunc incipiamus vitam illam cœlestem exprimere, in qua nulla est dissensio, nullum odium, sed pax et amor omnium inter omnes.

¶ 29 *Pro pace et coadunatione populi Christiani.*

UNum corpus est Ecclesia, a Christo capite per membra omnia descripta, et coagmentata compagine caritatis mutuæ membrorum inter se, et cum ipso capite, grande mysterium divinæ bonitatis. O caput, o parens noster, tibi uni eæ suppetunt vires, quibus quodcunque cordi tibi fuerit perficias. Congrega nos dispersos, conjunge tot opinionibus dissidentes, dissectosque. Uni quos odia et inimicitiæ reddunt diversissimos: fac ut nos omnes qui baptismate nominis tui regeniti atque innovati sumus, vere in unum corpus coeamus dignum te tanto capite, quo vel fingi nihil potest melius aut majus: unum sentiamus omnes, unum sapiamus, nempe te unum Deum omnipotentem, et nostri benevolentissimum, hominem mansuetissimum, affixum cruci propter scelera nostra, redemptorem humani generis, instauratorem mundi universi. Seda Domine tot fluctus, quibus navigium hoc tuum tam varie impetitur et concutitur. Expergiscere Christe Jesu, serva nos, quia instat atque urget naufragium atrox: nullæ jam hominum vires, nulla sapientia, nullæ opes possunt opem ferre, nulla restat remedii spes, solus aspectus tuus propitius procellam hanc sævissimam serenare potest, et tranquillare.

¶ *Egressio.*

Quantum bonum est caritas, et conjunctio, et pax, tantum malum dissensio: unde odium. Illius auctor Deus, hujus autem dæmon. ¿Quid potest fingi beatius, quàm ecclesiam terrestrem imitari concordiam cœlestis? nihil miserius contrario, quæ est imago inferni.

¶ 30 *Pro iis qui nos regunt.*

REgentium omnium tu es solus Domine exemplar, quod æmulentur, quod studeant referre; quippe qui es optimus, ac sapien-

tis-

tissimus, eaque de causa nec errare potes, nec alia facere quàm bona. Eos Christe, quos tuo loco regendis tuis populis, tamquam ovium pastores dedisti, lumine tuæ claritatis illustra, igne tui amoris accende, ut luce præeunte quæ sunt optima videant, et amore sancto incensi ea concupiscant, in teque unum semper intenti, non quod ipsis collibitum sit sequantur, sed quod tu præcepisti, omniaque sua ad te propositum exemplar dirigant, ut et ipsi probe fungantur munere abs te mandato, et nos sub illis quietam piamque vitam transigamus.

¶ *Digressio.*

Ii sunt inter nos, quod clavus in navi, quod cuique oculus in corpore, mens in animo. Ideo favendum eis ope, auxilio, votis: et optandum, ut sint sapientes, optimi, non aliter quàm menti nostræ et oculis. Multum utilitatis ad res pulcherrimas adferunt boni principes, multum lædunt mali; sub bonis principibus virtus, et bonæ artes omnes vigent: sub malis jacent hæ, regnant vitia et scelesta facinora. Deinde quantum onus sustinent bene administrandi cœtus hominum, cujus reddituri sunt Deo rationem, quum nos illius curæ ac periculi immunes simus. Ideo ope, opera, cura, consilio adjuvandi, tum etiam prosperis ominationibus apud Dominum, ut is adsit illis propitius, et dexter.

¶ 31 *Ad concionem iturus.*

IN tantis nostris tenebris, variis tu modis Domine lucem tuam præfers nobis ac ostendis: sed nusquam efficacius ac copiosius, quàm per Apostolos tuos, et eos qui eorum muneri successerunt. *Messis quidem magna, et ampla,* ut tu ipse dixisti; *operarii autem pauci.* Plerique omnes ignari, plerique cæci in caligine: qui vere doceant, sicut oportet, paucissimi. Rogamus te Domine messis, ut mittas operas in messem tuam: mitte Domine doctores ad nos abs te edoctos, et spiritu sapientiæ ac bonitatis tuæ instructos, ut non se ac res suas, sed te unum et prædicare velint, quia boni, et sciant, quia sapientes. Largire huic de sapientiæ tuæ thesauris quod in nos ad salutem nostram transfundat. In nobis vero aperi cordis nostri fenestras, ut lumen tuum sanctissimum et saluberrimum admittamus: et quod in nos inciderit bonum semen,

ne

ne præfocetur sentibus, neu exarescat siti, nec diripiatur ab avibus cœli, sed germinet in terra bona, et ad frugem uberrimam perveniat.

¶ 32 *Pro fratribus in calamitatte positis.*

VItam hanc singulis pene momentis experimur calamitatibus refertam, quæ unicuique vel ex carne peccati suppullulant, vel ex malitia sua, aut aliena. In hoc quoque indulge nobis Pater indulgentissime, ne ad res nostras tristes ex amicorum adversis accedat tristitia. Exime illos e calamitate, ut et ipsis quietioribus cogitare de te vacet, et nos munere tuo non parva solicitudinis levemur parte. Quod si hoc vel illis non expedit, vel nobis (nam quid cuique expediat tu nostri solus) at certe da illis vires in animo, firmitatem in corpore, quo res duras et graves facilius valeant perferre, ne corpore sint impares dolori, neu animis succumbat ægritudini; unde vel per impatientiam, vel per desperationem aliquid faciant, dicant, cogitent, parum tibi gratum, ipsis pestiferum.

¶ *Egresio.*

Aliena calamitas exemplum est nostræ; cuique enim potest contingere, quod uni alicui: et nos similibus casibus sumus obnoxii, qui eisdem constituti elementis inter eadem pericula versamur; ideo miserendum illorum, et orare debemus pro eis memores nostri, ut talem illi sentiant Deum erga se, qualem ipsi vellemus erga nos.

¶ 33 *Pro egenis.*

INtricati et distenti necessitatibus hujus corporis, nec tui Domine meminisse possunt: et non assecuti quod tam valide cupiunt, dejiciunt ac despondent animos in ægritudinem. Miserere illorum Pater mitissime, et incredibili tua opulentia subleva eorum miseriam, ut semota necessitate adeo premente, ad te possint mente consurgere. Tu quidem Domine largissima et benignissima tua manu cunctis prospicis, nos tua munera de bonitate ac munificentia tua communia, malitia et diffidentia nostra reddimus privata et propria. Corrige tu quod nostra læsit iniquitas: suppleat boni-

nitas tua quod nostra malitia subtraxit. Præbe cibum famelicis, potum sitientibus, solare mœstos, confirma territos, corrobora debiles, libera captivos, adde spem et animum desperatis. O Pater misericordiarum miserare tantam miseriam. O fons bonorum omnium, et totius beatitudinis, vel gutta una istius tuæ aquæ tam varias, multiplices et magnas miserias nostras elue.

¶ *Excursus.*

Nulli debet Deus; quod uni dat, omnibus dat per illum. Nos pejus inter nos vivimus, quàm belluæ, qui bona ad usum omnium a Deo condita et proposita occupamus, et recondimus, nec sublevamus necessitates, quas in fratribus nostris videmus. Adjuva tu pro tua parte, de reliquo ora Dominum ut ferat opem; miserere tum egestatis inopum, tum crudelitatis eorum qui nesciunt in tanta calamitate proximorum miserescere: utrique enim miseri sunt, et misericordiæ indigui.

¶ 34 *Pro iis qui nobis male volunt.*

JUssisti nos pro iis orare te, Pater mitissime, qui nobis et male cupiunt, et quatenus possunt, male faciunt: idque tu non verbis solum, sed factis etiam tuis sanxisti ad imitationem nobis propositis. Oramus te ut spiritum nobis infundas tuæ mansuetudinis, quo inimicorum et malevolentiam et maledicentiam et maleficia patienter toleremus, sicuti et fecisse te accepimus, et quotidie facere animadvertimus: nec opere reponamus injuriam, nec verbis ultionem usurpemus, nec optemus animo et cogitatione; tantumque a vindicta absimus, ut etiam commodemus illis, adjuvemusque eos, quantum sit virium nostrarum, illisque optima cupiamus, et precemur, et a te petamus ut eis bonam mentem tribuas, quæque ipse nosti utilia illis fore ac salutaria: ut vere filii tui simus, qui non probis modo ac gratis, verum ingratis quoque et scelestissimis beneficentiam tuam impartis, ut germani simus discipuli tui, qui Patrem tuum orasti ut injustissimis carnificibus tuis ignosceret.

¶ *Altera.*

MAnsuetissime et clementissime Pater, qui nihil odisti eorum

quæ creasti, qui sustines et suffers hominum delicta, dissimulans ea propter pœnitentiam, etiam atque etiam te precamur supplices, ut inimicis nostris ea largiaris plena manu, quæ scis illis profutura: in primis vero sanam atque integram mentem, qua noscant te, et quærant vera caritate ac toto pectore; nos autem filios tuos diligant tua causa, ne illos odium nostri lædat, neve nos quodammodo nocumento illis simus, qui nequam et imbecilles adjumento esse non possumus; ne perdas illos Pater propter odium nostri, sed serva propter preces nostras: emendationem illorum cupimus Domine, non ultionem; ne separes illos a nobis supplicio, sed conjunge et coaduna clementia; et quandoquidem nos omnes uni civitati æternæ destinamur cives, jam hic per amorem mutuum incipiamus eam viam ingredi, quæ recta illuc perducit.

¶ *Digressus.*

Malitia aliena ne reddat nos malos, neu quia ille est æger, qui te odit, velis tu item æger esse; qui te odit, quia es filius Dei, filium Dei odit: ¿quo quid potest esse miserabilius? quàm crudelis es, si tantam ei calamitatem optas, vel ea gaudes.

¶ 35 *Pro fratribus vita functis.*

AMicissime ac benignissime Christe, qui ades tibi fidentibus, et illos ab omni eximis periculo, cujus miserationes et infinita bonitas universa hominum scelera exuperat: quæ omnia si quis in clementiam tuam conjiciat, velut igne validissimo consumentur; animos fratrum nostrorum corpore solutos maculis deterge, quæ illis ex vitæ hujus actionibus adhæserunt. Frigus eorum, quod illos a te arcet ac separat, sanctissimo caritatis tuæ igne dispelle; ure atque accende illos flammis tuis, ut emundati, ac perpurgati celerrime ad te revolent, tecumque ad sempiternam beatitudinem uniantur.

¶ *Excursio.*

Quàm grave et laboriosum differri spem, et quod valde cupias non assequi: sic illis asperrimum est spem suam prolatari et arceri ab eo bono, quod ipsi supra quàm credi possit, desiderant; quàm cupiunt et implorant opem omnium, quotquot ferre

re possunt: adjuvemus nos eos, quando alia re nequimus, certe votis nostris, et faustis ominationibus.

¶ 36 *De morte.*

¿QUid agimus aliud quotidie in vita, quàm delictis delicta accumulare, facinoribus facinora aggravare? ut pejor sit semper posterior dies priore; augemus offensarum cumulum, et indignationem contra nos. Elapsi vero ex hac corporis custodia, si semel nos ad contubernium tuum receperis, securi erimus de immortalitate salutis; non pervenient ad nos morbi, egestas, labor; non, quod horribilius est, animi vitia quæ absunt procul a cœlis omnia. Admove Pater fidei lumen, ne in rebus verissimis titubemus; da caritatem tui, per quam istuc venitur; confirma per caritatem fiduciam, quæ vicissim incrementa sæpe præbet caritati, nosque in exequendis piis operibus fulcit, ac corroborat. Et quoniam quidem statio hæc nostra, constitutaque ad grande præmium militia morte finitur, nosque ignari sumus futurorum; tu qui illa pernosti, eo me potissimum tempore hinc evoca, quo maxime conducat exire de vita.

¶ *Egressio.*

Cogitatione mortis velut tenebræ obvolvuntur animis, et opprimimur, quia solam corporis noctem in mentem revocamus obliti lucis animi, et resurrectionis. Sed si, quæ postea bona sequuntur, vera et certa fide consideremus, transitus ille a calamitate ad felicitatem levior nobis erit, atque optabilior; haud aliter quàm medicina quæ reddit vitam; et partus, quo infans in amplam hanc mundi lucem prodit ex gurgustiolo ventris.

¶ 37 *Pro desiderio alterius vitæ.*

CArcer est animi hoc corpus, et quidem obscurissimum ac teterrimum: orbis exilium, vita ærumnæ, ac miseria; ubi tu es Domine, patria et libertas, et beatitudo sempiterna. Vellica subinde mentes nostras ad recordationem tantæ felicitatis, instilla nostris pectoribus rerum optimarum desiderium, ac proinde maxime expetendarum, præbe tranquillitati mentis gustum jam nunc aliquem tuorum gaudiorum, per quem sordeant et fastidio sint no-

bis ista, in quæ tanto impetu ruimus, quæ nacti consertis brachiis amplectimur, compressis manibus retinemus, ut aversati atque aspernantes hæc tam aspera et amara, nihil æque concupiscamus ac dulcedinem tuæ familiaritatis, sub qua una bona omnia continentur.

¶ *Egressio.*

In altera vita non unum aliquod bonum cogitandum, quo fruamur, ut in hac: sed omnia, et pariter, quæcunque et cogitari, et non cogitari possunt; quoniam Deus est quo fruemur, qui unus est universa: amor vero nos faciet unum cum Deo, ita velut dii quidam erimus. ¿O quando erit finis afflictionis hujus, initium illius lætitiæ? ¿quando desinam vivere cum malis, cum odiosis, molestis, inimicis? incipiam vivere cum commodissimo, optimo, et amantissimo mei Christo.

¶ 38 *Ad Angelum custodem.*

QUantum debeo communi nostro Domino, et parenti, qui te mihi dedit, ut duceres videns cæcum, sapiens stultum, fortis imbecillem, gnarus viæ ignarum, et quidem inter tot pericula, et præcipitia. O quoties me discriminibus exemisti, quoties in perniciem ruentem servasti. Maximas tibi ago gratias pro eo, quod præstas mihi quotidie. Et vehementer peto, ac obtestor, ut servare me pergas, ac perseveres; abducas a malo, retrahas ad bonum; coge etiam nolentem, adjuva volentem, impelle euntem: denique sic ducito, ut tandem ad beatitudinem perducas, qua tu semper jam frueris: ut quemadmodum hic vel pupillus fui tuus, vel cliens, sim illic civis et socius: gaudeasque, creditum commissumque tuæ curæ tam felici portui appulisse.

¶ *Digressus.*

Cogitemus qui simus ipsi, qui mundus, qui dæmon: investigemus ex quàm multis nos eximunt periculis Angeli nostri: nos cæci, mundus tenebræ, hostis acer, vigilans, astutus, ubique tendens insidias capitales; ¿quis tanta discrimina evaderet, nisi ductus a vidente, ac forti? Quantæ curæ sumus Deo, ut ducem et custodem homini apposuerit Angelum, tanto et natura et conditione status potiorem, præstantiorem, feliciorem homine,

ut

ut quasi hominis ministrum fecerit Angelum. ¿Quis hoc præstitisset nobis, nisi amor, et ex amore miseratio?

¶ 39 *Coram imagine Christi crucifixi.*

¿CUjus hominis imaginem intueor toto corpore sanguinolenti, undique liventis vibicibus, undique tumentis et concussi, capite præ imbecillitate ad humerum pendenti, spinis coronato perforantibus craneum usque ad cerebrum, cruci affixi clavis? ¿quod potuit esse vel hujus tam grave scelus, vel judicis tanta sævities, vel carnificum tam immane facinus, et animus crudelissimus? memoria revolvo, non agnosco quis sit: Christus est. ¿Tu ne es ille speciosus forma præ filiis hominum, in cujus labiis diffusa est gratia, et quidem plenissima Dei manu? ¿Ubi ergo species tua? ¿ubi gratia labiorum? non invenio, non video; nimirum oculi carnei non capiunt tantum mysterium: sume oculos mentis, accede propius ad lucem divinam, et contemplare intentius. Hic est Jesus Dei filius, agnus immaculatus sine scelere, sine flagitio, sine noxa, qui scelus tuum in se recepit, ut tu liberatus et purgatus scelere, in gratiam redires cum Deo, abjectus surgeres, exul reverteteris in patriam, et compos fieres finis, cui eras conditus; quod tu merebaris, hic pertulit: quod tu nunquam valuisses consequi, hic tribuit. ¡O mi redemptor, o vindex, o servator! trahe me ad te, ut hujus tuæ mortis semper memor, hac tua tanta bonitate confisus, indicibili beneficio non ingratus, particeps fiam tanti muneris, ne ingratus et alienus a tuo corpore, frustra sis mihi natus, frustra tot cruciatus sponte tua susceperis, et mortem acerbissimam.

¶ *Altera.*

VIdeo tuum corpus pro animo meo cruci affixum; o si me quoque tecum crucifigeres: si viverem ego, jam non ego, viveres tu in me Christe; ¿quis daret mihi, ut et ipse tecum morerer, quo resurgerem in vitam sempiternam? Tu pro me moreris, ego per te viverem. Crucifixa est caro tua, crucifige tecum Christe regnum carnis, quod in me dominatur, ut exutus priore Adamo, in te secundum Adamum ad novitatem vitæ trans-

for-

former concussa et fracta iniquitate, incredulitate, et tota tyrannide Satanæ; sit mihi per crucem tuam, et jugum tuum mite, et onus leve, ut libens ac lætus sequens te eodem perveniam, quo tu, nempe ad Patrem Deum beatissimum atque immortalem, unde nos deinceps nihil possit separare.

¶ *Alia, de Cruce.*

O Sublimitas obedientiæ, qua caput tuum innumeris cruciatibus, mortique acerbissimæ ac probrosissimæ, quia Patri placuit, subjecisti. O profunditas moderationis, quum Rex et Dominus universorum, infra infimos te homines demisisti. O meridies ardoris tui, solisque nunquam in occasum vergentis, ostende nobis ubi pascis in meridie, ubi arces oves tuas ab omni frigore. O aquilo rerum asperrimarum, in quo fluctus omnes in te redundarunt, utinam transformari liceret nobis in crucem istam, ut habitares Christe per fidem in cordibus nostris radicatis fundatisque in caritate, ut possemus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit crucis tuæ longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum, quæ vires cunctamque mundi sapientiam excedunt.

¶ *Alia.*

ADmirabilem cerno speciem amoris; caput inclinat tua celsitudo, ut nos exaudiri et possimus, et speremus: porrigis osculum ad pacem et reconciliationem, quam tu offensus, læsusque nobis offers ultro, qui fecimus injuriam; expandis ad complexum brachia: ostendis perforatas manus, ut omnia dilargiaris, nihil retineas. Apertum est latus cordis tui, ut illuc nos recipias, si velimus per ostium patens ingredi; fixos habes pedes, ut sciamus nunquam te a nobis recessurum, si ipsi non recesserimus. O Pater noster et Domine, vides duritiam nostri cordis, nedum lentitatem; non satis est nos tam blande, tam dulciter, tam amice allici atque invitari, trahe, rape nos, finge novum cor, et obsequens: nam hoc nostrum lapideum est, nullas sentit blanditias, nulla ingentium bonorum spe movetur.

¶ *Ex-*

¶ *Excursus ad contemplandas afflictiones Christi.*

1 ERat olim homo Deo conjunctus favore, et maximo numinis beneficio erga illum. Avertit vero se a Deo, et nexus ille delicto, velut gladio quodam discissus est: *Peccata vestra,* inquit Isaias, *diviserunt vos a Deo vestro.*

2 Et quoniam a bono discessimus, in omnia mala incidimus quum animi, tum corporis: illud tamen gravissimum et atrocissimum omnium, quod inimici facti sumus Deo.

3 Sed Dei bonitas ultimæ ac deploratissimæ nostræ miseriæ miserta, reconciliatorem ad nos et pacificatorem misit de cœlo Jesum Christum filium suum.

4 Huic Pater dedit mandatum ut causa nostra in se translata et recepta, gravem asperamque vitæ mortisque conditionem, quam noxia nostra merebatur, subiret.

5 Ille et amore nostri eximio, et obsequio atque amore in Patrem incredibili, tam triste et amarum ministerium non æquo solum animo, verum libenti complexus est.

6 Excepit non corpore modo, verum animo quoque, morsus et faces doloris asperitatisque inæstimabiles: ita per ingentes cruciatus et animi mœrorem occisus est agnus purus, immaculatus: resurrexit ad beatitudinem nostram leo fortis et triumphator de tribu Juda.

7 Expendamus singula ad nostras utilitates, ut gratias agamus Patri, et Domino nostro Jesu Christo, ut amore accendamur in tam inenarrabilem bonitatem, et benevolentiam nostri.

8 Nec quicquam possumus gratius Deo facere, quàm filii sui ærumnas ac tormenta ipsi offerre, pia grataque nostra memoria recolendo ac retractando.

9 Hic est salutaris calix, quem nos pro magnis infinitisque acceptis muneribus retribuimus Domino, cum invocatione nominis et auxilii ipsius.

10 Hic est arcus fœderis inter Deum et homines.

11 Hæc arca et propitiatorium legis ac templi.

12 Hic sine magnis involucris significationum serpens ille æneus, in cujus aspectu et meditatione sita est salus letaliter saucijs,

ciis,

ciis, nobis scilicet omnibus, qui inter nepas et viperas quotidie ingredimur, versamur, volutamur.

13 Ne igitur ista leviter aut perfunctorie decurrerimus, sed subinde insistentes, immorantes in singulis beatitudinis nostræ gradibus.

14 Princeps Dei et bonitas et caritas in eo se exeruit, quod carissimum suum tradidit pro inimicis, filium unicum pro servis, optimum pro pessimis ac nequissimis.

15 Neque vero quantum, quamque eximium sit hoc Dei munus, facile quisquam intellexerit, nisi qui reputaverit humanitatem ipsam Christi cariorem esse Deo ceteris omnibus rebus conditis: quod ex æstimatione et precio corporis cujusque nostrum facile fuerit conjicere: *Cuncta enim dabit homo pro vita sua*, sicuti legimus apud Job.

16 Jam quanta Filii mansuetudo, benignitas, amor in Patrem, et ex amore obedientia, ut difficilem provinciam, quam ei Pater imposuerat, subiret: *Ut cognoscat*, inquit, *mundus quod diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quanta caritas erga nos, ut pro nobis mortem oppetierit.

17 Majorem caritatem nemo habet hac, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. ¿Quis non diligat tantam bonitatem? ¿quis non redamet talem amorem?

18 Pro omnibus tales cruciatus et mortem indignissimam obiit Dominus, justus pro injustis, filius pro servis: nos nec pro fratribus nostris, nec pro ipso eodem Domino, cui tantum debemus, non dico mortem, non graves dolores, aut molestias (nam hoc ne audire quidem sustinent aures nostræ delicatæ) sed nec inediam horæ unius, non remissionem injuriæ, non abstinentiam ferremus brevis voluptatulæ, non jacturam exiguæ pecuniæ.

19 Habemus in Christo salutem, reconciliato nobis Patre. Habemus exemplum vitæ, solatium incommodorum, doctrinam formandis moribus: ¿quid amplius dari nobis potuit, aut majus? dicat aliquis si quid addi potuit: sed nemo certe inveniet.

20 Genus mortis illius et tormenta si quis recolat, cuncto profecto corpore et animo cohorrescet, et miseratione censebit dignissima vel in latrone, et seditioso, et incendiario: ¿quanto ma-

magis in ipsa eadem bonitate, unde manat si quam aliquis nostrum habet?

21 Prætereo illa, quæ considerare est ab ipso nato per totam vitam, famem, sitim, algorem, æstum, lassitudinem, fugam, infamiam. Veniamus ad noctem illam, quæ præcessit diem magni mysterii.

22 Proditoris nomen exhorrent et detestantur omnes jure optimo. ¿Quàm miserandum ducimus proditos esse nos a familiaribus, ab amicis, quibus benefecimus? ¿quàm imploramus ad ultionem tanti facinoris fidem deorum atque hominum? At Christus a discipulo est proditus, quem eodem honore, eadem caritate prosecutus fuerat, qua reliquos; et quidem amicum eum vocat quum venditum se ad talem mortem cerneret.

23 Exiguo autem prodi precio auget atrocitatem sceleris. ¿Juda, quanti indicas naturæ Dominum? ¿quanti addicis? triginta denariis, hoc est minus selibra argenti, vix quadrante. At ille quæ cernis, quæque contrectas omnia in tuum omniumque usum protulit, et ipse pro te paratus est non solum metalla terræ universa, sed sanguinem et vitam suam impendere.

24 Vehementer tristis est digressus amicorum, et quidem eo acrior, quum de illo in eorum cœtu inter epulas aut hilaritate quapiam venit in mentem. Dominus noster postremam illam cœnam fecit cum discipulis, quos habebat unice caros, et de transitu suo meminit, et inter dapes et calices quîs esset sibi paratus cibus, quîs calix recordatur, et immane sibi supplicium imminere prædixit, et discipulos deserto magistro fugam capturos, et ex eis non defuturum a quo ejuraretur.

25 ¿Quis erat Domino nostro sensus, quum ex tormentis, quæ se passurum prævidebat, tum ex metu, et fuga, et perturbatione suorum, quibus ille erudiendis et constabiliendis tantum impendisset temporis, tantum operæ insumpsisset?

26 Venit horror noctis et tenebrarum.

27 Nox attributa ad somnum et quietem omnibus animantibus a famula Domini nostri natura, electa est ab inimicis, in qua sensus Domini, impendente tanta vi dolorum, gravius percellerentur. Est in unoquoque nostrum, quod et in Christo Do-

mino, corpus et animus: et in animo pars superior robusta, et fortis, quæ mens dicitur: tum inferior delicata, et mollis, in qua sunt affectus animi; habet ille plusquàm nos omnes divinam naturam. Hæc sublimior est mundo universo, omnipotens, sempiterna; mens quoque rectissima est, et inconcussa, nempe adhærens semper et adfixa divinitati.

28 Corpus, et inferiorem animi partem reliquit Deus expositam assultibus, incursionibus, ictibus, plagis Satanæ, ut tantum ea divexaret, quantum posset; data est ei à Deo potestas: et odium illud dæmonis in Christum inexplebile, quod propugnatione divinitatis erat alligatum, solutum est ut in agnum desæviret. *Hæc est*, inquit Dominus, *hora vestra, et potestas tenebrarum.* Hinc dolores et tormenta, et cruciatus in corpore: in animo vero solicitudo, mœror, pavor, angor, perturbatio et consternatio.

29 Quæque passus sit Dominus noster plusquàm ceteri unquam hominum, quod sensit supra ceteros homines, hoc et caritatem illius docet erga me, et quantum ei debeam ostendit, et ingratitudinis me arguit si non habeam gratiam.

30 ¿Nam quid ille pro me egisset magnum, aut quid illi deberem, si non aliter ictus illos et vulnera corpore suo excepisset, quàm quum aliquis nostrum clypeo, vel thorace impenetrabili?

31 Plurima et maxima sunt quæ debeo Christo, quia ille pro me plurima et acerbissima pertulit.

32 Memetipsum debeo Christo, quia ille semetipsum pro me impendit. Qui emptus est, non suus est, sed alienus, atque eo magis emptoris, quo emptus carius. Nos Christus non emit liberos, sed redemit servos, et redemit se toto. Quod si illius sumus, non jam cogitare debemus quæ nostra sunt, sed quæ ipsius. Tametsi recte expendentibus satis hoc liquet non alia esse illius, quàm nostra: nec aliud nobis expedire, quàm quod illi placet, quæ præcipit, quæ jubet, quæ imperat, omnia propter nos, non propter ipsum.

33 In horto orans dicit tribus discipulis, quos de duodecim elegerat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Homo altior humanitate nostra, cujus omnia solatia erant in colloquiis cum Deo, qui curas suas omnes et cogitationes solitus esset ad Deum solum re-

referre, victus immanitate ægritudinis, discipulis suis conqueritur, et ne ab se discedant, postulat. ¿Ecquando hoc lectum est in ullo alio Christi incommodo? ¿in siti, in lassitudine, in aliis infirmitatibus naturæ? ¿ad alium ne ipse referret sollicitudines suas quàm ad Deum?

34 ¿Quantum ergo existimamus fuisse tunc in Domino nostro pavorem? ¿Ah quis terror erat, quæ confusio animi, quæ contractio, quæ anxietas, quod tædium, quæ æstuatio? ut hæc sola omnes in corpore doloris faces, quantumvis acerbas, superarent.

35 ¿Quæ potest cogitari tristitia et angor animi major, quàm qui sudorem sanguineum exprimit? ¿En unquam hoc fando est de alio auditum?

36 Sed confortatus alloquio Angeli processit ad cohortem satellitum, captus est ac vinctus. ¿Quàm indignum factu est, virum bonum et honestum, vitæque inculpatæ capi publice, et vinciri, et trahi ad causam capitis e vinculis dicendam? at Dominus noster illa est perpessus.

37 Facinus capitale deseri in periculo patrem a filiis, dominum a subditis, magistrum a discipulis, patronum a clientibus; ille in se expertus est omnia: desertus, ejuratus, abnegatus, et quidem ab eo qui conscius tot miraculorum, et ostensæ in monte beatitudinis, et professæ divinitatis filii Dei, negat jurejurando discipulum se illius esse, ac ne nosse quidem illum, damnans eum præjudicio suo, tamquam vir sit nefarius et impius, cujus ipse nec assectator velit esse, nec notus.

38 Tractus est, raptatus est protervitate et petulantia famulorum, stoliditate atque insolentia militari.

39 Sistunt eum non ad unum aliquem judicem, quod ipsum per se satis est odiosum: ¿cui enim reo non molestus sit judicis conspectus, et aversandum tribunal?

40 Et uni quidem judici non desperant multi innocentiam se suam posse approbare: tot vero, et tam diversis ingeniis quis speraverit, quum præsertim quod uni recte factum videatur, damnet alter. Ad absolutionem consentire omnes erat necesse, ad condemnationem vero sufficiebat videri uni illorum.

41 ¿Age quid in homine causæ illis invisæ, magnisque et evidentibus odiorum notis prædamnatæ?

42 In homine tenuis fortunæ, vel nullius potius, sine ope, sine præsidio humano, sine patrocinio cujusquam, ac ne suo quidem ipsius.

43 Latet divinitas, afflicta est humanitas; ipse tamquam agnus ad occisionem ductus est, et quasi ovis coram tondente se obmutuit.

44 Rapitur ergo primum ad Annam, hinc ad Caipham, tum ad Pilatum, inde ad Herodem, ab hoc rursum ad Pilatum; judices omnes vel iniquos affectu, vel de humilitate rei negligentes, ac securos.

45 ¿Quis ferat judicem ipsum descendere ad partes actoris? ¿circumquirere testes, et in reum subornare? Tales fuerunt Pontifices in Dominum nostrum.

46 Exeruit tandem caput vipera calumnia, et mortiferum infixit dentem.

47 Nemo non miseretur patientis calumniam: quisque nostrum miscet cœlum terræ, si sit calumnia impetitus.

48 Dominus noster ad manifestissimum accusationis mendacium tacuit, nec dolor vocem expressit; sed obsequium erga Patrem linguam cohibuit. *Ego vero tamquam surdus non audiebam, et tamquam mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. Posui ori meo custodiam, quum consisteret peccator adversum me: obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.*

49 Juvat et ad rei ipsius pulchritudinem atque honestatem intuendam, et ad regimen nostrorum animorum in rebus difficilibus, contemplari quemadmodum Pontificibus et Pilato responderit. ¿Inter tam confusas voces, inter tam absonos clamores accusantium et deposcentium ipsum in pœnam, in tanta invidiæ ac calumniæ rabie, inter plagas atque ictus, impendente tanti supplicii atrocitate et morte probrosissima, qua moderatione semper est loquutus, quanta sapientia? Non exacerbarunt eum indignissima quæ perpetiebatur, et infanda, ut aliquid ex ejus ore prodiret immodestum, arrogans, durum, insolens, contumeliosum,

ma-

maledicum. Non detraxit judicibus suam auctoritatem, non suam ipsius extulit. Nec fregit ac debilitavit eum tantum pondus ærumnarum, ut in preces, lacrimas, supplicationes sese abjiceret, aliquidque vel ageret humiliter, vel diceret. ¿Quo temperamento est semper usus? ¿qua prudentia in sensis? ¿qua circumspectione in verbis? Quantum satis est respondet, nec amplius, ut dicta ejus neque asperitate aut arrogantia offenderent, neu dejectione vilescerent et sorderent. Dehinc sequuntur fœda denudatio, et flagris concisum corpus, coronatio spinis craneum perforantibus, colaphi, sputa, irrisio, illusio, alia super alia, et omnia simul et pariter.

50 Contemni se, derideri, affici contumelia, ¿quis non indignetur, et quidem a potenti? Herodes cum cohorte sua, et amicorum et prætoria, Dominum sprevit, et talem regno suo destinari pro nihilo habuit, ac risit, eumque in contumeliam regalis nominis purpura jussit indui, quod est regium insigne, ut contemptibilius esset illius supplicium, qui regio cultu indutus raperetur ad crucem.

51 ¿Ecquis unquam audierat, aut viderat Dominum nostrum petere, aut affectare regiam potentiam? ¿quis de illa unquam loqui? Recidunt in invidiam ejus quæ dixerunt aut fecerunt alii.

52 ¿Quàm enim præter dignitatem et decentiam illius fuisset, ut de regno Judaico aut Herodis tetrarchia verbum ullum is faceret, cui Pater cœli ac terræ dedisset principatum?

53 ¿Jam illud quàm plenum extremæ ac intolerabilis indignitatis præferri Domino cœlorum ac terræ Barabbam latronem, sicarium, seditiosum? ut illum Judæus populus mallet salvum esse, quàm Jesum.

54 ¿At quis populus? mitto quàm indulgenter acceptus habitusque a Patre Domini nostri, ¿sed quomodo ab ipso eodem Christo?

55 Ingratitudinem omnes maximi sceleris loco ponunt, adeo ut (quemadmodum sapienter quidam arbitrantur) non sit huic tanto crimini pœna legibus constituta, quod majus sit quàm ut ab homine possit vindicari: ad ultionem Dei remittitur.

56 Ubi quis aliquem in se expertus est ingratum, audire est

vo-

vociferationem et clamores, rumpi præ iracundia et indignatione, execrari eos qui benefaciant, dejerare se nunquam ulli commodaturum; ¿quod tandem ob beneficium? paulum pecuniæ datum, aut remissum, exceptum aliquoties prandio vel cœna, donatam tunicam vel pallium, aut aliquid ejus notæ.

57 Populus Judaicus quæ a Domino nostro acceperit beneficia, ¿quis valeat recensere? In corpore pastus est cibo novo et suavissimo; bibit vinum ex aqua factum exquisitissimi saporis: tot inter illos sanati a cæcitate, a surditate, a lepra, a paralysi, a febribus, a morbis deploratis, revocati a morte ad vitam, liberati a dominio et horribili vexatione noxiorum dæmonum: filii, fratres, propinqui, necessarii efflagitantium ad crucem, et fortasse inter ipsos eosdem aliqui, adeo beneficia Christi late patebant.

58 Sed in animo certe, acceperunt omnes doctrinam sanam, veram declarationem legis obscurissimæ: illustratæ sunt illorum tenebræ, annuntiatum regnum cœlorum; et hæc omnia gratis ac libenter, et Judæis solis, tamquam filiis et fratribus; nam nec ipse unquam Dominus prædicavit nationibus, nec passus est suos ante resurrectionem suam ad illas adire, ut tam egregium et singulare beneficium solius Judeæ limitibus clauderetur.

59 ¿Horum omnium compensatio quæ tandem erit? Agatur in crucem, et moriatur qui vitam, qui salutem plurimis attulit: solvatur Barabbas, vivat latro, pergat occidere, et concitare civitatem. ¡O mentes cæcas, in exitium suum cursu ruentes!

60 Prodit Jesus, crucem humeris suis bajulans, hoc est trophæum fixurus victoriæ sempiternæ.

61 Etiam latrones, qui maria et terras infestarunt, qui multos abduxerunt captivos, multos jugularunt, quum ad extremum supplicium trahuntur, parcitur eorum infirmitati, sublevatur lassitudo, porrigitur sitientibus optimum quod sit ad manum poculentum. Dominus noster defatigatus raptatur, truditur, impellitur, conculcatur, sitit, et datur ei acetum.

62 Erigitur patibulum grande Angelis et hominibus futurum spectaculum, in quod sustollatur humani generis salus, ut non unius civitatis mœnibus, sed per gentes se omnes possit diffundere; attollitur sublimis, ut ad universa sciant omnes eam salutem perti-

ti-

tinere, tum alta, tum humilia, quo et hæc ascendant ad illa, et illa istis adæquentur.

63 Expansa brachia, protensa et protracta crura suspenduntur in cruce, manus et pedes clavis acerbissimis configuntur.

64 ¿Quis vel cogitatione possit assequi, quanta sit dolorum immanitas et sævitia, volis manuum et pedum transfixis clavis? quanto major, pendente et innixa mole universi corporis in manus et pedes sic affectos.

65 Accesserunt corpori ad eum modum excarnificato ægritudines animi non paucæ, nec sane exiles.

66 Delectus est ad supplicium illius dies festus et celebritas Judæorum, quo hilares Judæi ac læti ferias suas agerent, ipse vero in publica lætitia affligeretur; et quo die aliis parcitur, accusaretur, atque impeteretur: tum eriperetur ei vita, quando aliis donatur.

67 Expectatum est tempus, quo ex orbe toto confluerent Judæi ad celebrationem Paschæ, ut spectaculum necis Christi esset frequentius.

68 Ibi occurrebat animo illius, se qui paucis ante diebus receptus esset tamquam Rex et Messias, qui habitus fuisset propheta magnus, cui oblata dignitas regni, quem multi adorassent, nudum in arbore execrationis pendere, medium inter duos latrones quasi ejusdem criminis convictum et manifestum, spectantibus attonitis necessariis, confusis et pudefactis cognatis ac propinquis, astante Discipulo carissimo pleno lacrimarum et mœroris extremi, astante Matre, ¿quis possit dicere quanta mœstitia perculsa? cruciatus filii materna viscera velut gravissimo telo consauciant; Matris dolor dolorem filii renovat, exulcerat, exacerbat.

69 ¿Quid restat? ¿quid aggregari ad hæc potest? Pontificum et Pharisæorum odium ex invidia conceptum, et rabies teterrima nondum satiata pœnis et tormentis, nihil potest jam apponere cruciatibus corporis, addit opprobria et subsannationem: *Quem tu* (inquit) *percussisti, persequuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum verba adjecerunt.* Christo vero asperior ex illorum prava voluntate erat dolor, quàm ex injuria conviciorum; videbat enim illos (quos etiamsi crucifixores et carnifices suos, diligebat tamen) perditum

ire

ire sese inimico erga ipsum animo; quum malediceretur, non maledicebat: quum cæderetur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste.

70 Pendet in cruce corpus illud corporum omnium supremum, corpus divinitati annexum pendet collisum, tortum, cæsum, luxatum, flagellatum, fœdum cruore: plagis autem, vibicibus, tuberibus, livore, vulneribus horrens. ¿Quis in tanta deformitate speciosissimum agnosceret totius universitatis? ¿quis in illa humilitate Regem seculorum? ¿in tanta ignominia gloriam Patris, filium Dei, principem mundi? Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.

71 Et Isaias propheta de illo inquit: *Non est species ei, neque decor. Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectus est et abjectissimus virorum habitus, vir dolorum, et infirmitates expertus: avertimus faciem ab eo, contempsimus illum, et pro nihilo habuimus. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos existimavimus eum plagis illis percussum a Deo, et dejectum. Ipse autem consauciatus est propter flagitia nostra, attritus est propter iniquitates nostras. Castigatio pro pace nostra super eum, et livores ejus sanitas nostra.*

72 Si quis cum animo suo diligenter reputaverit quanta sit diabolicæ conditionis potestas, a Deo illi in origine naturæ ipsius attributa, ¿næ is aperte perspiciet, nullum calamitatis et afflictionis genus non esse in Christi corpus, et teneram animi portionem profusum? utique extra peccatum, et ea incommoda, quæ certorum sunt hominum, non naturæ.

73 Solutus fuit dæmon a Deo, expedita est tempestas tenebrarum, cui nulla invenitur super terram quæ possit comparari sicuti Job inquit: *Permissum illi ut tantum sæviret in Christum quantum vellet et posset: voluit autem quantum potuit, qui multo plus posse voluisset.*

74 Nam quemadmodum nihil magis amat Deus secundum se quàm hominem Christum, nec quicquam magis Deum quàm Christus; ita nihil infensius odit diabolus quàm Christum.

75 *Et ostendit mihi Dominus*, inquit Zacharias, *Jesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, et Satan stabat a dextris*

tris ejus, ut adversaretur ei. Dexteram Christi oppugnabat Satan, id est bona illius præcipua, Ecclesiam sponsam ejus, et regnum illius sempiternum.

76 Sed de hac impugnatione securus erat Christus sepimento vallatus opis divinæ, de qua ipse idem dicit in Psalmo: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear*; sinistram partem, quæ ad inferiora humanitatis devergit, infestavit dæmon.

77 Itaque velut inundatione ac proluvio quodam proruerunt in Dominum labores, ærumnæ, dolores, cruciatus, tormenta, plagæ, tædium, ægritudo, perturbatio, æstuatio, horror, anxietas, amaritudo.

78 Permissa diabolo hac potestate a Deo, merito conqueritur Dominus noster Patri illum omnes suos fluvios induxisse super se. Tentatus per omnia in similitudinem absque peccato.

79 Si in quemquam nostrum aliquod tantorum malorum ingruat, ¿quæ commiseratio ipsi suimetipsius? ¿quanta aliorum erga illum? accurrunt, opem ferunt omnes qua quisque potest: alius juvat re, alius consilio, alius procuratione, alius consolatione, alius votis, et bene precando. ¿Quis est tam infimæ inter nos sortis, aut tanto popularium suorum odio gravatus, cui hæc desint subsidia et allevamenta? ¿At Dominum nostrum quis dignatus est vel grato aliquo verbo, si non aliud, certe ad cohortationem animi, ut fortiter ferret tam immites cruciatus? consolationis loco fuerunt grandia convicia, execrationes, illusiones, derisus.

80 ¿Ecquis erat in Judæa universa adeo egenus et inops, et miseriæ extremæ ac deploratissimæ, qui sortem conditionis suæ, si esset data optio, cum filio Dei commutasset? vel ipse latro eidem addictus supplicio, pendens jam in cruce, et moribundus, illum irridet, oblitus sui.

81 Formosa facies, ait vetus verbum, muta commendatio: ¿quis non erga formam egregiam afficitur? ¿quis non miseratur virentem ætatem decuti, velut florem quemdam formosissimum vel flatu aquilonis vel ex conculcatu pedum languentem et emarcidum? Rapitur Jesus speciosissimus virorum omnium in primo juvente vigore; et quo major esset iis qui eum noverant, misera-

tio, ea fuit diritas tormentorum ut nec formæ jam, nec ætatis gratia appareret.

82 Ponit tandem animam suam Dominus, et inter dolores cruciatusque nulli tolerabiles, obit mortem voluntariam: *Nemo,* inquit, *animam meam a me aufert, sed ego ultro pono illam*: nimirum eadem potentia deponit, qua resumet.

83 Reliqua jam usque ad resurrectionem conformia sunt vitæ superiori; sine foco et lare vixerat, ne in morte quidem sepulturam habet, nisi alienam; ut sepeliri autem liceret, precibus impetrarat a præside Josephus Arimathites.

84 Tum ad mortis confirmationem confixus est a milite quodam lancea inter costas, unde statim defluxit sanguis et aqua.

85 Adæ dormienti educta est conjux de costa: Christo item dormienti (quid enim aliud fuit mors illius, quàm somnus quidam) prodiit sponsa Ecclesia de latere.

86 Aspersa est Ecclesia aqua et sanguine Domini nostri. Aqua purgatio est Ecclesiæ, sanguis autem participatio laborum Christi, et per labores, regni ac beatitudinis.

87 Hoc est grave atque immane supplicium Jesu Christi, morborum omnium humani animi, quorum iniri profecto numerus non potest panaces quædam certissima, modo id non simpliciter solum ad considerationem sumatur tamquam de justo aliquo et insonti narratum, sed ad nostros quoque usus relatum; etenim quæ de illo erant finem acceperunt; extincta est humilitas mortalitatis, vivit regnum sempiternum.

88 Nos tamen ad hunc intra nos ipsi modum cogitemus. Non est sibi passus Christus qui nihil eorum erat commeritus: nos illi tantorum cruciatuum, mortisque indignissimæ fuimus causa.

89 Nam quod nostram personam causamque in se transtulisset, etiam mala, quæ nos per delictum nobis contraxeramus, in illum absque delicto redundarunt.

90 ¡O quàm validæ sunt vires caritatis! non immerito illud dicitur: Vinci ab amore omnia, nec esse quicquam in animo nostro potentius. ¿Quid est tam magnum, tam arduum, tam horribile, quod amor non pervadat et superet? si alia omnia desunt documenta, sufficiat hoc Christi unum, immo vero taceant omnia præ isto.

Quæ-

91 Quæsitum est inter patres ¿an filius Dei carnem induisset, si homo permansisset in favore Numinis? non constat hoc quidem inter omnes; illud constat, non fuisse illum molestias, labores, ærumnas, angorem, tormenta, necem acerbissimam subiturum, si puri atque integri perseverassemus.

92 Nostrum ergo peccatum in hominem illum innocentissimum tantorum malorum cumulum importavit.

93 Placatus est per amorem et obedientiam filii Pater, immo Patris et Christi amor mutuus in nos omnes redundavit.

94 Amat quidem nos omnes Deus vere ac plane, quod dici solet, bona fide: nos illum, sicuti oportet, non redamamus. Frigus hoc nostræ voluntatis a gratia nos illius sejungit, arcet ab aditu. Christi autem caritas immensa hujus nostræ defectum supplet per fiduciam sui, ut qui ipsi non tantum habemus amoris, ut accedere per eum possimus ad Deum, accedamus per caritatem filii, adhærentes ei, quanta maxima possumus fiducia, gratitudine, benevolentia.

95 Hoc est ingens et divinum meritum Christi, quod in locum nostri meriti succedit: hæc illius solutio pro nobis, quam nos per nos ipsos non valebamus præstare. Ex hoc Patris et Christi amore mutuo, grandi, flagrantissimo, inæstimabili, nata est magna illa et universalis reconciliatio, cujus amoris respectu et causa majores fuerunt Christi afflictiones, quàm omnia omnium peccata meruerant, et merebuntur; etenim amoris illius complexus ingentem immensamque dignitatem affert personæ.

96 Vere igitur appositeque de Christo servatore sunt verba illa Jobi: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.*

97 Ex hac vero reconciliatione generali singulares oriuntur reconciliationes in nostris offensis, quas nos omnibus temporis punctis admittimus.

98 Sublatæ sunt inimicitiæ nostræ cum Deo, deleta est Christi sanguine syngrapha servitutis Adæ, quam Christus secum sustulit in crucem, reliquit in sepulcro ut resurgeret novus Adam assertus in libertatem.

99 Inæstimabilis magnitudo redemptionis, liberationis, restitutionis, reductionis in patriam, repositionis in gratiam Numinis, unico sacrificio peracta, sed nimirum propter infinitam excellentiam et sacerdotis, et hostiæ.

100 Surrexit unica cruoris aspersione humanum genus prostratum, excitatum est dormiens, revixit emortuum: ut mirandum non sit prodidisse olim quosdam e patribus cranium Adæ primi hominis in eo ipso monte sepultum fuisse, quo Dominus est actus in crucem sub scrobe in qua stetit crux ipsa; cruorem autem Domini defluentem os illud contigisse, unde sanata sit per primum parentem gens humana, quæ fuerat per illum letaliter consauciata. Verum quia id ab aliis rejicitur, nec nos contendamus, sed ascendamus altius a monte, ab scrobe, ab osse, quæ non sunt nobis necessaria: omnia sunt enim in Christo cœlestia, spiritalia, divina.

101 Illud certe indubitatum est ut per unum hominem Adamum mors intravit in orbem terrarum, ita per unum hominem Christum reconciliationem et gratiam esse redditam: et sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justos constitui multos.

102 ¿Quanta est latitudo, longitudo, profunditas mysteriorum supplicii et mortis hujus, quæ Judæis est offendiculum, nationibus dementia et irrisio, sanctis autem Dei amici sapientia admirabilis atque adoranda?

103 In hac et per hanc nacti sumus condonationem delicti inveterati, purgationem novorum, regressum in patriam, accessum ad principem et Patrem, hoc est principatum æternæ beatitudinis.

104 In illa habemus doctrinam et exemplum: *Quippe Christus passus est pro vobis*, inquit Petrus, *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

105 Videlicet ut quæcunque in vita hac evenerint adversa, firmiore et æquiore animo feramus memores graviora passum esse Christum immerentem pro nobis, quorum sceleribus ¿quid pœnarum esset satis?

106 ¿Quis tam ægre ferat accidere aliquid sibi ex iis, quæ tam

tam multa in filium Dei sunt congesta, et quidem ita ut nullæ nostræ calamitates et ærumnæ cum illis valeant comparari? ne quis tractari se durius possit conqueri, quàm filium unicum heredem, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

107 Pudeat nos querulos agere de conditione nostra. Pudeat servos non parere Domino in rebus levissimis, qui recordemur filium in gravissimis paruisse usque ad talem exitum mortalitatis.

108 Quin et læti debemus agere inter molestias ac incommoda, reputantes quod Domino et capiti nostro aliqua ex parte conformamur: quo nihil esse pulchrius potest aut expetibilius: ut similitudo nos paulatim conjungat, conjunctio faciat unum; facile enim et cito cohærent, atque uniuntur similia.

109 Hæc autem similitudo tanto est propinquior et conformior, si nos etiam consimili de causa affligamur, nempe propter obediendum patri nostro Deo, propter justas leges a superiore impositas, propter multorum salutem, pro tuenda veritate ac justitia. Nam occasio mortis Christi ob prædicationem veritatis ac religionis quæsita est ab iis, quibus ea ipsa veritas odiosa erat ac invisa. Christus autem atrocissima illa tormenta et sævissimos cruciatus maluit perpeti, quàm deserere veritatis ac pietatis patrocinium, quod maximopere nobis conducebat. Itaque per omnia se saluti nostræ devovit, tormentis et neci.

110 Exeundum quoque nobis est cum Christo extra civitatem, si cum illo volumus crucifigi, hoc est extra omnem carnis et vitæ hujus respectum ac concupiscentiam; despiciendæ voluptates, deliciæ, blandimenta; posthabendi propinqui, affines, necessarii, contemnenda ambitio honorum et opum, dignitatis, potentiæ: alioqui non extra castra concrucifixi erimus cum Christo, sed in ipso castrensi fremitu ac tumultu rapiet nos secum diabolus in crucem; habet enim diabolus crucem suam longe a Christiana diversam, cum pugna quidem, tormentis, dolore, ac morte: sed sine victoria, sine resurrectione et beatitudine.

111 Pugnandum est item nobis eisdem, quibus et Christus pugnavit, armis: nempe agninis, patientia, tolerantia, moderatione, mansuetudine, benignitate, benevolentia; quibus Christi imitatione validius et efficacius vincemus, quàm iracundia, per-

ti-

tinacia, contumeliis, ferro, crudelitate, impatientia.

112 Lavandæ sunt stolæ nostræ in sanguine agni, ut ab illo purissimo atque immaculatissimo purgemur; at ii demum lavant, qui illum sequuntur: sequuntur vero soli, qui imitantur operibus; hæc enim via animis non pedibus initur. Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

113 *Hæc est enim gratia*, docet Petrus Apostolus, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste; ¿quæ enim est gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.*

114 Et tamen laborum atque ærumnarum Jesu Christi talis est vis ac potentia, qualem inesse ferunt cornui monocerotis, ut quantumvis venenatas et pestiferas aquas purget, si attigerit. ¿Quanquam quid opus est exemplis aliunde petitis, quum habeamus in sacris historiis appositissimum? Lignum injecit Moyses in amaras aquas, quæ illico redditæ sunt suavissimæ. Ita si incommodorum damnorumque vitæ hujus, etiam quæ contracta sint nostra culpa, cogitationes ad contactum reduxerimus afflictionum Christi, quas in mentem cum benevolentia et gratitudine revocantes inducamus animum fortiter ea pati, quod similia quandoque sit passus Dominus noster; nosque ea de causa imaginem quamdam induimus illius: profecto damna illa non solum fiunt nobis levia et tolerabilia, sed in grandia quoque cedunt emolumenta; nam et ad solatium ea contemplatio proficit, et ad purgationem mentis, incrementaque pietatis: quippe qui prius merito tuo affligebaris, incipis de justitia et meritis Christi in te derivare: et concrucifixus antea cum latrone transis ad crucem Christi, confixus jam eisdem clavis quibus ipse moriens cum illo, cum eodem surrecturus.

115 Habent et fortunati homines doctrinam, ne felicitate sua efferantur atque insolescant; neu illam magnificant, quam vident recusatam ab eo, in cujus manu et voluntate sunt omnia: suspectasque, atque adeo plerunque invisas quoque habeant suas res prosperas, et ex animi sententia votoque cedentes, per quas vident se dissimiles fieri conditione filii Dei in hac mortalitate.

116 Olim semel est illa omnia Dominus noster a Judæis et gen-

gentibus passus, a nobis autem quotidie, et omnibus pene horis, et quidem gravius, et levioribus de causis. Nos illum prodimus, nos vendimus, et plerunque quàm Judas minoris. ¿Sed quod tandem precium æquari pôtest Christo et saluti nostræ? ¿Quid opes queunt juvare perditos ac desperatos? immo illis jam nullæ sunt omnino opes. Nos deserimus illum, abnegamus, ejuramus, non utique mortis metu, ut Apostoli, et Petrus, sed propter numulum, propter voluptatulam, propter molestiolam, propter verbulum, per lusum et jocum, interim sine ulla penitus causa, sed ex nefaria consuetudine malefaciendi. Nos illum irridemus, pro nihilo ducentes illius jussa et doctrinam: nos aversamur, despuimus, impingimus colaphos. Nos agimus in crucem, et producimus crucifixum populo ad ludibrium, quum non pudet publice contravenire sacris illius præceptis, quæ ipse sanguine et morte sua sancivit. Nos ingerimus crucifixo convicia, quum scelera nostra honore verborum prosequimur, et subsannamus leges, quibus illa facere vetamur, aspernantes ac maledicentes iis, qui nos Christi nomine atque auctoritate dehortantur ne quid tale committamus. Denique ne singulis recensendis immorer, nos illum intra nosmetipsos occidimus et sepelimus, quum perit in nobis prorsum respectus omnis illius.

117 Est et altera Christi consideratio ex unoquoque hominum. Nam ut ille universorum constitutus est a Deo caput, ita et membra sui corporis omnia compage caritatis coagmentavit, ut unumquodque sensu alterius tangeretur.

118 Nec voluit solum quemque nostrum ipsum fieri per amorem, sed semetipsum loco uniuscujusque substituit, ut hominem, quemcunque cernimus, Christum ipsum esse existimemus. Amicorum enim sunt communia omnia, et amicos idem esse facit amor.

119 Quocirca quemcunque sic afflictum aspexeris, ut aliqua ex parte Christi sit similis, ipsum Dominum tuum videre te credito: et affectum illum quem tantis beneficiis debes, in hunc transfer, seu huic potius communica, qui tibi Christum ipsum refert, quasique ob oculos ponit.

120 Nec ipse aliter accipiet quicquid in hominem egeris quàm in se ipsum, sive ad remunerationem beneficii, sive ad ultionem pravæ voluntatis.

Si

121 Si proximum tuum aspernatus eris, Christum irrisisti; si non benefeceris, si non juveris, si non ab eo prohibueris injuriam pro virili, si non eris consolatus, Christum neglexisti; si afflixeris, vexaveris, cæcideris, Christum sustulisti in crucem.

122 Hæ demum crucifixiones debent nobis esse multo acerbissimæ, et vera cordis mœstitia lugendæ. Hæ nostræ sunt pernicies, quum prima illa fuerit salus: has timere nos convenit, et cavere.

123 Has deflere, quum accidunt, non fictis utique lacrimis; et navare statim sedulam operam, ut resurgat qui in nobis cruci est affixus et mortuus.

124 Moriatur caro nostra in Christo, vivat Christus in animo nostro. Nihil vivit in frigore, omnia in calore et caritate. Vivit amans in amato, et vicissim amatum in amante: ita nos, si Christum tanta pro salute nostra perpessum vere et ex animo dilexerimus; si proximum, qui nobis exprimit Christum præsentem, benevoli erga eum et benefici, vivet Christus in nobis, et nos in illo, et per illum, quia ipse solus nostra est vita interminabilis ac beatissima.

¶ 40 *Coram imagiue Christi servatoris, sive in cœlo regnantis.*

O Frater noster, o fili naturalis ejus Patris, cujus nos facti sumus filii adoptionis per te, o caput nostri corporis, videmus te regem cœlorum, ne obliviscaris terræ tuæ, in quam te deduxit amor nostri inæstimabilis. Tu ex loco isto spem nobis tuis membris præbes, posse nos eodem pervenire, quo tu es evectus. ¡O munimentum, et præsidium nostrum! ¿quid nocere jam nobis poterit in te confisis? miserrimi qui te non norunt: felicissimi qui in te semper intuentur. Beati qui te hic agnoverunt in diebus carnis et mortalitatis tuæ; sed beatiores qui te in cœlis vident, ac videbunt regnantem in potissimis bonis Patris tui. O amor et deliciæ generis humani, o fiducia nostra unica, amplectere nos tuo favore; osculare nos, et infunde in nostra pectora tuum spiritum: fac ad grande solatium nostrum ut tu occurras mentibus nostris creberrime. Erige nos jacentes humi, aperi oculos nostros, et attolle ad te; aperi os tuum, ut nos voces: aperi aures nostras,

ut

ut te audiamus; ut te uno nobis pro signo vitæ totius proposito, quæcunque agimus, dicimus, cogitamus, in te dirigantur.

¶ *Altera.*

ARces ab osculo tuorum pedum Magdalenam, quoniam illius judicio nondum erat exaltata caro tua, et viventem quærebat etiamnum inter mortuos, nec eras illi Patri æqualis. Idcirco vel pedibus tuis non passus es imprimi osculum indignum tua majestate. Tu nobis, rex omnium sempiterne, jam surrexisti a morte, jam ascendisti ad Patrem tuum et patrem nostrum, jam sedes ad dextram Dei omnipotentis; sine nos propius ad te accedere, vel potius accede ipse, deosculare nos osculo oris tui; quod si panxeris, multis aliis nos osculis atque amplexibus dignos facies, et regni tui cohæredes.

Quandocunque occurret Christus aliquid agens, aut dicens, aut perferens; si prospera, roga ut te admittat in id consortium: sin tristia, ut te inde abducat, et avertat.

¶ *Excursio.*

1 Pervenit Christus ad regnum cœleste per ignominiam terrestrem.

2 Ad æternam majestatem per brevem hujus ævi abjectionem.

3 Sublimata est caro, quoniam dejecta et irrisa, et conculcata fuerat caro.

4 Sic oportebat Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.

5 Christus factus est pro nobis obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Dominus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.

6 Quod ascendit autem ¿quid est nisi quia et descendit in inferiores partes terræ?

7 Habent hæc quoque disciplinam et exemplum nobis, ut si ascendere volumus cum Christo, descendamus prius cum illo subjecta nostra omni voluntate voluntati Patris nostri Dei.

8 Ita per obedientiam similem Christi Pater exaltabit nos cum Christo.

9 Crucifigamur, ut sublimemur.

10 Moriamur, ut resurgamus.

11 Participes laborum, participes erimus solatii.

12 Per carnem dejectam et afflictam, ad excelsam et regnantem carnem veniemus.

13 Si Christus afflictus exemplar nostrum fuerit in vita mortali, Christus regnans exemplar nostrum erit in vita sempiterna; qui imago fuerit terrestris, erit et cœlestis quoque. Vides quo pervenit Christus, ut hac via quo perveniatur, nec ignores, nec dubites.

14 Habet nunc Christo in cœlum recepto universitas mundi caput suum, habet familia primogenitum suum, habet civitas suum regem, habet Ecclesia suum Pontificem, habet interpretem et pacificatorem inter ipsam et Deum.

15 Nunc stabilita est vero civitas, constitutum regnum, templum extructum, positus lapis in capite anguli.

16 Regnum ejus regnum omnium seculorum. In cujus vestimento et femore adscriptum est: *Rex regum, et Dominus dominantium.*

17 Et Pater de filio suo dicit: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

18 *In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.*

19 *Et ponam in seculum seculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.*

20 *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta, et testis in cœlo fidelis.*

21 *Nihil proficiet inimicus in eum, et filius iniquitatis non apponet nocere illi.*

22 *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

23 Jam nos, depulsa omni tyrannide et hostili violentia, tuti, securi, læti sub tali agimus Rege, cui omnia data sunt a Patre: nec quisquam potentiæ illius valet resistere.

24 Hic est agnus occisus, dignus aperire librum mysteriorum clausum signaculis septem.

Hic

25 Hic leo de tribu Juda, hostis nostri victor et triumphator.

26 Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

27 Hic nos et fortitudine sua tuebitur, et mansuetudine reget, et beabit bonitate.

¶ 41 *Contemplatio audituri Sacrum.*

NOs omnes debitores sumus Deo, filii iræ ac supplicii. Christus pro omnibus dependit ac satisfecit Patri. Hoc tantum sacrificium et beneficium generale inclusum in mysterio celebrat quotidie Ecclesia, alioqui ingratissima futura. Nos quoque piis animis et gratis adeamus ad memoriam tanti boni, tantæ lætitiæ: sed puri ad pura, ut per sancta sanctificemur, non inquinemnr. Quicquid ibi videris, vel audieris, representatio est divini illius beneficii. Quàm animus tuus est excellens, immortalis, ad æternitatem cœlestemque beatitudinem conditus: quàm item Deus summus, omnipotens, infinitus; tam te hic existimare convenit omnia esse præstantissima, maximeque sublimia, ut in animum tuum cum ingenti dignatione admittantur. Delectare spiritu iis quæ intelligis, venerare etiam quæ non intelligis, attentus semper ad omnia: et da operam ut intelligas, non ad curiositatem, sed ut ames ardentius. Amandi enim boni origo et causa est cognoscere. Si Christus non cessavit in bono tuo, nec alias res egit quum illud operaretur; cedo ¿quantam te adhibere curam par est in tuo ipsius bono? Ille tantum præstitit opere, præsta tu aliquid cogitatione: ille effectu, tu saltem affectu; et in tuo tanto bono esto cooperator Christi.

¶ 42 *Ad mysterium corporis et sanguinis Christi.*

O Admonitio ejus rei, quam nos nunquam oblivisci convenit, quam præsentem semper ob oculos nobis obversari unice nostra interest, nempe supplicii ac mortis Christi, qua redempti liberatique sumus e vinculis mortis, restituti primæ innocentiæ, redditi vitæ. Pignus est hoc amoris illius erga sponsam suam Ecclesiam. Nexus caritatis, et cum Christo, et inter nos mutuæ, qui eo-

dem cibo vescimur, non tam utique corporali, qui ex lubricitate materiæ cursu suo breviter effluit, quàm spiritali, quo spiritus nostri quamdiu volumus connectuntur. Symbolum corporis Christi mystici, quæ est Ecclesia, in qua jam nemo sibi vivit, sed contusis et commixtis granis fide aquæ baptismatis, tum cocto pane igne caritatis, jam nullum amplius apparet granum, sed una est panis massa; eundem in modum acinis uvæ pressis unum fit vinum; talis est Ecclesiæ totius compago per caritatem, ut vivat quisque jam non ipse, vivat autem in eo Christus. Incorporatio hæc est nostrorum animorum in Christo, quum illum intra nos sumimus: quietatio animi cujusque, quum non solum mente, sed corpore quoque sentit in se Christum habitare: salus et vita est uniuscujusque, quia vitam intra se recipit. Hic est Christi Domini nostri corpus, quod a Patre pro nobis est traditum, quod ipse idem obtulit pro nobis. Esse certum est, quod docet fides: esse expedit nobis, quod docet caritas. Esse non magis dubitandum, quàm Christum esse bonum, et nobis amicissimum. O memoriam rei nobis ad recordationem dulcissimæ et jucundissimæ, quia per illam vera et certissima salus est reddita. O mors Christi, precium humani generis captivi, comprehende me redemptione tua, et adoptione filiorum Dei.

¶ *Excursio*

1 Nihil est Christo post Deum jucundius aut carius, quàm sponsa sua Ecclesia. Ideoque huic memoriam sui sempiternam, quamdiu ea peregrinatur in terris, non in rebus alienis, sed in semetipso reliquit, et commendavit. Neque voluit ullam esse talem tantaque rem, quæ inter ipsum et suam Ecclesiam ad memoriam mutuæ benevolentiæ interponeretur, præter se ipsum.

2 Hoc est vicissim ingens gaudium et perenne solatium Ecclesiæ, quo ut ipsa constat ex corpore ac spiritu, ita non spiritaliter modo, sed corporaliter quoque habet sponsum suum, eundem illum, qui sedet ad dexteram Patris.

3 Quomodo illic sit Christus, quomodo a nobis sumitur, excedit sensus nostros, tum corporis, tum mentis: sed considerato tamen ¿quid non sensus nostros in natura universa superat, et transcendit? ¿qui sunt limites nostri ingenii, quàm breves et

an-

angusti? non miraberis hoc extra illos esse, intra quos sunt tam pauca.

4 Omnia sunt in hoc mysterio plena caritatis, fide vero (si quis ad illum oculos attollat mentis qui potest omnia) non est opus tanta.

5 Quod si ad nos referamus divina, nihil non erit difficile, atque incredibile: sin ad Deum, omnia facilia, plana, credibilia.

6 Ipsa institutio hujus sacramenti amorem Christi erga nos testatur.

7 In cœna novissima transiturus Christus a mundo ad Patrem, inter eos quos tenerrime amaret, pignus hoc reliquit sui infixum memoriæ nostræ sempiternæ.

8 Hoc si tamquam panem comederis, nec plus tibi proderit quàm panis, et oberit: quod quum medicinam non ut talem sumseris, nec observato tempore, nec modo, in venenum convertisti, judicium tibi manducas, et bibis: quod inter corpus Domini, et quemvis alium cibum nullum ponis discrimen.

9 Sin vero ut medicinam capis, sanabere: si ut salutem, servabere; ergo prius sume animo Christum, quàm palato.

10 Prius quidem est, ac potius spiritaliter sumere, quàm corporaliter.

11 Sed Christus, qui prius apud Patrem in æternitate merus spiritus fuerat, caritate nostri adductus, descendit in terras corporeus, et corporeum sui monimentum testamento nobis legavit: is amor invitat nos ut et spiritu sumamus, et corpore.

12 Amor quoque noster erga Christum ex provocatione illius natus, atque ideo caritatis illius quadantenus similis, non contentus rebus solis spiritalibus, foras dimanat ad sensus: cunctum se undique cupit in amatum immergere.

13 Spiritalis sumtio ad hoc corporale convivium invitat. Corporalis autem refectio auget et accendit spiritalem refectionem per gratam tanti beneficii memoriam.

14 Et quemadmodum Dei filius spiritus fuit semper, atque erit, in tempore autem carne est indutus: ita spiritalis sumtio crebra debet esse, quotidiana, diuturna, et prope perpetua, ut quantum facere possimus, æternitatem spiritalitatis illius imitemur.

mur. Corporalis vero habet sua tempora, atque intervalla.

15 Sumitur ergo intra nos Christus corporaliter, ut spirituum coadunatio per hanc corporum exprimatur. Et ut quàm sitis tu et Christus amici intelligas, qui pariter intra ejusdem substantiæ limites habitetis: jam non amas illum, qui procul abest a te, non illum qui extra te, sed qui in te ipso.

16 Vide vero ut ames, et fidas; nam et sic retinebis, nec aliter: hisce enim xeniis delectatur hic hospes, hisce epulis detinetur.

17 ¿Quàm gratum esse convenit quod datur ab amicissimo? ¿quod legatur testamento? ¿quod ultimum commendatur? ¿quod ad memoriam movendam relinquitur ut ea crebro tam dulcis benevolentiæ recordetur? si carus, si gratus, si suavis est amicus, cara utique sunt, grata et suavia amicitiæ monimenta; et eo cariora, quo sunt conjunctiora ipsi amico, magisque nos in memoriam illius reducunt; ¿quid autem? quum est ipsius amici pars viva et vigens, nec solum propter mutuam amicitiam amabilis, sed quia salutifera, expetenda: nullum profecto inveniri aut commendari poterat præstabilius genus mnemosyni, quàm istud, quod est maxime mansurum, et minime mortale.

18 Hic in ævi hujus decursu sumimus nos mortales Christi corpus, memoriam mortalitatis ejus: in illa autem æternitate sumemus efficaciam et fructum resurrectionis ejusdem. Christus per mortalitatem suam transiit ad immortalitatem, per ærumnas ad beatitudinem, per dejectionem ad regnum omnium seculorum. Ita et nos per piam afflictionum ejus recordationem, sumentes hic mysterium corporis illius mortalis, transferemur ad vitam sempiternam: et conjuncti cum Divinitate, atque uniti, similes fiemus corporis claritatis illius. Itaque temporaria hæc gradus sunt sempiternorum, imagines, simulacra, quibus et deificationem nostram intelligamus animo, et re consequamur, impleaturque quod est Christus ipse pollicitus: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui edit me, et ipse vivet propter me; qui comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

¶ *In*

¶ 43 *In sumtione Sacramenti.*

VEneror immensum Sacramentum, ago gratias pro munere inæstimabili.

Tu solus potes purgare: purga ne ego mihi noceam sumens inutiliter.

¿Quid jam potest mihi nocere, tali recepto hospite? certus sum habere me corpus Christi: fiducia autem efficit ut habeam totum Christum.

¶ 44 *Ad divam Virginem Mariam.*

¡O Quæ gaudia, quanta tibi lætitia versari cum tali filio! in quem desiderant Angeli intueri, tu non intuita solum es, sed bajulasti utero, edidisti mundo atque hominum saluti, contrectasti, nutrivisti tuorum uberum fontibus sacratissimis, fruita es osculis, fruita es amplexibus; tu primam balbutiem ridens ac læta excepisti, balbutiem eloquentiæ Dei Patris summi, sapientissimi, immortalis; subditus fuit tibi, tibi inservivit: tu jus habuisti injungendi ministeria tuorum usuum, cui mundus universus ministrat. Tu ergo Angelis hoc jure potior; huic enim Angeli obtemperant, hic tibi; et ut prima fuisti conjunctione ac familiaritate, ita princeps es favore ac gratia. O merito igitur felicissima et beatissima generis humani, impetra nobis a filio ut gustum et nos percipiamus aliquem istius felicitatis, quam tu adeo largiter hausisti, quo nobiscum etiam versetur Christus, nosque præsentia sua tueatur semper, et exhilaret.

¶ *Altera.*

POssumus nos quidem animo Deum concipere, corpore autem concipere et parere: id vero decus tuum unius, o Virgo. Sed et te corporaliter peperisse evidenter ostendit neminem unquam mortalium tam plene atque excelenter genuisse spiritu. Tu ergo ingenti super omnes præstantia et sponsa spiritalis es, et mater: sola vero mater quæ tectum humanitate paris. O vere germaneque heroina ac semidea, quæ filium habes Deum; hoc apud illum no-

nobis confice, ut qui et animo et corpore est tuus, aliqua certe tuarum virtutum æmulatione sit etiam noster.

¶ 45 *Ad memorias Martyrum.*

¿O Quæ vestra certamina, quàm gravia et difficilia: quæ pugnæ tam atroces, ex quibus vos per patientiam et tolerantiam victores discessistis? per mortem venistis ad vitam; fractum et dilaceratum est vestrum corpus et concidit: at animus strenuus victor ad originem suam lætus alacerque revolavit. Nunc veritatem, quam vita estis ac sanguine testificati, perspicitis; exuti tenebris sempiternam intrastis lucem. Nunc præmio et decore tantæ victoriæ perfruimini. Labori proposuit Deus omnia: æquissimum videtur ut quisque assequatur pro quo magna contentione laboravit; felicissima vestra mors, quæ naturæ debita, pro Christo est potissimum reddita. O fortissimi athletæ, o milites invictissimi, utinam nobis a carissimo vobis Christo aliquantulum constantiæ et patientiæ vestræ, pauxillum promtæ voluntatis impetraretis, ut tum crucem istam vestram magnam atque excellentem cuperemus vobiscum portare, tum minutas has, quæ in hac vitæ nostræ quietudine ac securitate quotidie incidunt, avide complectamur, libenter et sine detractione gestemus, ut quatenus nobis conceditur, laborum atque ærumnarum Christi temporarium quoddam sumamus experimentum: ut regni illius, quod ipse per crucem suam assequutus est, consortes simus in æternitate.

¶ 46 *Ad memorias Divorum.*

BEati qui soluti hoc carcere teterrimo, læti securique revolastis in patriam, qui nec malis urgemini amplius vitæ hujus, nec infestamini a Satana, nec sollicitamini variis artibus, ut desciscatis a Christo, quibus jam licet intrepide ac secure exclamare. ¿*Quis nos separabit a caritate Dei quæ est in Christo Jesu*? Nos hic jactati tot casibus fluctuamus inter undas præsentissimi periculi: vos isthic certi securique de beatissima vestra sorte, ævum cum summa lætitia degitis; orate Patrem cœlestem, cui estis jam inseparabiliter conjunctissimi, ut nos isthuc quoque vocet, et sive ultro, sive renitentes pertrahat, ut unum et vobiscum simus et cum illo.

¶ *Egres-*

¶. *Egressio.*

1 Consideratio amicitiæ sanctorum cum Deo, quæ auget vehementer dignitatem personæ; ¿unde enim eam censeri convenit, nisi ex propinquitate Numinis? quæ maxima, immo sola est in amicitia illorum.

2 Jam et similitudo Divorum cum Christo multis viis occurrit menti, quod sunt filii Dei, quod imitatores virtutum illius, quod explent ipsi ea quæ deerant afflictionibus Christi, ut ait Paulus. Par enim est ut labores capitis redundent in membra: et postquàm afflictum est caput, restat ut in corpus quoque afflictiones permanent.

3 ¿Quod lumen Ecclesiæ diffundenda saluberrima doctrina? ¿quod exemplum vita et actionibus imitari volentibus? quàm multos verbis atque oratione, quàm multos exemplo vitæ, quàm multos precibus adduxerunt ad meliorem frugem, et lucrifecerunt Christo, seu (ut loquar appositius) lucrifecerunt ipsis Christum.

4 ¿Quantum erat solatium hominibus in rebus suis adversis vel ex sola eorum præsentia et conspectu, quum se innixos illis populi existimarent quasi columnis firmissimis, et habere se quodammodo Christum ante oculos corporis?

5 Nec falsi sunt opinione sua: ¿quoties enim illi precibus suis et ultionem averterunt justitiæ Divinæ, et impetrarunt populis suis bona ingentia ab illo, apud quem propter fiduciam et caritatem nihil non poterant?

6 ¿Quid dici potest conformius Christo? ¿aut quæ illius expressior imago?

7 Agendæ sunt Sanctis gratiæ de tot eorum beneficiis, tam grandibus, tam assiduis.

8 Amanda tanta bonitas, veneranda tam excellens atque ornata mens mundo virtutum omnium.

9 Adoranda in illis similitudo Domini et Dei nostri Jesu Christi: hoc est ipse in eis Christus adorandus.

10 Recepti autem cœlo, et conjuncti Deo, atque (ut sic loquar) deificati, excesserunt humanum omne fastigium.

11 Adoramus et in illis Deum, et illos absorptos in Deo magna cum fiducia, quod qui benefici et salutares fuerunt in hac

mortalitatis egestate ac miseria, multo erunt largius ac prolixius in illa copia æternorum bonorum: et qui tales se exhibuerunt plane homines; ¿quid nunc erunt semidei? Enimvero non restrinxit benignitatem eorum melior conditio, sed auxit, ut nunc in abundantia et facultate illa bonorum omnium constituti, prodesse tantum possint, quantum velint.

12 Quod si mulieris, quæ sanguinis defluxu vexabatur, affectio erga vestem Christi adeo fuit grata Domino, ut sanitatem illi adferret, ¿qualem putamus fore nostram erga sanctos Dei? ¿quàm gratam ipsi, quàm acceptam, quàm ad impetranda quæ poscimus validam atque efficacem? Neque enim conjunctior est, nec carior Christo sua vestis, quàm suus Apostolus aut Martyr.

¶ 47 *De Martyribus.*

¿QUæ diritas tormentorum? ¿quæ carnificina insontium corporum? ¿quanta sævitia atque immanitas et imperantium tam atrox ministerium, et exequentium? ¿quantus in Martyribus suimetipsorum neglectus, immo aspernatio? ut non aliter corpora sua respicerent quàm lapides aut ligna, animo et cogitatione universa in Christum semper intenti, tamquam oculus jaculantis in album ad collimandum. Quàm vere testes veritatis, non eam asseveratione sola sancientes aut jurejurando, sed suometipsorum sanguine, ac vita, et asperitate cruciatuum intolerabili. Et tamen in istis tam immodicis ærumnis, quibus nos vel in memoriam revocandis cuncto corpore atque animo cohorrescimus, ¿quàm moderate ac modice, seu demisse verius de se sentiebant? reputantes intra se quod Dominus præcipit: *Quum hæc omnia feceritis, cogitate, servi inutiles sumus*: et Apostolus illius: *Tu qui stas, vide ne cadas, sed time.* Itaque solliciti semper et anxii exercebant se ad pietatem, et implorabant favorem Christi, sine quo incassum laboratur a nobis, et contenditur. ¿Quid ergo fiet nobis, qui vitam in omni mollitie ducimus, in deliciis, in voluptatibus desides ac securi? ¿qui intolerabile censemus si quid duriusculum acciderit, aut contra animi sententiam, corpora et animos gestamus delicatissima? nihil est tam leve a quo non impatientissime percellamur. ¿Qua tandem freti fiducia Christi nomen audemus fer-

ferre? ¿et illum appellare Patrem? ¿et tribunalis illius expectare censuram? Si non coronatur nisi qui legitime certarit, ¿ecquam tandem nos coronam vel petimus, vel speramus qui nunquam certamus, qui certamen non aliter defugimus, atque exhorremus, quàm rem omnium longe miserrimam? Hi Martyres et profuerunt olim testificatione veritatis constantissima, et prosunt quotidie exemplis ad cohibendos effrenes animos et projectos in vitia, ad excitandos jacentes dormientesque in omni genere laudis.

¶ 48 *Quum ad studium nos paramus.*

NOs et in tenebris densissimis versamur, et tenebras nobiscum circumferimus: tu Deus es lux nostra, illumina mentem meam, ut veritatem, quæ tu ipse es, cognoscam, sequar, teneam: fac me sapientiorem et meliorem, ut in alios quoque de isto tuo lumine transfundam quod mihi impartiris: quæ vero me docueris, da eam mentem ne in vana ostentatione consumam, ne ve alios bonos reddam, memetipsum arrogantem et malum, sed primum ad meam utilitatem convertam, deinde proximorum, ut lucis ac beneficii tui effectum in me potissimum sentiam, a me in alios dimanet quos tu per me institui jusseris.

¶ 49 *Quum quid aggredimur.*

NOs in obscurissimam caliginem a peccato deturbati, futurorum improvidi, quidque nobis expediat ignari, opus hoc quidem aggredimur tamquam nobis conducibile. O immensitas divinæ bonitatis, lucis, sapientiæ, cui sunt universa cognita et perspicua, quod mihi, hoc est menti meæ potissimæ parti mei videris officere; id oro atque obsecro te amoveas, meque inde quàm longissime vel abducas sequentem, vel etiam repugnantem abstrahas, et avellas; quæ vero profutura sint, ad ea me impelle, me cunctum et inscium trado, commendoque tibi scientissimo, et cæcum videnti, et optimo ac præpotenti malum atque infirmum; ut te tanto moderatore et rectore, omnia rite instituam ac peragam.

FINIS.

BRUGIS, ANNO M. D. XXXV.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI
AD COMMENTARIUM
IN ORATIONEM DOMINICAM
PRÆFATIO.

PAULUS Jesu Christi Apostolus negat scire nos quemadmodum sit orandum, quid petendum a Deo, quibus verbis; videlicet in maxima versamur ignoratione tum Divinæ naturæ, tum nostri ipsorum et rerum futurarum. Itaque metientes Deum ex nobis ipsis, non aliter sæpenumero infinitam illam majestatem adimus, quàm ex nostris principibus quempiam, cui blandimur et adulamur, ut auferamus quæ cupimus; tum illi bene optamus ac precamur, et salvum esse jubemus adeuntes, et valere discedentes, a quo uno salus est omnis et valentia. Jam quæ nobis ipsis optemus profutura et salutaria, profecto nescimus. Multa enim facimus vota usque adeo nobis noxia, ut execrationes potius videri possint. Postulamus a Numine ingenium, litteras, facundiam, robur, animum, formam, sanitatem, divitias, opes, connubia præclara, potentiam, liberos, dignitatem: nec sunt ista hominum vera bona, et plurimis sæpe exitio fuerunt.

Quocirca, ut religionis, ita etiam precationis, quæ religionis cultus præcipua est pars, is demum esse auctor et magister potest, qui naturam et nostram et divinam pernorit; ut quid homini salutare sit, teneat, quid a Deo expetendum, dignum et Deo ipso, et petente: jam quibus verbis, non tam Deo congruentibus (ille enim verborum omnium vim et significantias excedit) quàm dicentis animo; ut quemadmodum rite sit de Deo sensurus non ignoret, amorque nascatur ex intelligentia, et confirmetur. Magister cœlestis sapientiæ, immo cœlestis ipsa et Divina Sapientia, in novitate suæ gratiæ novam precandi Deum formulam suis præscribit. Erant quidem in Lege preces haud sane paucæ, erant Psalmi; sed in illis omnibus sapor quidam inerat veteris ruditatis et caliginis. Dominus autem verbum abbreviatum suis protulit, purgatum novitate luminis transcœlestis: in quo ver-

verbo inessent thesauri sapientiæ deprompti ex libro illo septem sigillis signato, quem ipse solus dignus inventus est qui aperiret.

Oratio hæc qualis tandem sit, ¿quid opus est conjecturas inquirere? Illa una sit instar plurimarum, quod a tali sit auctore profecta: ¿quid enim potest ab illo exire non summum, et suis omnibus numeris consummatum? At vero si virtutem atque excellentiam precationis hujus, quantum ingenium nostrum sinit, velimus expendere, animadvertamus primum brevitatem: nam quando universis velut quædam exhibeatur regula, conveniebat brevem esse, ut capi et contineri posset a pueris, a senibus, ab ægrotis, a mulierculis, ab occupatis, a rudibus, a tardis, ab obliviosis, a segnibus. Jam vero nullum est verbum, in quo non innumera occultentur mysteria, nimirum a Divina Sapientia dictatum. Contempletur quivis attente ac pie, sentiet verum hoc esse: nam profani, qui verba hæc frigide ac oscitanter, atque aliud agentes pronuntiant, ¿qui possunt in recondita penetrare? utique haud magis quàm in alio quocunque seu Aristotelis seu Platonis opere, seu cujusvis alterius hominis ingenio atque eruditione præcellentis. ¡Quàm multa sunt de explicatione orationis hujus a sanctis viris, a magnis ingeniis perscripta, nec tamen varietatem et multitudinem sensorum potuerunt exhaurire! quotidie inveniuntur, quæ dicantur nova, nec unquam pertingetur fundum. Est ad hæc precatio moderata, digna certe, quæ ab opere dicatur opifici suo. ¿Quid enim in illa poscimus a Patre, quod non auderet quivis ab extraneo postulare? ¿quid poscimus a beneficentissimo, quod erubesceret quis a durissimo rogare?

Age porro, ¿quæ desideria, quàm nobis utilia, quàm digna quæ apud Deum exponantur? ¿qualis eorum ordo atque descriptio? Vota et desideria omnia humani pectoris ad bonum feruntur, veluti ad scopum quemdam ipsis propositum: fugiunt vero malum atque aspernantur. Hîc a Domino, et postulamus bona, et mala deprecamur. Primum omnium qui rogat, cum spe ac bona fiducia quod exoraturus sit, debet rogare: alioqui aut ne verbum quidem omnino faciet; aut quod proximum est, frigide petet, ac subdubitans; quæ causa est, cur multi quod optant, non assequantur. Fiducia autem ex consideratione duarum rerum

nas-

nascitur, quòd is a quo aliquid expectamus, et potest facere, et volet. Voluntas in paternitate declaratur, potentia in sede cœlesti. Prior vero est paternitas, ut pium nomen bonitatis nos alliciat antequàm deterreat magnitudo, et de voluntate sumamus fiduciam prius quàm de potestate cogitemus. Sublati ad celsitudinem potentiæ statim majestate illius imbuimur, et proni veneramur, atque adoramus excellentiam naturæ. *Sanctificetur Nomen tuum*: quo verbo sanctum illius regnum testificamur, et nos illi cum Angelis perlubenter subjicimus.

Extemplo autem precamur ut faciat nos ex illo regno felicitatis, qui nos profitemur esse ex regno potentiæ. Postquàm venerati sumus majestatem, adimus bonitatem; a qua postulamus, uti nos efficiat tales, qui vere ac bona fide sanctificemus nomen Domini. Tum ut ille in nobis regnet solus, quo nos abdicata nostra voluntate inscia, prava, perniciosa nobis ipsis, induamus voluntatem illius rectam, sapientem et nobis salutarem. Hactenus bona mentis, jam bona corporis, ut non sinat nos necessariis ad hanc vitam rebus defici; in quo etiam subest sensus spiritalis, ut sancto et salubri pane doctrinæ suæ pascat animos nostros. Sequitur malorum evitatio, ut a malis præsentibus purgemur, ut condonentur nobis noxiæ in Deum: nec ab iis purgemur dumtaxat, quæ adversus Dei leges patravimus, sed a noxia voluntate contra proximum, ut liberi atque expediti ab ira, odio, livore, similes fiamus divinæ probitatis, quo cariores illi simus, nempe propinquiores virtute. Tum ut devitemus ventura mala animi in hac vita, oramus ne nos adeo invalidi oppugnemur ab hoste tam forti ac potente.

Postremo rogamus, ut a malis vitæ hujus, quæ mentem nostram perturbant, liberemur, et a consortio illius mali, qui destinatus est igni ac supplicio sempiterno. Nihil reliqui fecimus, quod non petierimus, utique quod nobis expediat; et ostendimus obiter, nihil habere nos a nobis ipsis, omnia et corporalia et spiritalia ab uno Deo expectari a nobis, ac rogari. Possumus quidem aliis verbis orare ut psalmis, hymnisque: sed quicquid recte dixerimus, hinc ceu rivulus e fonte dimanabit. Sermonem quidem usurpabimus alium, sensus vero ac mens idem erit prorsum.

sum. Quod si nos quid petendum, aut quemadmodum orandum sit ex nobis nescimus, hæc certe oratio sapientissima est, quoniam ab ipsa Dei sapientia præscripta: non est hic periculum, ne illud ab eodem ipso Dei filio audiamus: *Nescitis quid petatis*: vel quod apud Jacobum legitur: *Petitis, et non impetratis, quoniam in id petitis, uti ex animi vestri libidine consumatis.* Ille scit quid peti conveniat: errare tanto duce, falli tanto magistro non possumus.


¿Quid vero tutius, quàm ut illum ipsum adeamus, et compellemus iis ipsis verbis, quibus se a nobis appellari velle nos docuit, et præscripsit? exaudiri nos necesse est, quandoquidem verba sunt ejus ipsius, qui est exauditurus: nos eo sermone utimur, quo uti nos ipse idem jussit, ut exoraremus. Illum ergo tamquam ex sua ipsius formula convenimus: addamus modo velut ex nobis ea, sine quibus oratio omnis fatua est atque insipida, attentionem, fiduciam, et pro virili parte accensum igne divino spiritum. Nulla est precatio æque a nobis attente ac diligenter vel proferenda, vel meditanda, atque hæc: singulæ particulæ, singula sunt expendenda verba, atque adeo litterulæ ipsæ atque apices. Referta sunt mysteriorum omnia, sicuti et ipse, et tota ejus vita, omnesque illius actiones, qui dictitavit. Exponemus nos quidem in præsentia, quæ ille in pectus nostrum instillaverit, infinitæ sapientiæ tenuem portiunculam. Non dubium, quin ex vena tam divite multi alia eruent, et plura et præstantiora: sed nos tamen aliquid ex Dei munere ad communem usum protulisse, abunde magnum fuerit curæ atque studii precium.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
IN IPSAM PRECATIONEM DOMINICAM
COMMENTARIUS.

1 Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur Nomen tuum:
2 Adveniat Regnum tuum:
3 Fiat Voluntas tua, sicut in cœlo, ita in terra.
4 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:
5 Et remitte nobis Debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris:
6 Et ne nos inducas in Tentationem,
7 Sed libera nos a Malo. Amen.

PATER.



MNIS paternæ appellationis ratio et causa in nullum competit verius, quàm in te, Pater Deus. Nam et qui progenuerunt, et qui aluerunt, et qui educant, tum qui instituunt formantque animorum cultum, parentes nuncupantur. Es tu Domine Pater universorum, quæ in hanc eduxisti pulchritudinem, non de aliqua prius essentia ut homo, sed prorsum (quod nemo alius potest) de nihilo. Tu alis et conservas casura alioqui statim in suum nihil. Tu gubernas, doces, instigas unumquicquid ad suum bonum. Condidisti tu quidem omnia, idcirco omnium es Pater: sed specialius hominem, quem ad imaginem et similitudinem tuam. Regis quidem cuncta, et gubernas, sed tamquam mancipia, hominem autem ut filium.

Largitus es de tua immensa copia aliis animantibus munera, homini vero ampla manu, quum alia quàm plurima, tum mentem, qua nihil est præstabilius, quodque unum instar est aliorum universorum. Pungis reliqua omnia cæco et latenti quodam stimulo, nos autem doces, atque instituis. Trahis cetera, nos ducis præceptis, admonitionibus, consiliis. In hisce omnibus paternitatibus et potentiam tuam admiramur, et adoramus sapientiam. Sed alia restat paternitas, quam nos dulciter contemplamur,

mur, videlicet utiliorem nobis, nempe bonitatis tuæ, qua nos in numerum filiorum sortemque per Jesum Christum adoptasti, filium omnipotentis essentiæ ac naturæ tuæ. Mira Christi bonitas, et dulcissima caritas erga nos; non timeri vult, nec præscribit ut te Patrem suum Dominum nostrum appellemus, quod est nomen potestatis; sed Patrem, quod est amoris: subticet de magnitudine, demonstrat probitatem, per quam elicitur benevolentia.

¿Quis nostrum et abjectissimam naturam suam, et pravissimam voluntatem rite contuitus, Patrem te auderet vocare, nisi abs te jussus? ¿Quis servus nequam, et extremæ conditionis regem suum appellarit patrem, nisi forte ebrius, aut insanus? ¿At quanto inter te ac nos discrimen ingentius, quàm inter hominem regem, ac servum, qui sola distant non naturæ conditione, sed fortunæ? ¿Nos vero abs te in natura collati, quàm longe recessimus? Tu res, et res summa, infinita; nos plane nihil. In conditione vero dignitatis, nos mancipia, et quidem (quod est indignissimum) peccati, et diaboli pessima ac miserrima, ut heri nostri: tu omnium Dominus, et beatissimus. Nos ignorantia et tenebræ, tu sapientia et lux. Sed nullus unquam foret vel nominandi excellentias et decora tua, vel probra nostra modus. Majus est inter te ac nos sive in natura intervallum, sive in conditione, quàm vel fingere posset humana mens.

Sit ergo finis in commemoratione mea, quum non sit tamen in veritate. Sed nos ad paternæ nuncupationis fiduciam erexit filius tuus unicus, qui eam appellationis dignitatem, quam ipse solus natura sua possidet, voluit ut per favorem suum communis esset nobis adoptione. Quanto jam propius ac verius pater es baptizatorum in nomine tuo, et purgatorum per sanguinem Christi tui, quibus reconciliatis tecum, et in tuam repositis gratiam, arrhabonem sempiternæ beatitatis dedisti, caritatem tui, et ingentem de te fiduciam, eaque de causa gaudium mentis. O quoties paternitatis hujus indulgentiam maximo cum nostro bono sentimus, atque experimur, quum præfers nobis facem in tenebris; ruentes impete in mala abducis, avertis, transfers ad bona, inque eis constabilis, ac conservas. ¿Quid juvant nos reliquæ paternitates, quæ in nomine solo subsistunt? per quas nihil habemus aliud,

quàm quod servi aut mercenarii, alimenta præsentis usus. Hæc demum est vera, et de qua jure gloriemur, paternitas, per quam patris hæreditatem cernimus. O admirabilis filii tui candor, qui nobis eam dignitatem, quæ est ipsius propria, non invidit.

¿Quid jam non largiatur filiis suis pater, quod quidem utile ac salubre illis futurum arbitretur? Maximum adepti munus sumus, ut tu *Pater noster* dici a nobis dignareris, et esse. Reliqua sunt in prono, affectus paternus, educatio et tractatio liberalis filiorum, prospectio hereditatis. Hæc quidem nobis ex te paterna munera. Sunt etiam patres alii exemplo atque imitatione, qui nobis propositi sunt ad æmulandum, de artis aut virtutis cujuspiam excellentia. Est et hoc quoque nomine Pater Deus, quem sequendum atque exprimendum, quatenus immortalem mortalis potest homo Deum, docet ac præcipit nobis Christus, caritate videlicet, qua una perficiuntur animi, ut amemus non amicos modo, verum etiam inimicos: ex qua voluntate probe affecta, nascitur in nobis diffusa in universos beneficentia, quo simus perfecti, et illius patris similes, qui diligit omnia, nec odit quicquam eorum quæ sunt, quique pluit super justos et injustos, et solem suum tam bonis, quàm malis quotidie profert. Ceterum nullius harum paternitatum filii nomen quisquam meretur, qui non se pro virili parte sua dignum præbet filium tanto patre.

Solicite uti nos ipsi observemus, ac custodiamus, convenit; ne quid vel in cogitationem subeat, propter quod illum immerito patrem nuncupemus, eique faciamus contumeliam, qui ejusmodi filiorum vel dicatur Pater vel existimetur, qui indigni sint, ut vel homines habeant patres. ¿Quid quod sicuti nos illum patrem injuria nominabimus, ita nec axaudiet sic vocatus atque imploratus, nisi et affectum filialem sumserimus, ut honoremus, ac veneremur Patrem verbis et operibus, quotiescunque res poscet; sed corde potissimum; ut amemus bonitatem illius, redamemus caritatem, grati erga beneficia? Postremo, ut cuncta nostra fiducia in illo uno sit nobis collocata, illumque beneficentissimum atque indulgentissimum esse censeamus, omniaque in nobis ad nostras illum utilitates efficere. Qua ex reputatione nascetur id quod est etiam vere filiorum, ut et jussis ejus libenter alacriterque obtem-

temperemus, ut leve ac suave fiat quicquid ille injunxerit, sive quia ille præcipit, seu quia nihil est amori difficile. Quum castigarit, æquo feramus animo, persuasi, quod verissimum est, id demum nobis vehementer expedire. ¿Quis alioqui Patrem nominabit Deum, qui se illum actionibus suis testetur non habere pro Patre? O Pater, oramus te, ut paternam hanc erga nos indulgentiam patefacias, præstesque dignos, qui te jure Patrem nominemus: et quemadmodum tu paternum affectum cepisti, ita filialem in nos, atque isti tuo congruentem infundas.

NOSTER.

DUo verba, *Pater* et *Noster*, quæ nos recolendo ad incredibilem tui rapiant amorem. ¿Quid majus tua paternitate, quid optabilius? Nam si nos filii sumus Dei, deos quoque esse necesse est. Si tu Pater noster, omnes ergo quorum tu es pater, fratres sumus: quo propinquitatis nexu jam non cum hominibus modo, sed cum Angelis quoque ipsis devincimur. ¿Quid dixi Angelos? cum ipso quoque Christo Jesu, cujus solius est dicere, *Pater mi.* Illum tu enim ex tua essentia progignis, nos autem fecisti opifex, receptos per adoptionem in consortium nominis illius. Parens es, colendus igitur, amandus, venerandus: homines, fratres, mutuum ergo amorem debemus, et ex amore subsidium mutuum et benefica opera, qui rivuli sunt ex benevolentiæ scaturigine dimanantes. Nemo enim adeo impudens fuerit, qui amare se affirmet, quum vero usus postulat, non benefaciat, si possit: haud aliter quàm si ignem ajat quis inveniri non ardentem. Quocirca nemo vere ac merito potest tibi dicere *Pater noster*, qui reliquos eadem ratione ac jure Dei filios fratres esse suos vel non putet, vel dedignetur. ¿Sed quis tamen fuerit tam projectæ insolentiæ atque arrogantiæ, qui fratres eos aspernetur, quos non aspernatur Deus filios, nisi forte conditionis suæ oblitus, et vel magnitudinis tuæ, vel humilitatis suæ immemor?

En tota Lex et Prophetæ primis duobus verbis *Pater noster* concluduntur; quibus pietas declaratur erga Deum Patrem, erga homines fratres. Et quandoquidem amoris nodo universi con-

nectimur, jam non diversi sumus, sed unius corporis membra, atque adeo res una. Ideoque quod pro semetipso unusquisque nostrum abs te optat, pro illo et precatur, quem caritas alterum ipsum reddit. Magister amoris totius ac miserationis, ut ipse cunctorum delicta in corpore suo pertulit, et secum affixit cruci; ita et nos esse eodem inter nos animo voluit, ut nos mutuis juvaremus operis, aliorumque noxias pro nostris ipsorum haberemus: quo non minus oraremus pro illis Patrem, quàm pro nobis ipsis. Pro se orare quemque cogit necessitas singulis nos urgens ac premens momentis: pro altero autem hortatur caritas fraternitatis. Gratiores autem sunt preces ac lacrimæ, non quas necessitas nostra exprimit, sed quas elicit amicitia, tam dulci nomine commendatas. Remolli Domine durissima nostra corda, fac ex lapideis carnea, ex immanibus humana, ut inita inter nos omnes gratia mutua, non falso te nomine *Patrem nostrum* appellemus.

QUI ES IN COELIS.

Tu solus es, nos non sumus. Et si modo aliquo sumus, hic sumus in terra, idest inter medias tempestates, et fluctus calamitatum omnium ac miseriarum ingentes, reciprocos, perpetuos. Tu autem et vere es, et in cœlis es; hoc est in loco, ad quem nullus labor, nulla molestia potest pertingere. Non invocamus progenitores horum corporum, vel jam defunctos vita, vel invalidos, quique ipsi sibi opem et subsidium afferre, quando egent, non queunt. Non ad eos accurrimus, qui cura, qui functione atque administratione publica, vel decursa jam ætate, patres nominantur; non minus, quàm priores illos infirmos, atque imbecilles: non patrem Jovem, aut patrem Neptunum, aut Liberum patrem, aut alios deos patres, quos in orbem invexit hostis majestatis tuæ, quos vel nominare pene grande est nefas, figmenta magnitudini bonitatis ac sapientiæ tuæ opposita.

Est qui patrem suum putat esse divitias in arca repositas, aut in possessionibus collocatas, obnoxias mille casibus et periculis: laius potentiam in consensu et favore subditorum, quibus nihil est instabilius: alius gratiam sui principis hominis, et natura morta-

talis, et potentia infirmi, et voluntate mutabilis. Quisque sibi patrem fabricatur eam vanitatem, qua stulte confidit. Nos vero, quos tu per amplissima tua munera ad filialem dignitatem vocas et invitas, in cœlum oculis sublatis te patrem dicimus, atque imploramus, qui es in cœlis. Cujus quidem præsentia universitatem mundi adimplet. Regni vero sedes propter loci excellentiam in cœlis fixa esse dicitur, et constituta: qui cœli forma et decore suo, tum ordine stato atque certissimo, enarrant sublimitatem essentiæ tuæ, amplitudinem potentiæ, immortalitatem naturæ. ¡O miseros, qui te tantum nacti patrem, ad alios adhuc patres, de quibus vel erubescant, vel glorientur, respiciunt!

Tu te nobis patrem offers: taceamus de reliquis, qui vel contecti jam sunt humo, et computrefacti, vel humi etiam num reptant, gravi corporis sarcina oppressi ac miserabiles. Cæci ¿quid humanos patres jactamus, a quibus infirmitas, malitia, miseria omnis est nobis? a te autem vere Pater potentia, bonitas, beatitudo. *Omnia*, inquit tuus Apostolus, *possum per illum, qui me corroborat.* Et alio in loco, quum de sua imbecillitate quereretur, audit ex oraculo tui Numinis: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate tua perficitur.* Tu nobis es semper in cœlis, ut patrem nostrum illic sciamus esse, et ibi paratum nobis refugium, quo nec fraus ulla penetrat, neque vis inimica: omnia sunt secura et tuta, quia tu illic Rex es magnus, et Deus magnus; nam hic in terra multis neque Rex tu es, neque Deus: sibi quisque regem et Deum affingit pro libito cupiditatis. O Pater, *qui es in cœlis*, conditor eorum, et Dominus sempiternus, exaudi nos, qui in terra fluctuamus, atque agitamur coloni et inquilini, non temporarii solum, sed plerunque etiam momentanei.

In cœlis est Pater noster, ibi ergo hereditas nostra et felicitas. ¿Quid in terra quærimus, nisi id, quod illa suapte natura profert, morbos, curas, sollicitudines, ærumnas, cruciatus, tormenta? Sunt quidem hi cœli, qui ambitu suo tegunt, arcentque universa, sedes excellentiæ tuæ regalis. Sed habet quoque tua bonitas alios, quos inhabitet, cœlos. Primum sanctos tuos, quos tu adhuc in corporis hujus carcere inclusos eo favore complecteris, adeo es in illis caritate tecum conjunctis et unitis, ut in re-

bus

bus aliis omnibus, quæcunque vel cernuntur vel tanguntur, si cum illis conferantur, non videaris esse. Cœli sunt isti, quorum mens, cogitatus, ardor animi, vota, desideria, vita denique ipsa, et conversatio non hic est in terra, sed in cœlis. Sunt item cœli sancti tui jam eo recepti, unum tecum communicatione tuæ beatitatis, ut in rebus aliis non existimeris esse præ illis.

Ad hæc vero cœli sunt sempiterna illa tua bona, quæ nobis in cœlis parasti. Ibi te quærimus, quoniam ibi potissimum es nobis. Ibi te invocamus, quoniam qua es nobis, in tantis es bonis. Ibi te amamus, ac colimus, quia bonitas tua, quæ nos ad te amandum allicefacit ac invitat, quæ tua erant unius, proposuit nobis communia. Ibi ergo et bonitas est tua, amoris auctor et beatitatis, amoris fructus. Docet nos filius tuus, et consuefacit sursum spectare, eo semper vota et desideria nostra mittere, ubi sunt amores nostri, et veræ ac propriæ deliciæ. Rapiunt quemque amores sui: miseri, qui in noxiorum amorem inciderunt: felices, qui in bona. Grande in nos Christi beneficium doctrinæ, qui vera nobis demonstrat bona et permansura, in quibus cum magna nostra felicitate animos amoresque nostros defigamus. O *Pater noster*, erige nos ad cœlos tuos, injice nostris pectoribus ardorem, ut bona illla tua toto concupiscamus animo, tota sequamur voluntate, quorum bonorum magnitudinem atque præstantiam nec cogitatione quidem ulla possumus capere.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

VErum cuique nomen, atque aptum est, quo illius declaratur vis et ingenium. ¿Quis tibi, Domine, congruens indet nomen, cujus magnitudo essentiæ, et infinitas naturæ, mentes omnes et hominum et Angelorum transcendit? Sed est tamen nobis nomen tuum, quo tu utcunque cogitationibus nostris exprimeris, vel potentiæ consideratione, vel probitatis: velut omnipotens, conditor, immortalis, Rex et Dominus universorum, justissimus, sapientissimus, optimus, beatus, beneficus, servator. Sanctificetur, Pater, nomen istud tuum in nobis, ut nihil existimemus venerabilius, nihil sanctius aut sacratius: hoc revereamur solum, huic

so-

soli nos summittamus: reliquis autem propter illud; ut ad nomen salutis nostræ Jesu, quod excelsius est quocunque nomine sive seculi hujus, seu venturi, omne genu flectatur, cœlestium, terrenorum, et subterraneorum. Declaratur et nobis vis tua per res conditas ita in mysticis tuis litteris et petra es, et ignis, et columba, et lux. Omnis tui memoria et recordatio cum ingenti dignatione animos nostros subeat.

Tuum itidem nomen gratia est, favor, præsidium tuum, quod in rebus duris ad tutelam nostri invocamus. Immitte nostris pectoribus tuum lumen, ut te unum semper imploremus, a te solo expetamus opem ac subsidium; nec aliis rebus fidamus caducis, fluxis, perituris, fallacibus, nisi te uno, qui solus et potes, et vis, et soles servare. Est item nomen tuum auxilium, est via qua nobis ad te proficiscentibus est eundum, quam bonitas tua beatitudini nostræ munivit; pietatis forma, et sacramenta, quæ nos per caritatem Christi tui reconciliant tecum: ad hæc, salutis disciplina, ac præcepta, quæ tu sanctis tuis dictasti, quibus præceptis incredibili bonitate et amore dignaris præbere te nobis ducem viæ hujus, magistrum vitæ. Effice Pater, ut ea sancta sint nobis; idque nos cuncto expetamus voto; nihilque eorum sumamus, nisi venerabundi, et puris animis: sive dum illa tractamus, sive dum de illis verba facimus, omnia exequamur serio, et cum ingenti reverentia.

Nam qui hæc contemnit aut deridet, quod est indignissimum, vel qui neglectim attingit, quique ad nugas convertit, aut risum captandum; sanctum tuum nomen, per se quidem incontaminabile, ipse in se contaminat, aut (ut aptius dicam) sese per illud; quia et sapientiam tuam, quæ illis continetur, despicit, et bonitatem aspernatur. Omnino Domine sic nos geramus erga illa, ut nihil sit nobis sanctius, utque per ea ipsa, quæ vere sunt sancta, sancti et ipsi reddamur. Profer, atque exhibe nobis ad nostram ipsorum sanctificationem lumen mentibus, ad aliorum doctrinam efficacem linguæ facundiam: ad exemplum vero actionibus atque operibus vires; ne depravata nostra et conscelerata vita male audiat in gentibus sanctum tuum nomen, atque admirabile: neu male de tua pietate sentiant qui illam ex nobis censent,

sent, pravamque esse suspicantur, quia nos illius professores pravi sumus.

Sed ita luceat lux nostra coram hominibus, ut intueantur opera nostra bona, et laudent, suspiciantque te patrem nostrum, qui in cœlis es. Nam si propter res in hoc mundo vel specie sua ablandientes, vel utilitate nostra, ad venerationem divinæ virtutis animi consurgunt; ¿quanto id eos facere impensius est credibile, quum alios homines favore tuo sanctos, et quasi semideos animadvertunt? Dicunt enim, aut certe intra se recte statuentes cogitant. ¡O adorandam Dei potestatem, quæ rem usque eo humilem sic potest evehere! ¡O amabilem bonitatem, quæ vult! Neque nos soli sanctificemus tuum nomen, sed adjunge ad hanc nostram felicitatem alios quàm plurimos. Expande lumen tuum super genus humanum, illumina mentes, accende affectiones; ut omnes sicuti par est, nomen tuum sanctificent non professione tantum, sicuti nos mali, sed cultu quoque pietatis tuæ, tamquam unicæ sanctæ ac salutiferæ. Tum demum sanctificabitur nomen tuum, quum filius tuus Jesus Christus, quæ est gloria tua, omnibus erit cognitus, ac proinde carus.

Accedunt his tuis nominibus imagines aliæ probitatis ac majestatis tuæ, velut quæ relucet in Angelis et sanctis hominibus, in principibus, et magistratibus, quosque tu regendis tuis populis publice præfecisti: tui enim sumus omnes, sive quia condidisti, sive quia conservas et tueris; tum in iis, qui nobis privatim præsunt, a te etiam constituti parentes, educatores, nutritii, magistri formandis animis asciti. Hosce omnes convenit nobis venerabiles esse ac sacrosanctos ob hoc unum, quod nomen tuum referunt, nempe vicarii tui. Bonis tribuemus benevolentiam illis debitam; rectoribus autem honorem atque obtemperantiam, cuique pro sua portione; eo scilicet majorem, quo tibi quisque vicinior fuerit, ac propinquior. Qui hos contemnit, qui contemerat simulacrum tui, hoc est nomen tuum contemerat, sibi ipse injurius ac perniciosius, non tibi.

Sic ab illo sumus edocti, quem doctorem hominum misisti, tum ab universa illius schola. In te Deus laudanda et sanctificanda omnia tam plena majestatis; ut quocunque modo animis

oc-

occurras, nefas sit non illos continuo in genua procumbere; hoc enim debetur tibi a quo sunt bona omnia, non quia tibi expedit, qui non eges, sed quia nobis magnopere. Laus et gloria nominum humanorum cassa et inanis est absque ullo fructu; nec ei qui laudatur prodest, neque laudanti: laus vero nominis tui, et sanctificatio fructuosissima, quia per illam sanctificans sanctificatur, et salutem immarcessibilem consequitur, ac sempiternam.

ADVENIAT REGNUM TUUM.

TU solus Domine regnum mereris, qui unus conditiones habes regno idoneas, sapientiam et æquitatem. Tu regna in nobis, rege tu nos: nam sub te non possumus non agere felicissime. Regis tu quidem omnia, sed tanta clementia, ut ea sæpenumero mali et dementes homines abutantur; deque te ac regno tuo subdubitent, quod non more ipsorum impetuosus sis, et ultor absque dilatione. Tu vero mansuetudine tua perfers omnia, reservans in futurum promiscua atque incerta, quoad justitia tua convertatur in judicium. Profer Domine atque ostende specimen aliquod tantæ magnitudinis ac imperii, qua tam mali quam boni regnum tuum intelligant et agnoscant. Mali egent ut te exhorrescant, quem non diligunt; et metu pertrahantur quo nolunt venire blande invitati. Boni hoc rogant, et expetunt malorum caritate, ut omnes tandem fiamus tui ultro ac volentes potentiæ tuæ justissimæ subditi, quam effugere non possumus, quamlibet repugnantes.

Habes et regnum alterum sempiternum, potissimum, maximeque expetendum, in quod filios tuos a mundo condito cœpisti recipere: ibi tu regnas extra repugnantiam omnem carnis, extra contradictionem Satanæ, absque sollicitatione inventæ a nobis vanitatis, quem mundum appellamus. Hic nos regimur, immo undique vexamur tyrannide, ac premimur a cœlo, a solo, ab aquis, ab igne, a feris, a venenis, ab hominibus, a nostris ipsorum corporibus, a nostris affectionibus. Nos nostris possessionibus servimus: nos subditi sumus iis rebus, quæ et natura nobis sunt, et conditione subjectæ. Omnia nobis resistunt, omnia re-

reluctantur. In illo tuo regno absunt prorsus vitæ hujus miseriæ, fames, sitis, nuditas, labor, infirmitas, morbus, infamia, inopia, odium, invidia, simultas, bellum, calumnia, senium, mœror, metus, luctus, fletus, mors: omnia læta, et gaudii referta ac constipata, salus ubique, et pax, et copia, et quicquid expeti atque optari potest promtum paratumque.

Illud ad nos perveniat tuum regnum precamur, in quo devicta morte, et sub nostros pedes Satana per fortitudinem Christi prostrato, tum reformato corpore mortalitatis nostræ ad imaginem corporis præstantiæ filii tui, certi ac securi æternitatem totam tecum regnabimus. Ea bona tam immensa, tam ineffabilia, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec fingi animo et cogitatione queunt, ea sunt, inquam, quorum reputatione ac spe sola fulcimur hic inter tot assultus, et vim, atque impetum hostis perpetui: quin et æquis animis damna ævi hujus, incommoda, et molestias perferimus. Vilescunt nobis præ recordatione regni illius, sordentque omnia quæcunque in orbe hoc vel pulcherrima judicantur, vel maximi precii. Tolerabiles atque etiam leves fiunt nobis dolores corporis, ægritudines animi, et dicimus cum Apostolo tuo: ¿Quantulæ res sunt tandem calamitates omnes et afflictiones curriculi vitæ hujus, præ magnitudine sequuturæ mox beatitudinis?

Ad istud tantum regnum tamque optabile, per regnum vitæ hujus temporarium venitur. Nam si tu hic in nobis regnaris, nos illic tecum regnabimus per te. Regnas tu in nobis, quum in animis nostris nullus respectus dominatur vel præstigiarum mundi hujus, vel voluptatum, dolorum, necis corporis: non dæmonis fraudes atque astus, sed tui unius respectus valet, ut omnia faciamus tua gratia, quoniam te plus quàm nos ipsi diligimus. Hoc regnum mite ac salutare omnem a nobis tyrannidem depellet. Non regnabit unquam Christus, ubi et Satanas. Si in nos volumus Dei regnum inducere, ejiciendum est prius regnum Satanæ regnum carnis, superbiæ quoque universum apparatum et quasi armamentarium, opes, honores, dignitates, famam, decus, gloriam.

Libera est civitas principatui Christi relinquenda, qui con-

sor-

sortium in regno suo non patitur cum alienis, nedum cum hostibus. Sed regnum illud tuum, quo oculi nostri spectant, quo animus, quo mens et cogitatio nostra fertur, regnum est filii tui, quia heres tuus unicus, seu verius consors: is judicaturus est permissu tuo, qui sint regno illo tuo digni, qui contra. Rex est Christus, sed eum dæmones oderunt, et procuratione dæmonum mortales non pauci aspernantur, clamantque: Nolumus hunc regnare super nos. Veniet aliquando manifestus, ut inviti agnoscant Regem, cui noluerunt se ultro subjicere. Tunc erit tempus universarum rerum, quæ omnes in futurum servantur incertæ; et statim finis, quum tradiderit regnum tibi Patri Deo, et aboleverit omnem principatum, et omnem potestatem.

Regnum hoc expectat creaturæ anxium desiderium, ut liberetur a servitute corruptionis. Regnum hoc optant, atque ingemiscunt boni, tum ut fiat corporum suorum instauratio, tum ut de omnium hoste consumetur victoria, et palam ostendantur qui ad regnum hoc pertinent filii tui. Hoc nos etiam imploramus atque optamus, ut absoluti ab hac laboriosa statione, immortalitatem cum Christo degamus. Veniet quidem regnum illud, velimus, nolimus: sed obsecramus te Pater, ut veniat nobis, non contra nos. Veniat nobis Judex amabilis, non formidandus, ut felicitatem illius regni sentiamus, non vim et potentiam. O quanta imponitur nobis bene vivendi necessitas, qui hoc regnum docemur optare atque invocare, ut ita nos illi paremus, ne criminum nostrorum quæstionem trepidi cum terrore expectemus, sed cum gaudio et bona spe, velut cursus nostri metam, velut præmium certaminis, et salutarem ex undis ac tempestate portum, in quo cum illo conjungemur, quem tantopere amamus. O Pater, libera nos ab hac tyrannide impotentissima, quam nostris capitibus scelus nostrum imposuit. Adapta nostris cervicibus mite jugum filii tui, nostris humeris onus leve: regna tu hic in nobis, quo et nos æternum regnemus in te.

FIAT VOLUNTAS TUA.

Est in te Domine voluntas quædam omnipotens, cui nihil omni-

nino potest obsistere, fiet quicquid illa jusserit, vel invito mundo universo, nedum nobis homunculis miseris atque infirmissimis. Rogamus atque obsecramus te ut nobis gratia tua opituleris, quo voluntate acquiescamus tua; quodque eventurum est, quia tu vis, eveniat quoque secunda nostra voluntate. Est et altera tua voluntas, quam magnis atque evidentibus signis nobis patefacis ac declaras, non potentiæ, sed bonitatis et amoris, qua vis ut homines omnes ad finem, cui eos destinasti, perveniant; quem in finem donasti nos mente et cognitione tui, ut te amemus: misisti ad nos eruditorem filium, qui nos voluntatem hanc tuam edoceret, et quem in modum perfici posset, ostenderet. Impleatur in nobis Domine hæc tam sancta tamque salutaris voluntas tua, ut per fiduciam filii tui justificati per caritatem illius, et quoad ejus fieri possit, nostram, tecum jungamur.

Da Pater eam mentem, ut non modo effectum hujus velimus ac desideremus, quæ nobis tantopere conducit, sed illius quoque majestatis tuæ ac sapientiæ, idque prorsum absque ulla exceptione. Nec partiri tecum eventus rerum fas jusque est, ut alia fiant, quia tu vis; alia, quia nos. Fiat omnino quicquid tu jubes, non in nobis modo, sed in rebus universis, nobis volentibus, in lumine, vi, et vigore, in signis cœlestibus, in salubritate ac temperie aeris, in tempestatibus, tranquillitate, alluvionibus aquarum, in cultu terræ, in percipiendis ex ea frugibus, in omnibus nostris alimentis, et medicamentis: quacunque vero elementorum parte, in valetudine, victu, cultu, vestitu, habitatione, statu, conditione vitæ, qua publice, qua privatim, in alienis, in iis qui nos oderunt, in amicis, propinquis, necessariis, parentibus, uxore, liberis, familia, subditis, in omnibus ubique et semper. Tribue hoc nobis ut quicquid tibi placuerit, fiat nobis non invitis, non gementibus, non qua possimus reluctantibus. Est hoc profecto vehementer congruens, ut voluntas nostra et scientia cæca, et desideriis prava, sequatur per omnia voluntatem tuam, qua nihil vel fingi sapientius potest, vel melius: et quæcunque de nobis statuit, etiam quæ nos remur esse adversissima, ad exitus spectant maxime nobis utiles, si modo non recusemus obsequi. Suscipe me Pater volentem: in me vero nulla est parendi mora. Duc quo ti-

tibi libuerit libentem; nam certum habeo non ducturum te nisi ad ingentia mihi bona.

SICUT IN COELO, ITA IN TERRA.

ANgelis tuis Domine nihil est antiquius et sanctius, nihil etiam gratius, quàm imperium tuæ voluntatis, cui illi alacres atque expediti parent, quod capessunt atque obeunt dicto citius, ut ajunt. Voluntas tua est ut homines fiant beati. Ea jam perfecta est in sanctis illis, qui te sempiterno ævo perfruuntur: utinam non minus perficiatur in nobis terrenis adhuc, quàm in cœlitibus. Sunt et hic inter nos quidam, quos cœlestes non injuria quis nuncupaverit; illi videlicet vera et solida pietate præditi, quorum cogitatus et curæ omnes in cœlis sunt: veluti contra, terrestrissimos habemus quosdam, quorum mens et cupiditas omnis animi in rebus est terrenis posita, et defixa. Est et in unoquoque nostrum mens, a cœlesti ac divina tua sede ad nos demissa. Est et corpus, de quo scriptum est: *Finxit Deus hominem de terræ pulvere.*

¡O si quàm facile ac libenter boni viri dicto tibi sunt audientes, tam etiam mali ac terreni sublati ad te, et quasi ardore tuæ caritatis abrepti, ut vapor a sideribus, sanctam tuam voluntatem intelligerent, amarent, exequerentur! ¡O si caro hæc exuta vetere Adam, qui de terra factus est, subderet se voluntati tuæ tam promtè, quàm homo ille interior, qui profitetur quidem consentire se ac delectari lege Dei sui, sed lamentans conqueritur impediri ac irretiri se a carne sua velut manicis et pedicis, quo minus quod bonum esse intelligit, quodque tantopere concupiscit, exequatur! ¡O si vinctum hunc et compeditum fracta et debilitata vi carnis solveres atque extricares, ut summoto eo quod consensum cum voluntate tua retrahit ac retardat, nihil omnino essemus aliud, quàm quod tu vis! O Pater, utinam nos terra onustos atque obrutos efficias cœlestes, ut sanctificetur nomen tuum sicut in cœlo et in terra: ut optemus advenire regnum tuum sicut in cœlo et in terra: ut velimus voluntatem tuam perfici sicut in cœlo et in terra: ut incipiamus jam hic esse in terra, quod in cœlis aliquando sumus ex tua munificentia futuri.

PA-

PANEM.

FInxisti nos auctor noster, et coagmentasti ex corpore et animo: utrunque, quoniam in nobis vivit, alimento quo sustentetur indiget. Antiquissimum et præcipuum homini fundamentumque aliarum epularum est panis, vel quod panis vicem obtinet. Idcirco *panis* nomine id declaratur, quo necessitates vitæ hujus inevitabiles tolerantur, sive in iis quæ edimus, sive quibus tegimur, quibus foventur membra nostra, et ab injuria vel rigentis cœli defenduntur, vel ardentis, quibus a morbo convalescimus, aut certe ad morbum ferendum suppetunt vires. Reliqua supervacanea sunt, quæ invexit partim superbia, partim voluptas, et ex ea ortæ deliciæ. Nos illa abs te poscere, quæ cura atque ebrietate sua oblivionem tui humanis mentibus infundunt, nefas est.

Nihil in hunc mundum intulimus, utique nec auferre quicquam possumus: habentes ergo quibus alamur atque amiciamur, iis contenti sumus. ¿Quid opus est peregrino sarcinis et impedimentis? Iter hoc vitæ facilius ac jucundius peraget liber atque expeditus. Sed neque in his ipsis necessitatibus opem imploraremus tuam, qualicunque rerum statu acquiescentes intenti semper in te, nisi nobis illæ pondere suo ac molestia ita plerunque divexarent corpus, ut animum a tui contemplatione invitum quidem et repugnantem, sed certe abstrahant ac divellant. Petimus ergo abs te Pater panem necessitatis vitæ hujus, non quem ipsi nobis vanitate ac perversitate nostrorum ingeniorum sæpenumero nobis confingimus, sed quem ipse scis esse talem, qui tanto nos melius novisti, quàm nos ipsi. Hic quidem corporum est panis.

Est et mentium alter quidam, sine quo minus valeat animus noster vitam propagare, quàm corpus absque illo, nempe doctrina filii tui, et esus carnis ac sanguinis illius, per quem unum, et lux accedit ingeniorum nostrorum tenebris, et animorum morbis salus, et tempestatibus quies, et libertas servituti, denique morti reviviscentia. Hic est magis necessarius mentium panis, quàm ille corporum: hunc potissimum petimus, hunc in primis præbe Pater, vel solum, si ita tibi videatur. Nam alterum illum, si non porrexeris, ¿quid fuerit tandem periculi? certe extinguetur corpus;

pus; at si hoc careamus, peribit anima: ¿quanto graviore casu, et magis horribili quàm si corpus intereat? Corpus hoc, velimus nolimus, morietur tandem, videlicet mortale: at vero anima immortalis non potest secundam mortem sine acerbissima infelicitate experiri. Aperi Pater locupletissime uberrima illa sapientiæ tuæ horrea; da viaticum affectis nostris animis, ne in hoc itinere exilii collabantur, sed refecti ac refocillati ad te perveniant patriam nostram, in qua nulla erit amplius esuries aut sitis.

NOSTRUM.

AMbo hi panes tui tantum sunt munere, nostri tantum usu, quia nostri tantum necessitate. Illis tu non eges omnibus perfectionis et abundantiæ numeris plenus, atque absolutus: neque Angeli et dæmones corporalibus incorporei. Institutio autem filii tui ad beatitudinem adducit, quàm Angeli jam sunt adepti. Dæmones vero scelere occæcati, quod esset illis maxime conducibile, non recipiunt. *Noster* igitur est panis corporatus, qui sumus corporati. *Noster* etiam panis et cœleste viaticum, qui soli sumus ad cœlum viatores perpetui. Da Pater parvis tuis liberis panem nostrum, quo maxime est nobis opus: quo remoto perficere iter institutum non valemus. Hic demum panis noster est; nam superflua vanitatis sunt, non nostra: quæ si detinemus, plane usum aliorum de illis occupamus ac avertimus: eaque de causa fures sumus, quod alienum est rapientes arcentesque. Publica sunt abs te procreata omnia: dominum facit non jus possessionis, sed necessitas usus. Tu Domine nihil cuiquam debes, qui omnibus affatim largiris, nemo tibi. Panem hunc non debes nobis, cui nos debemus nosmetipsos. ¿Quid enim efficere nos possemus, ut tu quicquam deberes?

Sed tu ad depellendam nostram socordiam, non sinis nos esse otiosos: jubes ut per sudorem vultus nostri vescamur pane nostro; et Paulus Apostolus tuus denuntiat, ne in ecclesia tua edat is qui non laborat; et Rex Vates, Beatum illum pronuntiat, qui ex laboribus manuum suarum quæsito pane vescatur. Vis ergo, ut quodammodo noster dicatur is panis, qui labore et recta legitimaque nostra industria sit paratus: noster est opera, tuus munere tri-

tribuentis quia vis, non quia debes. Panis ergo, quem nos quum utili in commune solertia, et justo ac legitimo labore possemus quærere, si blanditiis elicimus, si precibus et commiseratione conquirimus, odio atque importunitate exprimimus, fraude auferimus, astu intervertimus, impostura aut malis artibus surripimus, violentia extorquemus, noster non est, sed per injuriam raptus. ¿Quid de illo dicam, qui nec ulli omnino operi admovere vult manum, nec ulli probæ cogitationi applicare animum, sed alienis sudoribus frui postulat, segnis atque ociosus, tamquam fucus insidens apum diligentiæ, grave atque inutile terræ pondus? ¿Quomodo hi omnes rogant te panem vel tuum, vel suum? Iniqui sunt, et in consortium iniquitatis suæ cupiunt te precibus adducere. Tu vero, ò Pater noster, da nobis panem, qui vere dici possit *noster*: ne nos alienus non pascat, sed strangulet.

QUOTIDIANUM.

UNusquisque dies imago est vitæ, cui succedit nox, et somnus, quo nihil est morti similius. Itaque reducti a somno in vigiliam, veluti a morte revocamur in vitam, in qua statim primum omnium cibum poscimus, quo carere nos diutius non patitur præsens hæc necessitas, semper urgens. Quod de die petimus, de universa est vita intelligendum. Nec solum pastus hic corporum a nobis quæritur, sed medicina exterior et interior, ut utrunque vivat; quod alimentum, quoniam quotidie vexamur, quotidie animo deficientes, et corpore, quotidie dari nobis postulamus. Interpositio est nox, et intervallum lucis, quod in nostris accidit mentibus, quum illæ a te conditore Deo ad res abs te procreatas vel æstimatione descendunt, vel benevolentia et delectatione avertuntur.

At quum hic rursum Christi beneficio in Deum revocantur, orto Divino sole, dies illis renascitur, in quo refectionem nostram, ac velut demensum diurnum continuo petimus doctrinam filii tui, per quam nobis lux revertitur. Reducit nos in auroram ex noctis tenebris Christi pacificatio. Sed ille tamen pascit semper, et quiescit in meridie, plenus lucis et ardoris, non retinens præ-

ce-

cedentis vel caliginis vel frigoris vestigia, nunquam tendens in occasum. Est hic panis præcipuus, egregius, summus, peculiaris, hoc est ἐπιούσιος, excedens substantias omnes nobis necessarias; his enim carere omnibus possumus, hoc non possumus: de quo Servator noster pronuntiavit, quod unus ille esset necessarius. Da Pater ut panem hunc esse nobis necessarium, et a te petendum uno plane intelligamus.

D A.

TU unus potes dare, tu unus soles: et hoc tuum unius esse munus vis nos non ignorare; haud quidem ad promerendam a nobis gratiam, qua non indiges, sed quia nobis, ad consequenda quæ opus sint, a quo quicquam petendum est scire, et quemadmodum, prodest: *Postulet* (inquit Jacobus) *fide, nihil hæsitans.* Certus amor certam parit fiduciam, quæ dubitationem omnem de animo extrudit. *Da* panem hunc Princeps ditissime ac munificentissime, qui largiris omnia, a quo uno speranda sunt omnia: non modo spiritalem illum panem summum, et te patre spirituum perquàm dignum, sed hunc quoque corporatum, corporibus nostris congruentem. Frange tu Pater panem filiis; da tu nobis, ne sumamus ipsi. Nos enim judicio nostro, vel libidine potius inducti, nec in tempore sumimus, nec quantum, vel quatenus, vel quemadmodum expedit.

Rapimus nos in nostras cupiditates, in avaritiam, in superbiam, in luxum, et pravas animi libidines; hoc est semota utilitate sumimus in nostram perniciem, haud secus quàm qui intemperanter vel epulis vel voluptatibus abutuntur. Si tu dederis, dabis in loco, dabis in tempore, dabis qua convenit mensura; non poterit non esse suavissimus ac saluberrimus. At multi et materiatum habent panem, et spiritalem, nempe opulentiam, amplamque eruditionem: sed nihil eos hic panis juvat, quia tu non das. Scilicet nec nutrietur dapibus hoc corpus, nec cognitione doctrinæ tuæ nostra mens, nisi tu porrexeris atque annueris. Edit nobis terra frumentum, tradunt magistri cultum animorum: ¿sed quo hæc nobis? nisi enim verbum tuum vivificans accesserit, neque corpus sustentabitur cibo, neque animus disciplina. Quocirca

sanctis tuis muneribus, ut ea nobis prosint, gratia et numen tuum precamur accedat.

NOBIS.

DA Pater non carni huic brutæ, mancipio nostro nequissimo, profusuræ in voluptates et spurcas delicias; non cæcis ac temere incitatis animorum nostrorum motibus, qui nacti vel occasionem vel incitamentum, ingentes toto homine tempestates concitarent; non menti arrogantia turgidæ versuræ antidotum in venenum, salutem in exitium. Non ita nobis, ut per nos ad alios sine utilitate nostra transmeet, tamquam per infundibulum. Tribue Pater indulgentissime ac providentissime, panem necessarium menti nostræ intelligenti, placidæ, gratæ, quæ et munus et largitorem agnoscat, quæque te opitulante panem, quem ipse porrexeris, ad usum sibi salutarem accipiat. Sunt quos tu velut nutritios atque educatores pani nobis infantibus frangendo ac distribuendo præfecisti, quum homines locupletes, tum magistros ingeniorum, et morum formatores. Aperiat munificentia tua immensos istos sapientiæ ac divitiarum tuarum thesauros; impartire illis largam et puram facultatis copiam: adde ingenium, ut sciant; animum, ut velint in nos, qui egemus, transfundere: nobis quoque eam tribue mentem, qua et alacres ad suscipiendam doctrinam, et dociles reddas, tum adversus beneficia benevolos ac gratos.

HODIE.

¿PRæsens vita quid aliud est cuncta quàm dies unus? nihil habet plus longum seculum, quàm brevis dies: nec minus hic, quàm illud. Diei elementa sunt vesper et mane, sicut et in mysticis litteris scriptum: *Factum est vesper et mane, dies unus.* Utique haud alia sunt mensium, annorum, ævi totius vel elementa, vel partes. ¿Quid juvat seculum dici longum? nos certe in die sumus, atque in ejus perexigua quapiam particula. In hoc ævi nostri die panem hunc poscimus semper necessarium, quo carere nulla ætas, nullum tempus, nullum momentum potest, ab ortu ad occasum. Hoc etiam die petimus, qui cursu uno et conversione solis efficitur, non

ex-

extendentes in crastinum curas et sollicitudines nostras. Sicuti ab unigenito filio tuo jussi, atque adeo edocti sumus, quoniam cura sustentandi nostri curam pietatis vehementer e pectore depellit.

¿Quid porro peteremus ad incerta? ¿ignari an vivemus cras, cur quicquam ad crastinum petemus? ¿Quid, quod qua de causa curam extenderemus in posterum diem, eadem in dies ac annos plurimos, ita semper animi penderemus, nunquam acquiescentes præsentibus? Ideoque ut animus anxietate hac solutus et metu, ad pietatis exercitamenta vacet, jubetur a sapientia tua hodiernis contentus esse. Jam qui modo advenire cœleste tuum regnum optabamus, in quo spes nostras et omnia desideria collocavimus, intenti ac solicite expectantes diem illum, ¿quorsum quæremus crastinum? ¿quid nobis cum futuris vitæ hujus? odiosæ sunt peregrino quæcunque moræ viarum, qui carissima amoris pignora in patria reliquit.

ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA.

DEbemus celsitudini tuæ venerationem, debemus paternitati obedientiam et obsequium, bonitati benevolentiam, ut amantem redamemus: debemus pro beneficiis atque amplissimis muneribus gratitudinem, debemus veraci fidem, optimo ac potentissimo fiduciam. Hæc quoties non præstamus, quum res poscit, et poscit quàm creberrime, debitum non dissolvimus, sed alienum detinemus. ¿Verum quis hæc præstat omnia? nemo est, qui non multa, et multum singulis momentis debeat: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus* (inquit discipulus tibi carus) *ipsi nosmet seducimus, et veritas in nobis non est.* Et qui proposuit nobis hanc formulam cunctis communem, cunctos pronuntiat obnoxios esse debito, hoc est peccato. At si quis non esse sibi cujusquam delicti conscium dicit, audiat is alium Apostolum: *Nihil mihi conscius sum, sed non protinus justificatus sum.* Oret autem is pro occultis cum Psalmista: *Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo.*

Quod si cui remissa sunt peccata omnia, de peccato tamen propitiato vult nos sapiens non esse citra curam, precetur pro se-

minario noxiarum et scelerum, quod unusquisque nostrum secum circumfert, ut radix illa execrabilis cohibeatur, ne suppullulet. Et quemadmodum pro peccatis suorum oravit Christus, quæ ipse in mysticis litteris sua vocat, omnia scilicet inter caput et membra communicante caritate; ita et nos pro delictis fratrum deprecemur communem patrem, transferente illa in nos amore. Christus caput est nostrum, quod nobis amore copulatur: nos vero invicem membra, simili nos benevolentia aptante et compingente. Exemplum est nobis Christus caritatis, exemplum sit etiam operum, quæ ex caritate nascuntur. Oramus te Domine ut bonitas tua ad delicta nostra conniveat; quæ si ad examen volueris revocare, nullus vel justitiæ tuæ mansuetudinem, nedum severitatem sustinebit. Subveniat nobis tua misericordia, quos multorum esse jam a justitia scelerum damnatos agnoscimus. Purga nos igne favoris tui, repone in tuam gratiam, reconciliari nobis: nanque hoc demum est, remitti nobis abs te debita nostra.

SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

DEbitores sumus tibi, non reddimus quod est tuum; debitores sunt nobis qui idem adversum nos peccant, quod nos in te. Debemus alii aliis benevolentiam et caritatem, debemus pietatem, obsequium, beneficentiam, tributum, venerationem, mercedem, mutuum, nec persolvimus tamen. Non desunt qui nos lædunt cogitatione, verbo, consilio, opere, exemplo, in fortunis, in corpore, in animo, in amicis, in existimatione. Priores illi non reddunt quod nostrum est, isti eripiunt, utrique debitores sunt. ¿Quid faciemus istis debitoribus Pater? Cedo, ¿quid vultis vobis a me fieri, o filii? Pater ignosce nobis, fac nobis gratiam debitorum: Filii facite et vos gratiam vestris fratribus eorum quæ vobis debentur. ¿Quid istuc est Pater? non satis intelligimus. ¿An non vis reverentiam impendi iis quibus debetur, non pietatem, non beneficium? Id vero ego volo, et dissertis verbis præcipio, jubeo, imperio.

¿Sed quid vultis vos intelligi, quum ut remittam vobis vestra de-

debita oratis? ¿an recusatis exhibere mihi cultum, qui sum Deus? ¿amorem, qui sum bonus? ¿quique vos amo? ¿gratum animum, qui grandibus vos quotidie beneficiis prosequor? non idem sunt præteritorum ignoscentia, et peccandi licentia in posterum: non convenit ad maleficium exacui animum benignitate facientis gratiam, sed invitari ad probitatem ac gratitudinem. Admove Pater sapientissime tuum lumen, aperi nostras mentes, et institue. Homo quidem homini et facere potest gratiam debiti, et parcere, et ignoscere, si quid adversum se vel cogitavit, vel tentavit, vel etiam perfecit, et potest inimicus inimico, et remissa est pœna manente in voluntate odio mutuo. Deum vero ignoscere, et remittere nostra debita, nihil est aliud quàm reconciliari nobis, recipere nos in suam gratiam. Itaque remittere nos fratrum debita est illos ad benevolentiam nostram admittere: et si quid irati illis sumus ob injuriam, deponere animum, eisque bene cupere; neque enim fuerit ignoscere, integra intus malevolentia, testari se verbis gratiam injuriæ facere.

Nos dicimus, Pater repone nos in tuam gratiam, a qua per delictum excidimus. Respondet ille: Repone et tu in tuam gratiam fratrem tuum. Optimam ostendis artem reconciliandi tui, si nos fratribus reconciliemur. ¡O amabilem tuam bonitatem, o amorem tuum Domine dulcissimum! et tuo loco hominem reponis, et hominis loco te ipsum. ¿Quis Rex id faceret, homo de hominibus? ¿quàm in obvio atque exposito aditum ad pacem, ad veniam, ad benevolentiam tuam collocas? Non in cœlis, non in extremis terrarum, aut maris, sed juxta te o homo, atque in vicinia, atque in te ipso; quod homini feceris, fiet a Deo tibi: ut acceperis fratrem, accipieris a patre. ¿Quantulum est quod a te poscitur? ¿quantum tu poscis? ¿quantulum quod tu das? ¿quantum quod recipis? Accipe tibi thesauros immensos; da modo nummulum. Age porro, ¿quid tu tandem petis a patre? gratiam et favorem illius. Atqui ipse idem pater, a quo tu id postulas, vicissim abs te tuum erga fratrem favorem ac gratiam requirit; da mihi lutum pro auro, da stipulam et accipe margaritam.

¡O tenebras earum mentium, o cæcitatem deplorandam, quæ commutationem hanc aut non intelligunt, aut recusant! ¿Num non pu-

pudet gratiam Dei petere, qui tuam denegas homini? ¿Quid es tu præ Deo? ¿quid Dei gratia præ tua? Dementissime omnium miserorum, ubi tu in gratiam receperis hominem, ¿quid illi contuleris? ¿quid illi benevolentiæ tuæ arrogantissimum somnium profuerit? At tu in gratiam Dei repositus, ea ipsa de causa perditus antea et mortuus, ad salutem vitamque reduceris. Expeditam, Pater, certamque ad amorem tuum monstras viam, ut nos per patientiam et amorem fratrum purgatis animis, grati fiamus tibi, quia similes; es enim tu Deus pacis, concordiæ, amoris; nihil odisti eorum quæ sunt, foves et servas omnia. ¿Quàm mire et negotium nostrum agis, et omnium? omnibus proponis hanc precandi regulam, omnibus ea est utendum, et quidem quotidie, quia tua. Itaque devincis omnes mutuæ et innocentiæ et caritatis necessitudine, ut qui fratri irasci ac male cupere perseveret, non pro salute sua tibi supplicet dum hæc pronuntiat, sed caput suum diris atque execrationibus devoveat.

¿Quid quod reconciliatio ei qui ponit iram, utilissima est? evehit enim animum ad perfectionem suam, quam per solum Dei amorem nanciscitur. Simul et fratribus consulis, ut ii a nobis veniam, quietem, pacem, amorem, subsidium accipiant per te: et quo nihil est omnibus jucundius ac suavius, placide inter nos quieteque conversemur. Da Pater mitissime ac placidissime, ut nos vere atque ex animo offensas nostri omnes deleamus e pectore, faciamusque earum gratiam nostris debitoribus, non hæc ad vulgi trutinam et carnis normam æstimantes, ut offensas esse arbitremur, quæ ab inimico animo non veniunt, quæque ad nos nihil attinent, tum levia fortunarum incommoda, verba parum grata, aut quod pejus est, ipsa etiam magna sæpenumero beneficia, veluti admonitiones, correctiones, consilia salutaria. Ad hæc, ne pro debitoribus habeamus, qui nihil retinuerunt, nihil eripuerunt nostrum, atque adeo quibus ipsi nos debemus, ut quos ipsi affecimus injuria, iisque quibus, quod pro accepto nocumento ultro supplicatum non veniunt, indignamur, quodque gratias non agunt pro damno. Nam sunt non pauci, qui injuriam se credunt accepisse, quod pro libito suo non fecerint. O fons luminum, errorem et tenebras hasce nostrorum cordium prolato sole tuo dis-

cu-

cute: da simplicem et mitem animum, ut vere debitores nostros non ad reposcendum debitum agnoscamus, sed ad remittendum.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

MAgnum, et atrox, et horrendum prælium instructum est contra nos: artes quoque blanditiæ, tum minæ promissis mixtæ, terror spe confusus, ut abs te desciscamus a bono ad malum, a salute ad perniciem, a vita ad mortem. Dæmon hostis noster perpetuus, ruditati ac fragilitati nostræ innumeris dolis atque artibus tendit insidias. Pandit latissime quoquo versum sua retia, et indagine nos circumcludit. Adfert secum, et subinde sensibus nostris hanc mundi scenam ostentat commodis atque incommodis permixtam. Jam nos ipsi corporis titillationes voluptatesque nobiscum circumferimus, aut rursum cruciatus et dolores. Itaque perlicit nos suavitate, terret asperitate, ut pertrahat reluctantes, quos ultro non possit ducere: hæc non uno aliquo vel loco, vel tempore, ubique per singula momenta, mira calliditate et astutia. Ab his nos urgemur improvidi, impellimur imbecilles, his succumbimus dementes. Sed inter tot discrimina illud est solatium unicum, illa fiducia, quod machinæ omnes et tela universa nihil possunt adversa tua voluntate; invalida sunt prorsum: quæ etiam si ad nos pertingant, nocendi tamen vim amiserunt.

Non ergo ad hostes confugimus tamquam insuperabiles, ut per conditiones pacis utamur eis placatioribus, qui mitescere nesciunt. Non jam illos veremur, sed te, qui unus potes omnia: nec in nostra deditione salutis collocamus fiduciam, sed in ope tua serio imploranda. Ad te unum, Pater, confugimus: ne sinas nos in tam anceps prælium descendere, in quo imbecillitati nostræ casus est paratus certissimus: ne auxilio destituti tuo, vel inimici fraudi consentiamus decepti, vel violentiæ cedamus afflicti. Ne sinas nos devenire in tentationem, vel faciendi malum, vel, quod proximum est, non faciendi bonum. Quod si omnino ut manum conseramus stat sententia, ne discedas latum a nobis pilum: accende in nostris mentibus lumen tuum, ut inimici quo pertineant insidiæ cernamus; quantum bonum solicitet nos levissima um-

bra

bra commutare. Suggere vires, ne nos robore suo prosternat. Auge in rebus lætis constantiam sanæ mentis, in tristibus fortitudinem. Instrue et circumvalla nos caritate erga te, qua nullo modo sinamus nos abs te disjungi. Sed simili fiducia dicamus qua Apostolus tuus. ¿*Ecquis nos separabit a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu*? certosque esse nos ac persuasissimos, nullam esse vel in superis, vel in imis, vel in mediis tantam potentiam, quæ id possit perficere.

SED LIBERA NOS A MALO.

MAla sunt in hoc ævi decursu permulta; sed ea sunt hoc præcipue nomine consignanda, quæ adeo urgent corpus, ac premunt, ut a recordatione tui nos abripiant. Hujusce generis sunt necessitates quotidianæ, esuries, sitis, nuditas, æstus, algor, tum morbi et cruciatus corporis, vel in nobis, vel in rebus voluntatis nexu nobiscum conjunctis. Ad hæc animi motus concitati ac perturbati, tum tenebræ et cæcitas mentis. Libera nos Pater ab his malis, quæ violentia sui vel contrahunt animum, vel avertunt, vel opprimunt, ut de te non queat, sicuti expedit, cogitare. Es tu quidem solus bonus; quæque fabricatus es, bona, quia tu illorum creator. Sed is qui tibi perpetuo adversatur dæmon, pravus ac malus est. Hostis est tuus, et ea ipsa de causa noster quoque, quia nos habes pro filiis. Nocere ille quidem tibi nulla potest ratione ac via: nobis vero et potest varie, et vult semperque exitio nostro imminet, nunquam occasioni suæ indormiens.

¿Quis nostrum ulla ex parte resistendo illi erat par? Sive enim res agatur viribus, robustissimus est; nec invenitur in terra potentia, quæ illi queat, sicut Job ait, comparari: sin vero astu, callidissimus etiam favorem et caritatem erga illos simulabit, quos maxime perditos cupiet, quibusque momentis omnibus pestem machinatur; quin et veritatis virtutisque approbationem præ se feret, quas gravissime odit, et probitatis se magistrum profitebitur, damnans pravos mores, quorum ipse auctor est et caput: quod avebit, toto se nisu significabit aspernari, ac defugure: quod abominabitur, vehementer affectare; quo facilius nos ex animi sui sententia capiat. Illius artis est, commemoranda tua justitia ægritudinem ani-

animo importare, et desperationem suadere: contra vero, ostensa tua clementia, confidentiam et segnitiem; ex consideratione suæ cujusque dignitatis inducere arrogantiam, et contra legem tuam, hoc est contra te ipsum, odium, quod carnis cupidinibus adverseris. Quod si operta fraude ac dolis nihil profecerit, universam suam officinam terroris explicabit; inferet fortunis, amicis, corporibus, animis nostris damna: aget, rapiet, trahet, divexabit; quodque omnium horribilissimum est, offundet ob oculos nostros caliginem, ut vel verissimis cogat abrogare fidem, vel de certissimis dubitare.

¿Quis tenebit Protea tam versipellem? ¿quis tam subtiles et occultas insidias deprehendet? ¿quis vitabit tam minuta retia, et obtutum omnem subterfugientia? ¿quis tantam lædendi vim expectabit intrepidus? Nos, o maxime ac potentissime Pater, nos pusilli, invalidi, imperiti, imbelles, inermes, in fidem nos et præsidium tuum recipimus. Tu solus adferre nobis suppetias potes, qui illo infinities plus polles vallesque; qui es optimus, ut ille pessimus: ut ille fraudulentissimus, ita tu sapientissimus. Ille hostis capitalis, tu Pater amantissimus nostri: et si quid habet virium, te uno habet sinente; illum enim, quoties tibi est collibitum, manibus et pedibus arctissime constringis, commovere se ut non valeat. *Libera nos* Pater a pravi hujus sævo dominatu; a tyrannide, quam propter peccatum nostrum in nos exercet: averte immanem illius truculentiam a nostris capitibus, et oppugnationem, cui tantopere sumus impares. Ne permittas ullum nobis esse cum eo in hac vita commercium, sive expressum et nobis cognitum, seu occultum et fallens. *Libera nos* a consortio conditionis illius æternæ, qua igni est inextinguibili destinatus.

AMEN.

EN Pater, verba nostra, qua potuimus balbutire, expressimus; ut nos ipsi intelligeremus quid abs te petamus, quid speremus, quid accipiamus ad gratitudinem animi, ac benevolentiam. Functa est infans nostra ratio suo munere, quoad ejus facere potuit, exprimendi verbis: nunc universum ad te desiderium semel sine verbis

effundimus, ut tuo nutu approbes quæ abs te nobis evenire optamus. His uti annuas precamur, non indignitatem nostram intuitus, sed dignitatem Jesu Christi filii tui Domini nostri, quem unicum filium unice amas, quemque participem esse voluisti divinitatis et regni tui æterni, cum Spiritu illo ineffabilis amoris, qui ex vobis procedit mutuo, estisque vos tres, unus atque idem Deus, sine exordio ullo et fine sempiternus.



JOANNES LUDOVICUS VIVES
VALENTINUS
GULIELMO CROJO,
DESIGNATO ARCHIEPISCOPO TOLETANO,
ET NOSTRÆ RELIGIONIS SENATORI,
S. D.

INcredibilem accepi meæ diligentiæ, quum voluptatem, tum vero fructum, mi suavissime Patrone, quum eam Tibi cui uni dicabatur, placuisse cognovi: quanquam quod elegantissima epistola tua de illa dicis, hoc non agnosco, sed tuæ in præceptorem pietati tribuo; et spero pro ingenio tuo, pro eruditione tam in dies in te crescente, brevi fore ut quæ in me modo admiraris, nulla prorsus sint si cum tuis conferantur. Tu semper esto macte ingenio, macte cœptis studiis atque virtute. Quod vero me hortaris, precarisque, ut nonnulla in sex quoque reliquos Psalmos agam, ¿quis id recusare possit, quum adeo modeste petas, ut immodestissimus ego sim, si a me non impetres? Tum etiam nefas existimarem tuo isti tam sancto desiderio deesse, isti jussui tam vere episcopali non parere. Quare succisivis sacrisque temporibus in reliquos quoque sex psalmos paucula hæc, quæ ad Te nunc mitto, meditatus sum.

Et

Et quoniam non uno eodemque tempore sex hæ meditationes sunt a me conscriptæ, idcirco stylus nonnihil, inventio vero multum in unaquaque aliarum dissimilis est. Nam perinde ut mihi pro tempore in mentem aliquid veniebat, ita id protinus scripto mandabam, quanquam pleræque in modum forensis orationis factæ sunt: cujus hæc est causa, quòd quum eo tempore inter oratores versarer, frequenterque de rebus aliis profanis in genere judiciali declamarem, ad ista stylum quum verterem, ille ad assueta sibi ferebatur: digressus interdum sum ac mihi indulsi, et in amœnioribus quibusdam locis expatiatus aliquantum me oblectavi: sed non tamen ita, ut instituti obliviscerer psalmi, quod nec mihi facere licebat; ac ne forte vel Tu, vel lector aliquis (si modo hujus rei quisquam fuerit alius quam Tu lector) miretur se hoc in opere novum quippiam invenire, aut a me locum aliquem expositum non eum ad sensum, quem ipse Psalmistæ fuisse credat, paucula quædam, antequam ad ipsam rem venio, sunt mihi præfanda.

Quum psalmorum liber a Hieronymo ad id exemplar, quod Hebraicam veritatem appellant, sit ex Hebræo sermone, quo ab ipso Davide decantatum est, ad nos versum; deinde juxta septuaginta etiam Interpretes, ex Græco: quæ est ea latina interpretatio paucis admodum mutatis, quam vulgo ecclesia in ore habet: tum et extet Latinum Psalterium ex Chaldæo Targo traductum, quod ex Hebræa lingua in Chaldæam Jonathan Abenuzielis filius non sine numine, ut Judæi arbitrantur, vertit; ac ideo ejusmodi interpretatio summa est apud illos in veneratione, cui haud multo minus quàm ipsi Hebraicæ veritati tribuunt, quamvis non tam interpretem ille verborum egerit, quàm Paraphrasten. Has ego traductiones omnes non diffiteor me legisse, non equidem aut hebraice, aut chaldæe, quæ mihi linguæ plane incognitæ sunt, sed latine et græce: nec dissimularim me plerunque ad Hebraicam, ut vocant, veritatem et Chaldæam paraphrasin allusisse: profiteor tamen mihi semper magis probari quod Græca illorum septuaginta senum perhibet interpretatio, atque eam ceteris fere prætermissis me sequi; quæ, ut dixi, exceptis pauculis quibusdam verbis, cetera eadem est cum illa, quam Latina quotidie personant

templa: cujus rei causam gravissimam profecto, non est hic explicandi locus; alias eam, ut spero, declarabo.

Nec vero sum sensa commentariorum anxie consectatus, sed pro exiguo captu meo quæ mihi videbantur, explicui. Consulet boni benignus lector illud considerans, non uni sensui Spiritus sancti verba esse alligata: sacras litteras idcirco agrum appellari semper vernantissimum, feracissimum, uberrimum, quod sensus in eis sint plures, admirabiles, et veri tamen omnes, idque in eodem spiritu qui illas dictavit. Quod si hoc non satis lectori probatur; at saltem, relicto sive enarrationis sive expositionis nomine, appellentur sane meditationes, quasi quis dixerit vel cogitata vel exercitamenta. Titulos vero seu inscriptiones psalmorum, quas Græci ἐπιγραφάς vocant, non attigi, quia illæ sepositæ sunt a Prophetæ verbis; mihi vero ipsum Psalmistæ sermonem una perpetua contexere oratione in animo fuit, in qua paulo cautius lectori eundum est, nec varietate loquentium personarum fallatur: modo enim loquor ego, modo Psalmista, modo peccator, modo alius quispiam, tametsi in his omnibus discernendis parvum admodum mediocri ingenio erit.

Illud vero nunc ante operis initium hortor, et obsecro, ne orator artificium, elegantiam, splendorem, copiamque orationis, concinnitatem verborum et sententiarum, ne acuta dialecticus argumenta, ne captiones dolosus sophista, ne scholasticus Theologus argutias anxie expectet, subtilesque disputationes exquirat: agnosco nihil hic tale esse, quod ipsis in id solum intentis, aut satisfacere possit, aut placere. At vir Christianus unam Christianam spectet mentem: accedat benignus, et quid dicatur animo accipiat pio; quomodo dicatur solicitus ne quærat. Quod si quisquam est, qui operi non propter ipsum, sed propter me, parum faverit, me magnum illud in rebus humanis solatium, recta conscientia candidus esset animus; sanctumque institutum, quo hæc scribo, consolabuntur, recreabunt, atque reficient, pro quibus scio paratum mihi esse a Domino precium multo amplissimum, atque eo amplius, quo minus me ab hominibus accepisse sensero; quin etiam ex fidelibus Domini promissis fuero perquam beatus, si humanum odium pro benefacti gratia reportaro.

Tu

Tu vero, mi dulcissime Patrone, accipe opus hoc eo animo quo petiisti, et ex profanis oratoribus atque philosophis, tamqam ex gradu quodam ad divina hæc ascende, quæ animum non in perturbationes, affectusque homine Christiano frequenter indignos rapiunt, sed in illos evehunt adeo excelsos, adeo sublimes, ut in ipsam etiam Dei sedem penetrent, quæque reddunt mentes animosque nostros tam pio caritatis igni ardentes, quam ipsi illi sunt supremi ac Deo proximi Cherubini: quorum vos ordinem in hac nostra ecclesiastica militia refertis, amicti purpurea illa palla indicio plane absolutissimæ caritatis, quam in actibus totaque vita præstare debetis; ut sicut dignitate, ita virtutibus vobis sit nemo superior. Quæ omnia Te et non ignorare, et probe exequi, spero toti orbi ante multos menses declaratum iri. Eruditionem tuam, monumenta tuorum studiorum, indolem, mores tuos, quamvis copiose possem (quippe res ipsæ tam amplæ materiam orationi fertilem suppeditarent) hic certe non laudabo, ne quis malevolus, cujusmodi hominum plena sunt omnia, me assentari discipulo putet: quod assentationis vitium, quum in quovis homine turpe est, tum in præceptore, qui modice ac raro laudare quem instituit debet, est multo turpissimum, multoque perniciosissimum. Ista enim tua quæ quotidie moliris, quum in apertum proferentur, abunde magna erunt præconia laudum tuarum. Vale. Lovanii, M. D. XVIII.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

MEDITATIONES IN SEPTEM PSALMOS, QUOS VOCANT POENITENTIÆ.

MEDITATIO PRIMA IN HUNC PSALMUM SEXTUM.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?


Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.



AUCOS admodum esse arbitror, qui simul ac psalmi hujus prima verba legerunt, si modo quicquam ingenii habent, non illud intra sese taciti admirentur, iram Deo furoremque a Propheta tribui: quum nihil minus conveniens videatur, quàm quietam illam et sanctam majestatem concitari perturbarique affectu illo sapientibus etiam hominibus indigno: verum si res ipsæ divinæ ita nobis no-

notæ essent, ut sunt humanæ, possemus illas tam appositis certisque vocabulis nominare, quàm nominamus nostras, et tunc singula essent nec minus certa, nec minus perspicua, quum de Deo loquimur, quàm quum de mortalibus. Nunc quia divina illa per collationem ad nostra utcunque imaginamur, idcirco et ea verbis male cum rebus ipsis cohærentibus, a nobis proferuntur. Sed loquendum est tamen, et vocabula si non propria, proxima saltem usurpanda. Itaque quemadmodum sapientem sanctumque judicem succensere atque irasci dicimus, quum homines consceleratos verbis castigat, quum tortori carnificique jubet ut in eos lege agant, quoniam hæc tametsi absque perturbatione illa, tempestate, procellis, tenebris animi immodica ira perculsi, quæ tanta ira mentem de statu dimovet suo, fieri possunt, sine ulla tamen iræ scintilla exigua, licet leviter etiam animum movente, non possunt.

¿Quis enim nocentes, modo sit ipse bonus, absque ullo prorsus animi motu videt? idcirco iram rerum naturæ peritissimi cupiditatem esse ulciscendi definierunt, motumque animi ad coercenda peccata insurgentis. Sic Deus ipse mitissimus, optimus, quum flagitiosos homines patientia sua tam diu videt abusos ut amplius non sint ferendi, tempusque jam esse censet ut pro malefactis suis plectantur, non equidem sicut nos tenuiter modiceque permotus, sed immotus omnino in sua illa placidissima et æterna tranquillitate, irasci dicitur. Quod si pœnas ingentes a nefandissimo quopiam exacturus est, hæc tam æquissima nocentissimi hominis plectendi cogitatio, hic animus nulla quantumvis levi commotione affectus, furor appellatur qui est velut ipsius iræ fastigium. Hinc iratus, hinc furens, hinc terribilis Dominus. Ad quem accedenti peccatori meliorem ad mentem redeunti, causam de criminibus tam multis dicturo, nec integrum est proœmio ad conciliandam benevolentiam uti, tam iniqua tam turpi in causa; nec vacat se prece aliqua insinuare, quippe qui timet ne priusquam primum protulerit verbum, furore omnipotentiæ Dei corripiatur, quæ cuncto igne longe ardentior est et omni acutissima romphea penetrabilior.

Principio igitur ut reliqua liceat commodius agere, ut tempus sit flectendi ejus quem offendit, averti tantisper obsecratur fu-

furorem Domini. Simul ne prius illo rapiatur quàm pœnituisse possit sceleris: simul ne tanto terrori sit ut pœnitentiam agere nequeat veniæ spe sublata. ¿Quid est quod exorabilem optat judicem, nisi ut in pœnitentiæ labore spe placabilitatis ejus confirmetur, quæ tota aufertur si Dei furorem spectemus solum, nullam vero clementiam? Obsecrat itaque sibi tempus induciasque concedi, in quibus commissa mœrore ac luctu expiet, quæ facere certum ipsi est, sed in spe. ¿En quantus est Domini terror? ut Jobus ille fretus sanctissima conscientia quum disserere cum Domino aggreditur, dicat: *Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat, loquar et non timebo eum, neque enim possum metuens respondere.* Faciamus hinc conjecturam: si justum Dei terret ira, ¿quanto acrius hominem conturbabit malum qui jam vel una conscientia, nulla alia agitante, pavet suam ipse mentem, et est ei mille testes unica scelerum recordatio? Verum movet deinde a persona sua commiserationem Psalmistes; et Patri rerum omnium Deo filii objicit infirmitatem. Amant enim parentes debilitates natorum, amplectuntur illum morborum suppliciorumque pallorem, et in vires caritatis accrescit ipsa miseratio.

Miserere, inquit, mei (Pater) afflicti, sana me (maxime medice) infirmum cujus sunt ossa conturbata. Nec vero mirum est illius esse ossa conturbata, in quo rectus ordo conturbatus est. ¿Quid est quod interturbantur ossa tua, et locis suis abeunt nisi quod sensus non paruit rationi, minor majori, inferior superiori? ¿et miraris quod in ossibus tuis dextrum est fieri sinistrum, quod anticum posticum, quod summum imum? ¿quum ipse tu quod suapte natura superius est, feceris inferius, et econtrario, quod fortius esse debuerat, vinci ab imbecilliori siveris? ¿At quid tandem est quod ossa peccator ita multum turbata sentit? Nam credibile est in tanta ossium affectione nervos carnemque non melius valere: bases ipse sui corporis sentit dimoveri, uno voluit verbo complecti: non multum fuisset ædificium turbari firmo fundamento, carnem minui et post augeri, adhærere pellibus ossa, debiliores fieri nervos et restitui pristino vigori, vires etiam postea augeri: hæc omnia vulgaria sunt. At vero morbus ubi ad ossa penetravit, ubi hæc prave affecta sunt, certum est pejus valere ner-

nervos et carnem, hominemque ipsum vita periclitari: acerbum peccati virus, ut celerrime, ut uno etiam momento, et extima corripiat, et intima quæque penetret: hoc satis forte fuisset ad ægrotationem suam manifestandam, sed animam ipsam affectam etiam dicit ut intelligamus nihil in eo sani superesse: facile clari sapientia plerique corpore se non bene valere passi sunt, modo animo valerent optime.

Plato enim sanctissimus philosophus Academiam quæ est ad Athenas, villa cœlo habituque loci minus salubri, sibi scholam delegit, ne nimia sanitate luxuriaret corpus, præcepsque ferretur in libidines omnes et voluptates, neve nullo mentis imperio cohiberi continerique posset. Ita sanitatem animi, etiam corporis morbo mercabatur. At noster peccator nec corpore valet, et animo insanissimo est. ¿Quod est istud veneni tam præsentaneum venenum, ut mox totum corpus atque adeo animam ipsam invadat? Nam aspidum, cerastum, basiliscorum, dipsadum, neparum, bufonum, viperarum morsus, virus utique malum inspirant: illud tamen sensim per venas, perque alios corporis latentes meatus serpens, vitalia tandem exitiali inficit humore,

Atque subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe. (1)

¿At venenum istud quale est obsecro? ¿quàm horrendum, quàm terribile? ut simul ac infusum in corpus est, summo cum dolore uno temporis puncto hominem leto affligat amaro? Illud quid sit, uno accipite verbo, una intelligite nota, ut perpetuo vitetis. Peccatum est corporis et mentis humanæ, Divæ alioqui, pestilentissimus morbus, pulcherrimæ macula, ¿vultis (quod miremini) audire? Immortalis mors: idcirco ut animo properanti nihil satis festinat, ne forte si diutius tardetur remedium corpus simul cum anima duplici morte intereat, clamore invocat medicum: quousque expectet, quærit, festinanter venire precatur, expostulat quòd absentia sua in longum trahat acerbissimos cruciatus: in dolore est, uritur qui tam anxie, tam instanter accurrere medicum orat.

Fer tamen peccator acrem hunc dolorem tantisper, ut iterum non tam facilis te conjicias in culpam, sentias tardatione me-

(1) Lucanus Pharsal. lib. 9. v. 741.

delæ morbi acerbitatem, et intelligas in quam incideris voraginem, ut semel inde explicatus, vites quæ ad illam perducunt viæ: non te Dominus deseret; sed quid cæcus feceris vult nunc videns intuearis: nec verbum irritum faciet suum qui ita promisit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Aperi jam per pœnitentiam oculos tuos paulatim, et intelligas quid sibi admirabilia admirabilis Dei verba velint. ¿Putas ne averti a te Dominum quum tu averteris sorde flagitii tui ab illo? ¿quemadmodum tu prius virtute in eum obtutum defixum habebas, peccato desistis contineri, alioque aspicis, ita et ipse te cesset intueri, vertatque sese ad alia quæpiam? Bona verba: id tu forsitan voluisses quum peccabas, ne te videret malorum vindex: nescio an interim, quum subinde peccare pergis, optaris illum non esse, ut flagitiosissimi quique ex philosophis Deum suis opinionibus aut sustulere, aut talem reliquere ut a non Deo nihil abesset, ac de votis suis astruxere commenta sectarum, et solatium malæ conscientiæ: fecerunt credere id futurum impune, ut quam volebant, voluptas esset quæ oblectaret; non esset aliquis, qui male acta puniret, Deus.

Est utique Deus unicus, nec dii cum eo, optimus, justissimus, ut simul et premium complectamur et supplicium. Is te intuetur assiduo, non ut humanus oculus, non ut Argi, aut lyncis, sed ut se ipsum animus tuus, melius etiam. ¿Nam quàm multa in tuo sunt animo quæ is non videt? ¿sunt ne prompta tibi semper tam multa quæ memoria tua complectitur? minime, nam asservas illic recondita tamquam in thesauro: at illa omnia semper intuetur maximus Deus, scitque quid habeas quum tu ignores: quumque is æternum eodem tenore persistat immutabilis, tu mutaris, quo uno motu avertis te ab illo; et ille proinde nihil tamen motus a te: convertere ad eum, et quæ tua solveras disjunctione, rursus tua conjunctione copulabis: ipse eodem vestigio persistit, in te uno est ut ad te vertatur, si tu te verteris ad ipsum. Jam igitur cognoscit pœnitens in quod nemus inciderit, inter quos prædones, dum descendit ad Hierusalem in Hiericonta. Audite vocem ejus jam saucii, dum identidem maximis plagis feritur: *Eripe animam meam.* ¿Quid loquitur iste de anima? sceleratissimi sunt prædones isti, quibus nulla est de pecunia, nulla

de

de vestimentis cura quæ ultro ajunt ipsos offerre viatori, corpori nonnulla quidem, sed animæ certe maximam inferunt vim.

Idcirco Psalmista, non regni opes, quæ erant (ut traditum est memoriæ) numerosissimæ, non clientelas, non familias, non denique corpus, sed animam Domino ex tanto violentissimorum periculo grassatorum commendat ut inde eripiat. Et ne ab hoc periculo liberans in aliud forte majus transmittat, sed ut sic auferat hinc ut omnino salvam in perpetuum faciat, obtestatur non per justitiam illam ultricem, nihil peccatori ac ei qui fassus est crimen cum ea deprecatione utitur, miserationem implorat, ne se ita deserat ut mors prior, et mox secunda sequatur qui est infernus, in quo ¿quis Dominum agnoscit? ¿quis illi confitetur? ubi nulla spes est, sed simul cum supplicio certa desperatio evadendi. Ita Domino utilitatem proponit quæ consequatur ex vita, memoria et confessione ipsius, ut Ezechias rex ille, ex hoc ipso Davidico sanguine ortus, eadem utilitatis utitur prece, inquiens: *Quoniam non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam: vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

Sciebat Propheta noster hanc unam esse itidem justam causam cur tam differret vindictam suam Dominus in peccatores, ut scilicet ad meliorem redirent frugem, sicut scriptum est: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Idcirco ipse alio quodam loco ait: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui vivimus benedicimus Dominum.* Hæc est causa quare pravos homines sinit Deus vivere, quod quandiu vivant, usque ad extremum spiritum, resipiscere certe possunt, vel minimo momento. At eorum semel in infernum morte dejectorum, nulla postmodum est spes. ¿*Quæ*, inquit idem Propheta, *utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem*? hæc ego cogitans, ut vel tantillum temporis impetrarem, ne me tamquam leo raperet furor iste tuus nec esset qui eriperet, sudo, laboro, gemo, ploro, peto mihi licere aliquot dies procrastinare: et quum magnitudinem vindictæ tuæ, non ad scelera mea collatam, sed simpliciter reputo, turbatur non modo

oculus exterior, sed interior ille mentis, cujus amaritudine, cujus lacrimis ablui, dissolvi, et concreta constipataque nimis crebro usu oblectamenta, voluptatesque delicti mei in noctibus disraravi, dissipavique, quum semotus a frequentia quæ non affert aliquid pœnitenti, cum nihil mihi lucet exterius, sedeo in tenebris, et mœrore.

Obsecro te, Rex Israel, ¿quæ est istius tuæ tantæ mœstitiæ causa? ¿cur tu in angulo solus mœres totos dies, et planctu consumeris? ¿quid est quod te matutinus flentem conspexit Eous,

Et flentem paulo vidit post Hesperus idem? (1)

Quod nimia peccandi consuetudine inter vitia, pravos homines, Satanam, et cacodæmonas inimicos meos, consenuerim. Et dum unum quodque flagitium minoris æstimari facit proximum, plurima tandem coadunata consenescere delinquentem inter vitia coegerunt, scelerum onus non sentientem. Asciscit enim nefas socium ac contubernale sibi aliud nefas: et constructo semel exercitu parum referre videtur quid admittatur, ut quod semel canis ulcus, ipso principiis non obsistente, possederunt muscæ crotonesque, non sentit deinde incrementum illorum, etiam si vel aculeatissimæ vespæ sese intermiscerent: at sentit aculeorum cessationem, et tyrannidis levamen, si abeant. Hoc est quod vult, hoc quod clamat, hoc quod se in libertatem vindicat, discedere jubens omnes quotquot iniquitatem exercent; et divina miseratione, divina adjutus ope armatusque expellit de sua civitate tyrannum occupatorem. Admisisti tu quidem in tuam rempublicam invadentem tyrannum, corruptus largitionibus, et invaluit multo te potentior: ita non potis es educere, quem inducere potuisti. Videas ergo posthac cui, quo precio vendis tuam libertatem, seu videas potius ne ullo unquam vendas precio, ne cogaris servire peccato pejori te, nec queas te in libertatem eadem pecunia asserere jam nexus; et quem non advocasti in vendendo, eum implores dum redempturus es: *Discedite*, inquit, *a me omnes qui agitis inique*: vox sancta, vox strenui, vox magni et excelsi animi, vox tyrannicidæ, vox Hermodii et Aristogitonis, vox Arati Sicyonii, Thrasybuli, Dionis Siculi, vox Brutorum.

Sed

(1) Helvius Cinna apud Servium. 1. Georg. ad v. 88. ex Smyrna.

¿Sed quibus tu tandem armis ita resurgis tam valens, qui jacebas paulo ante in humilitate, vinctus in ergastulo, in squalore, in situ ac pædore miserrimæ servitutis? ¿Sunt ne hæc tua? ¿unde modo tibi quæ paulo ante non habebas? quod si habebas, ¿cur non cognoscebas? si cognoscebas, ¿cur non utebaris? ¿cur per ignaviam, perquam secordiam tuam servire malebas, quàm imperare? *Exaudivit*, inquit, *Dominus preces meas*, *Dominus orationem meam accepit*. Agnosco, quantum in me erat, ipsum me perpetua damnasse servitute, tradidisse arma ambitioso tyranno, corruptum voluptate quæ præsens erat, dum quod latebat grande malum non considerabam: sed flevi, sed clamavi, sed precatus sum: imploravi eum qui pecuniam unus habet hujus redemptionis amplissimam, qui locupletissimus est, qui benignus: nam præsto adest implorantibus se in veritate, qui est dapsilis, apud quem copiosa redemptio. Iis suis virtutibus, quum in eo majus nihil esset quàm ut posset, neque melius quicquam quàm ut vellet, adfuit, et surrexi ab humilitate, roboratus ab imbecillitate, manicis compedibusque solutus; restitui emtori precium pro voluptate, quam dederat, mœrorem; et inermis antea, mox armatus. Jam par crudeli domino factus, cœpi cum eo congredi, multumque adversus illum pugnando invalescens, gloriosum refero de crudeli ac impotente tyranno triumphum.

Audi vocem exercitus obsessi, quum misso extrinsecus subsidio, intrinsecus vero collectis viribus longam post obsidionem eruptione facta multa virtute repellit, fundit, fugat, persequitur hostem, et militari strepitu inclamat: Erubescant et conturbentur hostes isti, persequimini, comprehendite quàm primum, resistentes cedite, capite se dedentes, et vincite, ut gratiam illis referamus, ut patiantur a nobis quæ immanitate sua nos perferre coegerunt, ut acceptas dent ipsi modo pœnas. ¡O vera lætitia! ¡o vera exultatio vincentis quæ superat omne toleratæ militiæ fastidium; immo quæ delet omnem memoriam tot gravium exantlatarum ærumnarum, tot perpessorum tædiorum! non est qui pugnare nollet, si certa esset victoria: sed quoniam hæc certissima est, caveamus ne faciamus ea propter quæ bellum nobis gravissimum necessario sit suscipiendum, et adeundum de illa periculum:

vi-

vivamus contenti, vivamus securi, si quidem licet: sit satis semel pugnasse, non semper temeritas felix est: et ne curemus toties arma tractare, toties discrimen subire prælii ut experiri aliquando cogamur quàm amarum sit (quod avertat Deus) in perpetuum vinci.

MEDITATIO SECUNDA

IN HUNC PSALMUM XXXI.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

Dixi Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

CHristus vita nostra in Evangelio inquit, neminem ad se venire posse, nisi Pater Deus, et Dominus rerum omnium traxerit eum. Non esse igitur hoc aut volentis aut currentis, sed Dei miserentis, certum est. Cujus rationem, ut inquirat infirma mortalitas quantumlibet, certe non inveniet. Et tamen nihil a Deo fit absque maxima ratione, quam qui assequi nequiverunt, nullam

lam esse dementissime dixerunt, quasi finem illic res omnes caperent, ubicunque scientiæ nostræ subsistit infirmitas, et angustiis mentis humanæ divina immensitas concluderetur. Heu miserrimos illos, qui cum suæ mentis non agnoscunt exiguitatem, maximum aspernati Deum, traditi sunt in reprobum sensum; et ne pateret illis reditus ad salutem, obstruxerunt sibi aditum omnem ad illam scelere maximo, nolle cognoscere scelus. O quanto sunt feliciores illi parvuli, illi stulti, qui sine prudentia mundi adepti sunt divinam sapientiam, quæ absque discretione personarum præsto est implorantibus se; quin et dignos se ipsa circuit quærens: qui aliud nihil sapiunt nisi Christum, et eum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam. ¿Sed quid dixi? aliud nil sapiunt. ¿Quid aliud saperent, qui omnia sapiunt? ¿An non universa sapit qui Deum universorum sapit? quales sunt qui fide pleni caritate ardent, spe foventur: decidunt utique, nam septies cadit justus in die, ceterum toties confessione, toties pœnitentia resurgunt.

Vere beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum peccata tecta sunt caritate, quæ operit multitudinem peccatorum. Qua una Domini commiserationem movent; et juxta fidele promissum, Misericordiam consequuntur ipsi misericordes, quibus nec imputat Dominus peccatum. ¿Nunquid non illi vere sunt beati qui flagitiorum consequuntur veniam antequam rei agantur illorum? Quæ potest major esse beatitudo, quàm ubi peccaris, ignosci tibi ante judicium. Et cujus criminis alius sit reus, de te nullam quæstionem fieri, quum idem feceris. ¿Cur tu ita beatus? ¿Cur tu gallinæ (quod ajunt) filius albæ? quod non est in tuo spiritu dolus: quod non, ut populus ille pravus, verbis honoras Dominum, cor autem tuum longe est ab eo: quod non juras verbo (ut ait Græcus nescio quis) mentem vero retines injuratam; et Romanus alius, non aliud clausum in pectore, aliud promtum in ore geris: quod idem intus es, qui exterius: et juxta præceptum Apostoli, corde credis ad justitiam, ore autem confessionem facis ad salutem.

Tu idcirco vere beatus, verus Israelita in quo dolus non est: tu tam simplex, tu tam unicus confitens. ¿Audi quàm duplex,

au-

audi quàm multus sit peccator? Tacui, inquit, et clamabam tota die. ¿Quis tacet? peccator: ¿quis clamat tota die? peccator. Auscultate hoc dialectici, audite philosophi. Clamat hic tota die, et non clamat, quoniam tacet: ¿quod prodigium istud est, Aristoteles? En tibi duo contradicentia duo vera. Scio tamen quid respondetis omnes: non unus est, multiplex est, multi sunt. Alius est qui clamat, alius qui tacet: bene dicis. Nam conscientia, scelerum domesticus testis, et delator, assiduis delationibus, assiduis furiis, assiduis rugitibus ira furorisque plenis ac plusquam leoninis, clamat scelestum flagitiosum. At mala caro tacet, peccata occultat, de lege Domini nihil loquitur, nihil meditatur, obduruit, occalluit ad sanctissima monita, et tacita fruitur assiduo suo scelere: hæc est quasi divisa respublica dissidens magna seditione, dum intercedentem bonum plebis tribunum non audit consul iniquus, non audit sævissimus dictator, sed grave servitium populo nefarie inducit.

Hæc est lex, quam Paulus in suis membris sentiebat obsistentem æquissimæ illi legi mentis. Ita putrefacta carne malum virus protinus ossa corripuit, carieque consumsit, quod tum demum cognovit, quum tetigit furor Domini se peccatorem, non is quidem, qui ex judicio postremus sine venia punit, sed qui ex affectu Patris sopitum altissimo veterno sciscitat, pungens graviusculo aculeo, ut ad se tandem aliquando redeat. ¿Et putatis aliquem esse læthargum, qui huic peccatoris somno possit comparari? Non papavera, non ipsum Letheum in fabulis flumen gustavit, aliud majus, alius prodigiosius est, peccatum scilicet, quod qui hausit, non clausis corporis oculis, sed videns, ambulat: sentiens ita dormit, ut parentis Dei, ut sui ipsius obliviscatur: mortuum dicas, si speculeris hominem attentius. Glires ferunt solidam dormire hyemem, ursas diebus quatuordecim, tanto implicitas veterno, ut ne vulneribus quidem excitari queant. ¿Et putatis minorem hunc esse somnum peccatoris? quem non tot sanctissima monita, non exempla, non spes proximæ felicitatis, non mortis, infernique terror, excitent? quoad acrius instat Dominus, et ignem admovet caritatis, ut ejus saltem suscitetur sensu. Qui quum advenit suavissimus ille non absumens sed fovens, ef-

fi-

ficit unus quod non fecerant ferrum et vulnera quæ nihilo secius tam gravi veterno adhiberi necesse fuit.

Hoc est quod dormiens peccator sentit, hoc est quod patiens ille querebatur, inquiens: *Miseremini mei, miseremini mei, quoniam manus Domini tetigit me.* ¿O quàm miræ, quàm variæ virtutis omnipotens manus? Hæc est quæ cœlum et terram ex nihilo fecit, hæc eadem sustinet, regit, moderatur, hæc vitam dat, hæc adimit, hæc fovet, hæc sanat, hæc tamen tangit et afficit, hæc flagitiosos excitat terrore, consolatur in pœnitentia spe, hæc cum excitat pungit: bene sentit Psalmistes, qui ex usu rei energia multa exponit, dum configitur (inquit) hæc pungens spina, conversus sum in dolore meo: ¿nunquid non hoc vidimus omnes? Si quem jacentem pupugerint sentes, totus confestim vertitur; si deambulantem quis retro imprudentem percusserit, mox eo respicit: ita hominem ipsum ad se semper advocat dolor, oculus semper ubi dolor, manus in vulnere, in dolore assiduus est: huc ergo sese totum convertit quum tabificus quidam humor, letalisque in corpore sanies æstu hoc admoti amabilis ignis exiccatur; et tamquam summa in æstate spina confrigitur, torreturque ac discussa hujus caliginis densa nebula, fumoque perquam spisso quo sensus obducti perpetuo in somno erant, salutaris ille solus vitalisque relictus est humor suavissimo calôre temperatus et fotus, reliquum malum virus vehementi saluberrimi ignis calore absumtum est.

Audite maxima excitationis hujus opera; videte quàm mox sanari velit; videte quàm protinus detegat vulnera. Vulgare enim est, si operam medici expectes, necessum esse morbum ut detegas tuum: prius itaque ipsi summo medico Deo vulnus aperit, et se curari petit: nedum tacitus plagam solutam incuratam diutius celat, increscat tabifica sanies, quæ toto corpore serpens extremum afferat periculum. Audi maximum fidei, maximum conversionis ad Dominum fructum: sanatus es vel eo ipso quod te ita ægrotare vere doluisti, et sanari petiisti: surge, surge paralitice; tolle grabatum tuum et ambula, et curre semper proficiens, ut virtutum omnium in horas accipias incrementum: ac ut lætior hic tibi sit nuncius, ita sanatus es ab hoc supremo medico, ut hoc

isto quo nunc liberatus es morbo, nunquam posthac sis ægrotaturus. Nam remissa est tibi in perpetuum iniquitas criminis tui: non est hæc tua cum Domino reconciliatio ut cum hominibus, apud quos simul ac male sarta gratia cœpit rescindi, præteritæ omnes in memoriam redeunt injuriæ, et novissimæ quæque inimicitiæ superiores omnes complectuntur: tua vero hæc tam firma mansura est quàm tu volueris; et ut scias quid actum ea sit, nunquam de his tuis sceleribus, quorum tibi modo venia data est, quantumcunque fias rursus inimicus, mentio ulla fiet; et quod magis mirere, is qui nihil oblivisci potest, criminum istorum in æternum non recordabitur.

Nondum forte mihi credis: syngrapham hujus tanti beneficii a Domino petis: accipe quod dictum est ab Spiritu sancto: *Si egerit impius pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietnr: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua quam operatus est, vivet.* Admiraris, scio; et rationem quæris, ¿ quî fieri possit ut is rem aliquam obliviscatur, cujus ante oculos sunt semper omnia nuda et aperta? alias scies, nunc a tanto magistro rationem ne requirito: una tibi auctoritas dicentis satis sit: ¿ an illud ignoras αὐτὸς ἔφα? Sed heus tu Dominum interim audi quid te facere jubeat: *Vade, et ostende te*, inquit, *sacerdoti*: quanquam hujus Psalmista memor præcepti illud secundo loco facere constituerat, ut prius peccatum Domino suum aperiret, deinde sacerdoti ejus. Neque vero se putat manifestare tamquam antea nescienti, tamquam non videnti: videt profecto Deus, videt jugiter hominum peccata qui unus renes cordaque nostra scrutatur: ostensio tamen hæc est non tam Deo, quam tibi. Nam quemadmodum ostensuri medico vulnus, illud solvunt ut et ipsi quoque videant; ita et hic profers ulcus, ut tuum tu tibi flagitium ostendas, detegas: videas quod non videbas; cognoscas quod non cognoscebas quàm turpe sit, quàm vile, quàm malum, et fecisse doleat. Deinde fecisse fatearis sacerdoti, non tamquam homini, sed tamquam auri divinæ, confiteris injustitiam tuam Domino.

Perge Psalmista, ¿ videamus quid sequatur? audiamus isthæc

tua

tua tam modulata verba, tam vero carmen ad numerum appositissimum. *Dixi Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: Et tu remisisti impietatem peccati mei.* ¡O vere salutiger nuncius! ¡O verba lætissima! ¡O semper nobis in ore et corde tractanda! ¿Quis est hic animo tam pusillo, qui desperat? ¿quis est tristis iste, qui mœret? ¿qui non potius exilit lætitia, exultat? Videte quàm pauxillum exigit judex; videte Domini facilitatem; gustate jam obsecro, et videte, quàm suavis sit Dominus: non vult, nisi ut sibi dicamus confessuros ipsos adversus nos injustitiam nostram, et confestim peccati supplicium remittet nobis. ¿Quis Dominum dicit asperum judicem? ¿quis severum? ¿quis non mitissimum? ¿quis non clementissimum patrem? Magna tua, confessio, vis. Nondum te facere cœpit, facturum promittit pœnitens, et jam illi Dominus veniam tribuit delicti. Hæc est ad quam impetrandam omnis quamlibet justus, quamlibet sanctus orat, quum resurgit septies in die quoties ceciderat, nec sinit copiosius affluere scelera: cæcutit, imbecillis est, jam est partim lubrica, partim etiam scabra et saxosa, vestigia nequit figere: cadit, sed mox tempestive dum erectio prodesse potest, resurgit. Non desidet in casu, non vult in cœno, dum exiguum est, dum ipse vivit vigetque, jacere, et volutari; ne forte copiosiore imbri accedente operiatur fœdiore cœno, tum frustra sese conetur attollere. Protinus itaque inde abit, lutum excutit, conscendit altiora, et ex casibus surrectionibusque gradum sibi facit ad excelsa, ut etiam adveniens seu ex mari vehementior æstus, seu ex cœlo largior imber, nequeant ei nocere, nequeant eum contingere.

Hoc est quod præcipi debet in primis ipsis hominibus, ne in immo sibi domicilia construant, id est inter mundi delicias et pestes, atque eas marinis fluctibus obnoxias: sed ut transmigrent ad montem velut passeres; ad eum, in quem ascendens Christus Jesus discipulos sæpe docebat, quem non pertingit vis Oceani erumpentis, nec nocet major aquarum copia e cœlo delapsa, quæ fertur tota deorsum, quæ utraque incolentibus camporum plana nocent. Despicit ille ex loco celso miseros stultosque mortales tot malis afflictari, dum mordicus mundi hujus delicias tenent. Ipse vero in monte, in Christo, in refugio, ad quod ex calamitate,

ex afflictione, ex ærumnis confugit, exultat maxima in spe futuræ felicitatis æternæ. Etsi non abnuo, non eam ita jam evasisse periculum, quin possit et detrudi ad imam vallem, et affligi maximis miseriis, quibus, quamdiu hic ambulat, circumseptus est: hoc est quod ipse nondum ante cursus consummationem securus, interdum anxie Dominum implorat: *Erue*, inquit, *me a circumdantibus me*, ne quisquam ita se omnia supergressum pericula putet dum vivit, ut nullum supersit quod timeat. Non patitur quenquam Deus sic agere secure, ut desideat; ut curam rerum omnium negligat et abjiciat nullam metuens necessitatem. Ita ut agamus ut vigeat animus et ingenium, aculei necessitatis nobis suppositi sunt, quæ una rerum omnium doctrix est.

Et labor ingenium (ait quidam) *miseris dedit, et sua quenquam*
Advigilare sibi jussit fortuna premendo. (1)

Sed verba ipsa Prophetæ diligentius attendamus. *Erue*, inquit, *me a circumdantibus me.* ¿En quàm prope adest necessitas, quàm non procul videtur? ne longe absens pariat securitatem, *a circumdantibus me*, inquit. Ita ut si a monte descendat, adsint propiores, frequentiores, majores, acriores: sin aut ad dextram abeat, aut sinistram, ante procedat, aut retrocedat, incidat in eas. Unus patet apertus semper locus, unus exitus ab obsidione, loco scilicet superiore, quem petendo magis liberamur, a quo omnis liberatio, auxilium omne. Conetur idcirco illac evadere is quem circumdat, quem obsidet oppugnatque hic exercitus nefarius: illuc sese attollat, efferat primum oculos in montes, in quibus cum fuerit, mox in cœlos, ut propior factus Domino qui in cœlis habitat, facile exaudiatur, impetret copias auxiliares a Domino exercituum, quibus vim omnem possit hostilem vincere ac contemnere; quæ nimirum sunt intellectus, instructio in via qua gradiatur, firmatio oculorum Domini super eum. ¡Deus immortalis! qui tres duces, seu qui potius tres exercitus tam fortissimi quibus insipientiam propulsemus, quibus lætissime et sanctissime vitam agamus, vel omnibus circumsepti hostium copiis.

Prima sunt illa in sapientiæ via, intelligere cujus donum ea sit, agnoscere te indigere, scire quomodo assecuturus sis. Idipsum est

(1) Manil. Astronomic. lib. 1. v. 80.

est quod sapiens inquit, et hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum et precatus sum illum. Hæc fuit causa cur cæci illi qui cum sibi sapientes viderentur et lyncei, in maxima licet luce ambularent tamen miselli in tenebris cimmeriis, ac in ipsis etiam lolio (quod ajunt) victitarent et stultissimi essent: quomodo quum nescirent quis sapientiæ dator esset, ab eo solum petierunt qui dare non poterat, ab ingenio videlicet suo, in quo uno confidebant: idcirco voto frustrati, nihil assecuti sunt, et impensam cum opera perdiderunt: ¿Quàm vere perdidit Dominus sapientiam sapientum, et scientiam scientum reprobavit? ¿quàm mire apprehendit sapientes in astutia sua, et posuit humiles in sublimi? audiamus tamen a quo, et quonam modo hæc sit petenda sapientia. Domini discipulus Jacobus ex præceptis scholæ illius sapientiæ Dei sic tradit: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet ab eo qui dat, a Deo certe, qui dat omnibus affluenter et non improperat et dabitur ei.* En a quo petenda est: intelligamus jam ¿quomodo sit petenda? *Postulet*, inquit, *fide nihil hæsitans.*

Mira domini liberalitas, ut non aliud ipse largiturus pro suo a nobis exigat munere, quàm ut petamus; nullam sibi aliam referri gratiam, quàm ut fidentes petamus. ¿Quis non peteret a ditissimo quem sciret non magis dando cunctaturum, quàm nos petendo? Atqui vides et quid petas, et a quàm locuplete, et quàm det affluenter, quàm simpliciter, et qui nunquam donum exprobraturus postea sit, ut homines faciunt qui tam frequenter commemorant iis, quibus bene fecerunt, sua beneficia, ut (juxta proverbium) vinum perdant aqua infusa, id est benefacti gratiam merito amittant superfusa isthac frigida commemoratione, et quasi exprobratione beneficii. Audi deinde quid qúum fueris adeptus sapientiam sequatur: ut instructus a Domino et munitus gradiaris viam hanc solitudinis; peragas iter hoc viæ ad hospitium, immo ad patriam vitæ; diriget enim ad te oculos, quos tu sequeris duces, ut illorum nutu, certissimo tramite, facillimo compendio ambules; nec ad mala diverticula iniquasque semitas, quæ tam multæ avocant ab hac via, delires.

Hoc est quod ipse Psalmista alio loco precabatur, inquiens:

Ne

Ne avertas faciem tuam a me. Isti sunt oculi Domini, qui super justos sunt semper. Istæ lucernæ sunt pedibus sanctorum, quandiu hic peregrinantur, ambulantes per fidem ad patriam ab exilio. Hæc est illa maxima fax, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hæc est illa luminis ardentissimi lucerna, quam afflictus Jobus a se abjisse lamentabatur. ¿*Quis*, inquit, *mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris*? Jam intelligit cui hæc divina lux affulsit, quàm vile sit ad voluptatum istarum sordes abjici, quàm id sit plane equum et mulum agere; ut viliora, ut despicatiora transeam animalia (sit suis auribus habitus honor) immundissimum suem, et stolidum asinum, in quîs omnibus non est ille intellectus, quem Dominus pœnitenti dedit, ut se noscat, quæ una est æterna vita.

Exuite istas belluarum species, induite hominem, accipite intellectum, cognoscite quàm vana sint omnia, quàm mala sine Domino. ¿Quonam modo istæ divitiæ, opes, copiæ, honores, gloria, stultissima, vanissima sint sine hoc intellectu? magnum ingenium, capax tenaxque memoria, vigor et amplitudo animi, hebetissima omnia sunt, quæ suum non ipsa noscunt auctorem. Philosophia et omnis mundi sapientia, mera est inscitia, amentia, insania, furor; quum eum, quem primum cognosci decet, ignorat. O vere equi, o muli, o asini omnes illi qui capite semper in terram dejecto non coluerunt, non agnoverunt parentem rerum omnium Deum. Hæc est causa, cur tradunt Nabuchodonosora septem annos in belluam deformatum, quòd Dominum Deumque ignoraret; quòd supra se nullum alium esse existimaret; quod est ex homine in bestiam degenerare. Et Antonius ille eremi cultor præviderat, multo antequam contingeret, dementiam Arrianam specie mulorum altare dejicientium. ¿Poterat aptius videri quicquam quàm mulorum forma illi omnes, qui a vera Dei absunt religione, qui Dei negligunt legem? ¿Idque non aliam ob causam, quàm quòd qua ratione lata sit homuli isti ex argilla, hebetissimo suo humano ingenio, non capiunt, retusissima suæ mentis vi non penetrant? Horum tu Domine constringe maxillas

in freno et camo qui non accedunt ad te: rege illos ut belluas, quos quum homines creasses, ipsi sua non intellecta sorte belluinam potius elegerunt.

Hi sunt homines, quibus quum tribuerit Dominus amplissimas et animo et corpore dotes, ingratissimi non intellexerunt, nullam habuerunt gratiam. Hi sunt comparati jumentis insipientibus, et tam similes facti sunt illorum, ut nihil intersit inter ipsos et illa præter membrorum formam, quos etiam Dominus tamquam jumenta, tamquam tardissimos asellos, non modo capistro et freno, verum et flagello durissimo iracundiæ suæ agitabit: sed nos istos cum sua infelicissima et ignoratione et insana cæcitate faciamus missos. Sit exitus nostri Psalmi, qualis esse reliquorum solet, consolatione ac lætitia pœnitentis plenus, quem quoniam in Domino speravit, pro exercitu illo, quo prius se lamentabatur cinctum, obsessum, nunc illo profligato circumdabit misericordia; illa quæ ab omnibus tuetur hostibus, ab omni vi, impetu, afflictione, in pace, in quiete placidissime continet. Quocirca lætentur justi, non in aliqua re hujus vanissimi seculi, sed in Domino: et omnes recto corde, in eo solum glorientur quod sciant, et noscant eum.

MEDITATIO TERTIA

IN HUNC PSALMUM XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: et sicut onus grave, gravatæ sunt super me.

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum: usque in finem tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea. Af-

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est: dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine, speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

SI peccatores omnes Dominus ostensione furoris sui terret, ¿quàm multos abjectissimus quidam pavor retraheret a flagitio, quos non reducunt benignissima parentis monita? Naturaliter enim apud plerosque plus valet malorum timor, quàm spes bonorum. Idcirco iis animis tam humilibus, tam abjectis, tam fractis, nequicquam inculces crebro redamandum Deum, qui nos ita

ita multum amat, ad eum potius parentem adeundum, quàm ad hostem generis humani diabolum, ejusque ministros sociosque, voluptates, mundi dolos, et reliqua scelera. Frustra coneris in spem summorum bonorum attollere animum in ipso pene tartaro jam obrutum atque sepultum. Non persuadebis dormienti et luscioso ut sua sponte fulgentissimos solis radios intueatur, tamquam Cerberus extractus a tenebris infernis, ut est in fabulis. Unica est servi hujus vilissimi medela, ut quoniam generosum animum non habet, qui rectius ducitur, quàm trahitur, plagæ illi et flagella commostrentur. Videat compedes, videat pistrinum, ostendantur illi tristes latumiæ.

Sentiat hæc, irascatur Dominus ejus, cognoscat ille furorem, audiat minas, loquatur: loquatur paulisper ei in ira sua, et in furore suo conturbet illum. In illo inquam, in illo furore, qui transfer montes: et nescierunt ii qui subvertuntur in ipsis, qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Fiat plagis melius nequissimum istud mancipium. Hic est furor Domini, quem non horret, nisi qui non noscit, quem non habet semper præ oculis, nisi quem aliquando vere tetigit. Sciebat hoc probe Psalmista, qui jam semel principio cujusdam alterius sermonis quum esset Dominum deprecatus, ne terreretur illo, nunc iterum eodem pavore canit idem. ¿Miratur quispiam? ¿appellat quis Prophetam, et regem istum timidum? appellet sese potius temerarium, qui nihil consideret, nihil æstimet. Nam Davidem nostrum constat fortissimum fuisse virum, vel qui non cessisset strenuitate aut fabulosis Hectori et Achilli, aut superbissimo Alexandro, aut immani Annibali, aut Atheniensi Cabriæ, aut Lacedæmonio Leonidæ, aut cuivis ex amplissimo Romanorum numero. Sed audi, obsecro, ¿num hæc timenda non sit ira? ¿num hic non horribilis furor? descendit Deus ipse in igne rapacissimo, quatit cœlorum ordinem, et compaginem elementorum dissolvit, immittit austros furentissimos, ventorumque cohortes inter sese pugnantes.

Opacat densissima caligne hoc solis et diei lumen, laxat maris habenas, et reserat signatas abyssos, concutit terram, et tremore maximo dimovetur, totaque in altissimos pavores dehiscit.

Infert animantium omnium animis confusissimum pavorem, et absonos illorum clamores, nec ipsa perferunt durissima saxa. Deserit catulos leæna, fugit agnum ovis ipsa, errant per silvas et montes animalia, et in solitudine magis turbantur. Irrumpunt agminatim feræ in civitates, confunduntur magis in solito urbis aspectu. Errant per vicos fugientes, et rugitibus atque ululatibus cuncta commiscent. Ac dum exitum ab urbe petunt, discursibus magis penetrant intima urbis. Ardet atra flamma pars universi, quod non absumit ignis, late inundat Oceanus, fremunt furentes ventorum tempestates, fremunt insani fluctus marini, crepitat vorax flamma per agros et urbes. Edunt varias voces animantia, tonitruis crepitat cœlum horrendis, et ex tam dissono rerum omnium strepitu cuncta replet terribilis exortus fragor. Rogo te, o vir fortissime, ¿quæ tibi est in his omnibus mens? non tutantur homines ab horrore tecta domorum; et intra penitissima conclusi ædium majore sternuntur pavore. Auget terrorem mœsta solitudo, auget societas, id est metus alienus additus proprio.

Hic est ille divinus furor, qui superat, qui frangit omnem temeritatem. Non pugnat hic ut homines eminus et ferro, à quibus vel interjectus tutari nos potest seu amnis, seu murus, aut clypeus et arma defendere, aut potest certe celerrima fuga parere salutem. Intrat ille animum tuum et complexus te inermem, nullum interpositioni aut muri aut clypei dat locum; et quo libuerit, abeas: semper illum feres tecum: citius a te tu ipse fugeris quàm ab illo. Quid, quòd ne si velis quidem magno perire animo sinet; totam enim ipsam animi vim ac virtutem, simul ac te complexus fuerit, prorsus extinguet; et quem animum germana sua Dei benignitas excelsum tibi fecerat, illum ipse prosternet, ejusque cursum et vitam comprimet atque retardabit, infixis sagittis veneno intinctis, ut in apris cervisque duri faciunt venatores. Idcirco Propheta alio loco cervo animam suam comparavit. Saucius enim ille accurit ad fontes aquarum: saucia hæc ad fontem illum aquæ vivæ salientis in vitam æternam, qui Deus est. Etsi is vulneraverit, etsi gravi percusserit manu, ita ut non summo tenus solum et in transcursu impegerit ictu præceleri, unde

nec

nec caro adlivescat, nec vibices attollantur, sed librata et confirmata manu, plagam incusserit, ut descenderet altius. ¡O grande vulnus quod totum transegit corpus, quod totum affecit, quod a toto abstulit sanitatem!

Percurre omnes tui corporis particulas tu, quem tetigit terribilis ira Dei; vide ¿sit ne aliqua immunis vulnere sana, integra, valens, an ipsa sint ossa quieta? Audi responsum tu, temerarie, qui non curas furorem Dei; audi, sus philosophorum Epicure; insane Lucreti audi, tu qui de Deo dicis,

Non bene pro meritis capitur, nec tangitur ira. (1)

Vide quid expertus dicat, et oculato tu crede testi. *Non est*, inquit, *sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* ¿Intellextin? vis loquamur forte Romanius. Scelera tuis similia sunt, quæ concitarunt iram furoremque Dei omnipotentis, qui vindex fuit illorum tam acer, ut ne minimam quidem in scelesto reliquerit particulam sanam, et hærens etiam ossibus malum hoc quietem ab illis abstraxerit. ¿Num id immerito in homine factum est? cujus flagitia tam multa fuerunt ut obruerint, ut sepelierint eum copia sua. Cœperunt paulatim circumsepire ipsum, et invalescentes numero et magnitudine supergressæ caput illius, immerserunt eum in se tamquam in altissimo pelago. Ubi ita eum oppressere, ut ne gemere, ne suspirare, ne respirare quidem posset pressus onere tam immani. Neque hic tantum finis tanti mali, nam stipatus undique et involutus veneno tam tetro cœpit mox confici tabe. Putrescere cœperunt et nonnulla vulnera, quæ priorum etiamnum peccatorum supererant male sana recrudescere, et sanies inde tetro fœtore profluere ¿sed cujus hæc est culpa peccator? ¿num medici Dei, qui tua vulnera, qui tuas contritiones alligaverat validissimis fasciis, optimisque colliverat medellis? tua insipientia est in causa, qui te iterum passus es feriri, qui relaxasti pannum bene alligatum.

I nunc idcirco miser incurvus et novis vulneribus acceptis, et exulceratis veteribus. I tam pressus pondere flagitiorum. I mœrens tam ægrotus, tam omnibus membris affectus. Fer sic hunc diem, qui jam in vesperem vergit, jam accendit lumina serum,

(1) Lib. 2. vers. 650.

jam prima noctis fax, quo ad novus ille matutinus rutilante aurora lucifer seu sol potius exoriatur. Quum tu noctem hanc in maximo licet dolore prætergressus convalesces, et renovabitur tua juventus ut aquilæ: erunt interim haud dubie properanti tibi ad salutem graves in animo inferiore pugnæ: succurret carni tuæ voluptatum dulcis consuetudo, eritque perquàm amarum antiquos socios, id est delicias, et peccata relegare. ¿Idcirco vide in mœstissima hac pœnitentiæ nocte, quomodo te geras? Nam illusiones miræ miseræque animum sollicitabunt, torquebuntque tuum, affliget carnem tuam Sathan, et ad solitam ipsa vitam suo nutu relabi nitetur: jactaberis his fluctibus in dolore; mox vero dejicies superbissimum istum animum tuum, ac vere tum pœnitebit tuis te manibus inquietam alioqui et pacatam domum tuam induxisse tam nefandum, tam atrox, tam cruentum bellum. Ingemisces, suspirabis, confugies potentissimum illum, qui nihil nec majus habet, nec libentius largitur, quàm pacem: quas unas opes terris decedens filiis suis pro hereditate reliquit. Audite sanctissimum testamentum: *Modicum, et jam non videbitis me, quia vado ad Patrem.*

¿Quas tu igitur locupletissimus relinquis heredibus tuis opes? *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Loquere jam tu paulisper pro te peccator: ætatem habes: videamus ¿quid in hac tristitiæ ac pœnitentiæ nocte ad Dominum loqueris? ad quem sunt omnes sermones tui, audiamus ¿quid dicat? Possem equidem, inquit, vel tacens expressisse tibi renum mentiumque humanarum exploratori Deo, quæ sentio, quæ gemit cor meum, quæ desidero. Poteram uti silentio, et compendium facere istorum verborum, quippe loquor tibi, cui desideria, curæ, gemitus, affectus, cogitata nostra, nos ipsi notiora sumus omnia, quàm sibi ipsa. Volo tamen mihi satisfaciendi gratia, dolores meos infelices, afflictiones, miseras calamitates, apud te parumper lamentari. Scio te antequàm verbum proferam, non ignorare, sed ita demum contentus abscedam, si me audiente quasi arbitro quodam explicuero. Juvabit vel hæc totius rei summa Domino me fuisse loquutum. Loquar igitur ego, cujus cor, cujus animus, cujus denique mens ipsa conturbata est, cujus ratio in-

infirmata, cujus extincta tota ingenii vis. Nam tota virtus corporis atque animi me deseruit. Procul enim a te fonte illorum omnium discessi. ¿Et miror deesse huic meæ piscinæ dulcissimum liquorem totius boni? ¿qui meatus illius tubi per quos a fonte huc veniebat, fæcibus vitiorum meorum intercluserim? Mirer potius tam crassum, tam viscosum, tenaxque cœnum posse mundari, et restitui me in pristinum illum vigorem, ex hac virium omnium et nervorum defectione atque imbecillitate, ex hac oculorum omnium et horum exteriorum et interni illius cæcitate. Quæ dum nihil cerno, præcipitem me exigit in casus miserandos.

Fugerunt ab hac tam fœtida, tam tetra camarina amici mei omnes; et quam decebat me complecti, me exosculari uxorem meam, halitum ea meum exhorruit. Accedebant quidem ad me proximi mei; sed tam pestilenti odore, qui ex sentina corporis mei exhalabat, arcebantur: sistebant in vestigio; et tamquam densissimus paries mihi erat putrefactio veterum peccatorum, ne illos ad me sineret pervenire. Retulerunt continuo pedem, qui própius accesserant, afflati spiritu putrium corruptarumque cicatricum et vulnerum recentiore tabe ac sanie confectorum. Nemini tam carus eram, quem ex vomicis perpetuo profluens et aspectu et olfactu insuavissimum pus non offenderet, non procul fugaret. Ita intolerabilis quum omnibus essem, ¿mortem quoties mihi sunt imprecati? ¿quoties vim inferre animæ voluissent meæ? Alii ut non essem, quem perire voluissent vel muscum, amaracinum, balsamum olentem: alii ut molestia liberarentur, qui nec discedere audebant, nec accedere poterant. Ita illi odio mei, hi vero sui amore quærebant quodammodo animam in complexu corporis sui hærentem, et in suo volutantem se luto, tamquam in rosis et suavissimis floribus inde convellerent.

At ego inter tot intus ac forinsecus mala nihilominus fœda vivacitate durabam, et in omnium invidiam dies proferebam longissimos, nihilque minus cogitabam quàm mortem. Mussitabant illi, altius interim clariusque loquebantur vanissima. ¿Et ad quem tandem finem reservas nobis istud silicernium? ¿istud omnium fœtidissimarum sordium receptaculum? plenum sputis, plenum excreationibus, muccis, excrementis, hirco, odore latrinali, ac plus-

quàm

quàm tartareo, morosum, querulum, intolerabile. ¿Vincet ne cornicis et Nestoris senectam? ¿quæ malum ista est tanta vivacitas? ¿Vivet ne mortuum istud cadaver ultra lina? (1) quod ajunt: ¿an continget nobis hic alter Mathusalem, alter Priamus? qui nos omnes sepeliat juniores malis diebus, quos hic perferimus, enectos. Vellem jam tandem strangularet eum sua ista nobis omnibus tam molesta, tamque perennis pituita. Aut quum descendit, ascenditve, devolveretur per scalas. Aut id, quod in ista senectæ ariditate supervitalis vaporis, depasceret brevis aliqua febrecula. Aut denique quavis via liberaret nos Deus ab isto supplicio. Perveniebant nonnullæ ex his vocibus ad me; sed ego nullum putabam aptius illis esse responsum, quàm silentium. Calorem multorum verborum temperabam taciturnitatis refrigeratione. Sapientum plerisque hæc, ut arbitror, fuit causa cur sese surdastros esse simularent: qui quamvis acutissime audirent, expedire tamen censebant multa nos audiisse dissimulare, ut et non vidisse complura utile est.

Cato minor quum esset Uticæ cum exercitu, quem ex reliquiis partium Pompejanarum collectum contra Cæsarem ductabat, et milites ad deditionem essent propensiores, voces quibus id se velle significabant, audire sese dissimulabat, surdastrumque se finxit, cum illas ita claras vel ipsi audivissent surdi. Prudentissimus vir id satius duxit agendum, quod ajunt vulgo, stultis verbis surdas aures. (2) Ita et ego illos omnes tamquam surdus me audire dissimulabam, et perinde tamquam mutus nihil ejusmodi respondebam dictis: ne parum apte personam egissem, si lingua mea calliditatem detexisset ingenii; et quod aures se non audiisse volebant persuadere, aurium mendacium lingua testata fuisset. Fiebam tamquam ii, quos natura surdos ex matrum utero in lucem produxit, qui quum inauditi sint, etiam voces humanas ediscere nequeunt: ita surdi perpetuo sunt atque muti. Ideo nec a me pro maledictis acrem reportarunt objurgationem, et solatio mihi erat, eos aliquando facturos finem dicendi. Fruebar ego scelere meo, retinebam in sordibus animam turpissimo corporis complexu, allatrabant mihi catelli mei: ¿quid ad me? siquidem non mordebant.

Eme-

(1) Mas viejo que Sarna. (2) A palabras locas orejas sordas.

Emeritum ferunt equum militia longa, in lætissima immissum prata, opera vacuum, ut pro laboriosa juventa quiete frueretur senectutis. Illum quum clamoribus ac strepitu abigere conarentur viatores quidam justo curiosiores (nihil enim ad eos in illis pratis, equus pascebat, nihilque movebatur) adveniens forte dominus miles veteranus, ¿an non (inquit) vos inepti estis, qui militari tumultui assuefactum equum, voculis vestris à pastu conamini deterrere?

Sic et ego in mediis ipsis flagitiorum voluptatibus aure durissima, qui juniorum ardentes sæpe audiveram expostulationes, et querelas ejusmodi, nihil erat quòd moverer illis; et nisi spes hæc tui tam me juvisset, in duritie mea, velut marmor obriguissem, periissemque. Verum inter inimicitias tam graves, inter vitia mea cumulum validissimo numero in dies augentia, spes nescio quæ in tenebris lucens, et mortuis rebus omnibus sola superstes effecit, ut tu me mutum alioqui audires. Quum ad te vox interna clamavit. Effecit, te ut misereret mei, ut excitatus, ut vitæ potius redditus ac officiis sensuum, inciperem et videre, et audire, et clamare ad te, ne unquam votis faveas inimicorum meorum, ne intempestive moriar etiam jam senex et annosissimus, antequàm veros hominis canos assequar, et ætatem senectutis vitam immaculatam. Hoc precor, hoc peto, hoc unum omnibus votis ac precibus exposco, ne de ruina mea gaudium præbeas meis inimicis. Prospectant illi, mi Deus, hanc meam supplicationem, et si forte fortuna labitur, nutat, commovetur pes meus, confestim extrema quæque loquuntur, ominantur de me, jam decidit, jam derelictus est a Deo, nunquam resurget, posthac actum est de ipso.

At qui ego mi Deus, culpam deprecor, pœnam nullam recuso, redire cupio tecum in gratiam, quamlibet magna indicta mulcta, dolebit perpetuo, feram flagella: nihil quod tibi pro redimenda gratia placuerit detrecto, libens accipio. Habes voluntatem, quæ peccavit, habes reum confitentem crimen, qui de flagitio perpetuo cogito, perpetuo de illius eventu sollicitor angorque. Qui abdico, qui nuncium mitto deliciis, voluptatibus, opibus, honoribus, ceterisque mundi vanitatibus, atque decipulis.

Quæ

Quæ qui possident, eos ex sociis amicissimisque mihi facio inimicos propter te. Qui vivunt hic, qui vigent augentur, qui soli terra fruuntur, regna, imperia penes ipsos sunt, rerum ipsi potiuntur, et me tamquam contrarium partium et transfugam odio iniquissimo oderunt. Isti sunt qui me persequuntur, qui non bonum pro malo, quod optimorum maximaque virtute præstantium est, referunt: non item bonum pro bono, quod etiam faciunt homines mali, sed malum prò bono pessimi ac nefarii reddunt. Audi summam istius odii, quia sequebar bonitatem; usque adeo invisa est hæc pulcherrima omnium res, iis quibus non inest, ut quidvis pati potius sint parati, quàm illam non insectari: ut malint interim sui similes pravos socios esse sibi, quamvis nocituros sciant, quàm dissimiles sui bonos, etiam profuturos.

Si diligentius perquiras, non illos hominem infestum habere comperies, sed probitatem, dum nimio sui amore acti, invisum est eis quod ipsis abest: maluntque in vitio persistentes odisse bonos, quàm illorum exemplo provocati imitari, ac eniti, ut eos vel superent vel æquent. Hoc erat pulchri ac excelsi animi, non pati se vinci virtute. Non erat certandum cum divite divitiis, nec factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia, ubi vinci non turpe est, modo tu nihil remiseris de tua virili, et superare præclarum. Et quoniam non est hic locus deplorandi, quàm sit virtus ubique invisa, quàm semper fuerit ab invidia primi fratris, eritque quoad mundus iste totus ab irrequieto labore quiescat: ¿quid tandem tam multis obtinere velim verbis? epilogo perbrevi claudam. Duo tantummodo petam, unum ne facias, alterum ut facias. Prius est ne deseras me in hoc acri conflictu, ne vel latum unguem abscedas a me, ne imbecillitate mea, ne (ut vires meæ exiguæ sunt) vel minima concidam plaga. Alterum ut tu, qui unus es Dominus meæ salutis, in mei semper prospicias auxilium, mihi consulas, atque in hac vita lumine tuo mihi perpetuo præeunte sic deducas, ut ex his tenebris ad æternum tuæ beatitudinis lumen expeditissimo compendio perveniam.

MEDITATIO QUARTA

IN HUNC PSALMUM QUINQUAGESIMUM.

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonis tuis, et vincas quum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

DIALOGUS.

VIVES, PSALMISTA.

VIves. Volo paulisper cum Psalmista sermonem instituere, quem tanto cum dolore gementem video, deprecantemque (quantum conjicio) culpam suam.

¿Quid tu tam mœres, o Rex sapientissime? ¿quid opertus sacco sedes in cinere, a ploratu non interquiescens? Non hic mihi mos Regum esse videtur. ¿Ubi tibi purpura illa? ¿Ubi convivium instructissimum, et adipalis cœna? ¿Ubi tam multi scurræ, qui convivas exhilarant? ¿Ubi profusus risus Regis usque ad cachinnos? ¿Ubi purpurati, longaque ministrorum series, magnus concursantium strepitus? ¿Ubi funalia illa lychnique, qui tenebras nocturnas instar diei collustrant? Atqui tu in tenebris sedes, lucem, hominumque conspectus aspernatus et fugiens: tibi lacrimæ tuæ panes sunt toto die lamentabili voce, atque ejulatu potius non exhilaras te, sed tristificas. ¿Insueta hæc quis non miretur? ¿quis causas non requirat?

Psal. Si ferret magnitudo doloris mei, ut aliquid de se loqui possem, aut sceleris mei pudor sineret, ut auderem, facile fieret, non ut minueretur mihi quicquam ex mœrore (nam id nefas esset optare) sed ut ego complures haberem, qui meum casum mecum dolerent, foretque diuturnior dolor, quem multi augerent, quantus modo esse non potest, omnibus illum minuere conantibus, multis nitentibus me consolari. Desineres etiam tu cum plerisque mirari, nec mihi exemplum objiceres ceterorum Regum. Quid enim ad virum sapientem considerare quæ stulti faciunt, nisi dedita opera, ut illa vitet, et ex vitio alterius emendet suum; cui tamen attentius perspiciendum est, quomodo sapientes vivant, ut imitetur. Quòd si hæc quæ in me modo conspicis, insueta tibi in aliis Regibus videntur, in me certe non sunt. ¿Num tu solus non audisti versatus, quantum intelligo, in Hierusalem, quàm multis ego jam inde a pueritia mea fuerim adversis exercitus? ¿quomodo semper finis unius calamitatis principium fue-

fuerit sequentis? ¿Non accepisti nunquam me in securitate comedisse panem? Ad quem inter ceteros homines spectat, quod Deus Adæ comminitans dixit, fore ut sudore vultus sui pane suo vesceretur. Homo agricola ego sum, quoniam est Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

Vives. Hæc ego omnia satis abundeque audivi; verum accepi etiam te his et proximis diebus regiam, id est, vere deliciosam vixisse vitam tranquille et sine cura, ut ajebant, cum tua illa Bersabee.

Psal. Heu heu attigisti vulnus, et exulcerasti dolorem: hoc ipsum est, adulteratus sum, atque interfeci, et nunc reus capitis agor.

Vives. ¿Reus tu? ¿et apud quem judicem? Apage. ¿Rex et reus capitis? hoc quàm iniquum sit, nescio: inusitatum certe usque adeo est, ut ante hunc diem non sit auditum. ¿An apud Regem alium? qui te nullus est major, nullus bello potentior. Decerne bello, quàm multa capitum millia cadent antequàm ad tuum perveniatur. Sin apud aliquem ex iis qui tibi parent in regno; ¿nonne insanus is erit qui contra te pronuntiarit; minare illi, minare actori, occide illos omnes? Non hoc tibi humanum videtur: at corrumpe auro, quo abundas, judicem: facile id erit factu. Quòd si tam sanctus ille fuerit, ut corrumpi nequeat, sine pronuntiet, faciat quidlibet, dic te postea nolle sententiæ ac judicio stare: ¿quis coget?

Psal. Bene tu illa quidem, si res ista se haberet, ut existimas. Verum est alius quidem judex multo me major, multo fortior, cujus vel minimus minister totum meum exercitum quamlibet magnum, quamlibet veteranum et robustum, horæ momento occideret occidione. Qui me fecit, qui me sustinet, quo volente nullus ulterius futurus sim. ¿Intelligis jam, quisnam sit?

Vives. Admirabilem judicem narras: Deum mihi videris dicere. Durum, ut credo, sontibus est istud forum. ¿Sed quid? ¿nullime in regno tuo patroni optimi? qui pro te dicant apud illum judicem, qui defendant crimen, qui in alium transferant, homicidium præcipue. Quum tam callide jusseris illum Uriam in prima acie collocari, ut vix vel criminis suspicio tibi objici possit. Ego

si pro te dicturus essem, istis equidem agerem: esse stultum, Regem aut Imperatorem homicidii accusari eorum omnium, qui occidunt in prœlio: ¿quid insanius? Nam quod ajunt te litteras scripsisse, ¿nonne tibi licet, in prima acie quem volueris constituere, quem volueris in media, quem in postrema? Quod non modo tibi, sed et Joabo licet, præfecto militiæ tuæ. Volebas in fronte consistere viros fortissimos, ut primus hostium impetus valenter frangeretur, ubi est totum victoriæ momentum. Idque non eo fine, ut ab hostibus trucidaretur ille: ¿quid enim a te viro humanissimo ac benignissimo magis alienum? quid tibi Regi minus utile, quàm amittere talem tam strenuum militem, qui unus, quod eventus docuit, instar erat multorum. Postremo ¿quis unquam Regem postulavit quòd interfici jusserit subditum, quocunque tandem modo id fuerit transactum, quacunque de causa? ¿quis, quòd sit adulteratus? ¿Nunquid non Reges Domini sunt? licentque illis omnia quæcunque collibita fuerint in subditos: occidere quos nocentes existimant reipublicæ, regnoque suo parum commodos: oblectare se cum liberis uxoribusque inferiorum: in usus regni exigere solito ampliorem pecuniam; quæ placeant, vestes, agros, domos, possessiones aut blanditer elicere, aut artibus callidis exprimere, aut quum id nequeunt, quod postremum est, vi rapere. Quod si hæc Regi non licerent, non video qua in re a privato differret, quin et tanto pondere regni gravatus infelicissimis homunculis infelicior esset futurus, si non liceat ei paulo plusquam reliquis. ¿Quid tam subinde gemis? ¿quid suspiras?

Psal. Quia te video deliramenta colligentem; neque iis tamen culpam meam minui, nec causam fieri meliorem. Sapiuntque ista quæ dixisti, non Israeliticum quidpiam, neque regium, sed gentilium plane quiddam, atque tyrannicum. Et tu oppido juvenis es, et inexpertus rerum; ¿putasque in hoc foro ita agi, ut te docuit magister in schola? ¿Quàm tu faceres facile defensionibus criminum ex optima causa malam? ¿Et ignoras, hunc judicem, ne voluntatem quidem qua quicquam actum sit, ignorare? Nec affectibus moveri, nec callidis argumentationibus falli, testibus nec aliis indigere, nec aliis uti, quàm conscientiis scelerum uniuscujusque scelesti, quarum unamquanque non injuria mille testes, proverbio dicunt esse.

Vi-

Vives. ¿Quid igitur, certus ne judicii eventus damnari? ¿In hoc tandem foro absolvi nullos contingit reos?

Psal. Quàm vellem ut singultus hi gregatim erumpentes paulisper interquiescerent, aperirem tibi quæ ignoras; sed quoniam impedit me dolor, eloquar ut potero, paucis tamen. Est rerum omnium quascunque mortales agunt, seu in abditissimis tenebris paucis comitati, seu ipsi soli, quas etiam secum intra se cogitant, spectator atque idem judex Deus Opt. Max. Is tamen æquissimus; adeo, ut ne ad tribunal quidem ejus adducantur rei, nisi evidenter nocentes, et jam ante ipsa flagitiosissima vita damnati. Nullus enim adhuc tot annis in foro illo insons cujusquam criminis accusatus est. Ac quoniam est tam sanctus, tam incorruptus judex, non est apud eum respectus ullus personarum nostrarum: Regibus, servis, summis, imis, opulentis, mendicis æquus idemque est. Nam et hæc nomina re vera inania sunt, atque ab humanis stultitiis inventa, et est tanta judicis magnitudo, tam immensa, tam incredibilis, ut inter nostras magnitudines et exiguitates ad illam relatas nulla sit prorsus discretio. Qui igitur illic causam dicunt, voluntque crimina sua tueri (nam inficiari nullo modo possunt) et legibus jurique stare, hi protinus causa cadunt; nam pertinaciter malunt errorem non agnoscere, quàm delicti veniam petere: cujusmodi sunt illi, qui sibi inaniter verba confingunt malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

Qui aut non esse peccata pueriliter cavillantur, aut sibi illa facere licuisse asseverant, idque propter susceptam personam veluti regiam, velut divitis, quemadmodum principes terræ, qui quo sunt potentiores, idcirco sibi putant plura licere, quàm inferioribus, perinde ac si apud judicem illum ullus esset altero vel superior, vel inferior, et non potius omnes æquales: faciunt non secus ac si in scena histrio qui Regem agit, putaret, quòd personam illam induerit, licere sibi plura quàm sociis, qui pauperum personas induerunt, velletque illos pulsare, vexare, interficere, violare ipsorum conjugia, liberos parum pudice tractare, domos vi spoliare, existimans id abiturum impune. Quod si hæc insanissima esse, vel ipsi (ut vocantur) veri Reges insanissimi plerunque sciunt, sciant se non saniores esse, quum eadem illa in mi-

minores sibi putant licere, et scelestissimos, in primisque nefarios, quum agunt. ¡Heu nefas! fui ego aliquando tanto correptus furore ut illa agerem, et putant me immerito tam vehementer modo pœnitere, quum nondum sciam quis me maneat judicii horum scelerum exitus. Itaque sicut de illo dicere incœperam, qui tam sapiunt ut defensiones nihil tandem profuturas omittant, confugiantque ad deprecationem, qui confitentur confestim crimen, et petunt illius veniam vero dolore, vera pœnitentia, ii demum absolvuntur. ¿Mirumque quàm illud judici placeat? mirum quàm ea sola re flectatur clementissimus ille, qui ut est, ita et ab omnibus clementissimus, mitissimusque vult existimari.

Nec alia in re confidere reos, quàm in sua clementia et misericordia. Quam si tibi explicare incœpero, si referre quantam in se sint omnes nationes, populi, gentes, ipse orbis expertus, quantam quàm incredibilem ego in me ipso, dies me deficiat, et verba. Citius percurram historiam cœlorum, elementorum, totius naturæ; quæ admirabilis est, quàm miserationes, quàm clementias, quibus ex quo mundo creavit, usus est, ut taceam, quibus est usurus. Nam sunt ab æterno in æternum. Quæ certe superioribus nec pauciores futuræ sunt, neque minores; neque vero est in eo majus quidpiam nec admirabilius, nec melius, quàm quod et misereri omnium potest, et vult. Quocirca nec ego quicquam cithara, psalterioque libentius psallo, quàm ejus miserationes innumeras, immensas, admirabiles, paratas, obvias, quæ sunt super omnia ipsius opera, quibus vivimus, quibus durat hoc universum, quibus nos, quibus nostra omnia debemus accepta referre. Quòd vel unam horulam vivimus impii, quòd valemus, vigemus, gaudemus; quòd in hominum scelestissimorum alioqui quæcunque tandem in hoc mundo progenita sunt, veniunt usus: quòd non totum genus nostrum simul cum ipso mundo concidit, ¿quid aliud est, quàm misericordia illa immensa, divina? Quamobrem ad illam ego meam orationem aptavi, qua sum modo usurus in judicio.

VIVES. Audirem ego illam longe libentissime, sed vereor ne sim tibi justo molestior.

PSAL. Eam ego tibi pronuntiabo, ut te instituam me multò minorem, ut si quid tibi usu venerit huic simile, quod nolim,

quod

quod quantum poteris, fuge: si tamen acciderit, edoctus jam sis, sciasque, quidnam sis acturus.

ORATIO PSALMISTÆ.

SI magnitudo sive clementiæ, sive misericordiæ tuæ ignota mihi foret, Deus Opt. Max. nihil esset, quod aut oratione aliqua vellem apud te agere, aut sperarem impetrare veniam tantorum scelerum meorum. Quæ neque negare possum, nec aliquo tegere colore. Sed quum sciam, ante quem judicem sim constitutus, cujus tot recolo misericordiæ opera, quot non generationes modo, non homines, sed quot momenta fuerunt a condito orbe, tam innumeras venias peccatis nefandissimis tributas, non putavi causam esse, cur unus ego desperarem, cur me esse existimarem in pejore conditione quàm ceteros. Non quod flagitia mea aliorum flagitiis minora esse credam, quo mihi de venia fiducia crescat, sed quod videam mensuram clementiæ tuæ capere tam ingentia flagitia, quam non modo ab homine non committi, sed ne excogitari quidem possunt. Is ergo deterreatur, qui considerans solum quæ tu hominibus tribueris, delicta videat sua esse illis omnibus majora. ¿Nam qui non ea, quæ feceris modo, sed etiam quæ et possis, et velis contempletur, erit tam ab omni sensu, ab omni mente alienus, ut desperet? Qui sciat (neque enim scitu difficile est) etiam si totus hic mundus in scelera convertatur, nondum tamen superaturum misericordiam tuam, non impleturum, non absumturum, non perventurum ad fundum, non effecturum, ut nullus aditus pateat ad veniam, ad ignoscentiam, ut inexorabilis fias, ut ad preces obsurdescant aures tuæ.

¿At latet apud te forsitan hæc tanta clementia, hæc misericordia otiosa, nihil habet ipsa negotii, nihil nobis prodest? Absit, ut rem tam impiam quisquam vel imagine sibi fingat, quamvis ei non assentiatur. Nam id qui crederet, is ne dignus quidem esset, qui experiretur quantum ipsa valet, quantum nobis prodest. ¿Vixisset ne vel temporis punctum parens ille primus Adam gustato pomo, nisi præsto ipsi adfuisset propitia divina sive clementia sive misericordia? Cui cum fuisset comminatum moritu-

rum

rum eum, idque ipso te, Deus, tuis verbis ferente legem, edictum pronuntiante, sciens et videns vitam cum morte unum ob pomum commutabat. ¿Superstitisset diluvio genus humanum? et non potius cunctas animantes simul cum ordine tenoreque ipsius universi, sic aquarum vis sempiternis seculis obruisset, ut spirabilis hic aer, aquæ terræque circumdatus est. ¿Exuisset unquam Judæus populus miseram illam Ægyptiam servitutem? ¿transisset mare rubrum? ¿superfuisset vel unus in deserto violatis toties divinis legibus usque ad defectionem ad idolatriam? ¿Si tantisper interquiescere, ac a suo munere solito cessare misericordia voluisset, potuissent pares esse tot fortissimis exercitibus, pauci, ignavi atque inermes? ¿Extaret modo vel vestigium hujusce gentis? ¿venirent gentiles, qui a Patre Deo ad suum ipsorum hostem diabolum desciverunt cui et serviunt, nisi hæc omnibus esset propitia, favens, benefica misericordia? Quæ tam magna est, tam capax, ut omnia complectatur; tam copiosa, tam infinita, ut impartiens se omnibus nunquam tamen minuatur: tam fortis, ut quotidiano usu non debilitetur, non fatigetur, non atteratur; tam erga nos amica mitis, benigna, ut innumeris nostris adversum se offensis non fiat nobis vel pilo aversior. Tam facilis, ut paucissimis egeamus precibus ad eam nobis reconciliandam, quin semper ipsa se nobis offert.

Usque eo nobis indulgens, nos patiens, ut a nobis contempta, spreta, repudiata, ferat tamen æquo animo parata quo ad nobis tandem advocetur. Venitque tum non querula, non mussitans indignabunda, non offensa, quod a nobis fuerit usque adeo contempta. ¡O misericordia dulcis, o benignitas admirabilis, o clemens patientia, o patiens clementia, quam nec scio quomodo adorem, nec scio, quo nomine appositissimo nominem! Intelligere te vellem, sed præstinguis lucernulam mentis meæ solari tuo lumine. Definirem lubens, si posses ullis terminis concludi, si aliquid te superius fieri posse intelligerem. Illud tamen unum est, quod quum habeam, reliqua non me magnopere sollicitant, quod tametsi comprehendere te non possum, frui tamen te certe possum. Tu quidem sancta et humani generis sospitatrix perpetua, semper fovendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem

mi-

miserorum casibus tribuis. Nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum, qui mari terraque protegas homines, et depulsis vitæ procellis salutarem porrigas dextram.

Ad hoc asylum, ad hanc ego aram, mi Deus Opt. Maxim. qua nescio an sit in te majus quidpiam, confugio. Hujus magnitudinem imploro, per hujus multitudinem te precor ut mei miserearis, ne qui tam innumerorum es misertus, in pejore me facias esse sorte, quàm reliquos omnes, ne de te præbeas suspicionem aut fatigatum jam esse te bene faciendo, aut tuam misericordiam non omnibus paratam esse, qui petunt, qui ad eam refugiunt, quæ duo quàm a te sint aliena, nemo ignorat, qui te vel de nomine dumtaxat novit. Ad objiciunt mihi adversarii immania crimina; illa ego libenter aut negarem facta, si in hoc foro aliquid ignorari posset, aut asseverarem recte facta, si posses, tu sapientissime Deus, aliquo argumento falli. Quare ¿quid mihi faciendum superest? nisi omissa controversia, omnem orationem ad misericordiam tuam conferre. Nihil hic ad veniam impetrandam scio tam valere, quam delicti sinceram confessionem cum dolore, qua una absterguntur ex flagitii turpitudine sordes animo hærentes. En igitur lava me largiter, aufer iniquitatem meam, munda me a peccato meo. Siquidem agnosco crimen, confiteor delictum, tam dolens quod fecerim, quàm lætus quum faciebam. Adeo ut nihil magis nunc sit adversum, nihil magis invisum, quàm et illud peccatum et ipsius recordatio; nihil quod me magis angat, cruciet, distorqueat, enecet, quàm cum in memoriam ejus incido: incido autem quàm frequentissime. Nam fere versatur mihi ob oculos.

Quoniam enim nihil magis profuturum sciebam, ne tu nostrorum memor esses scelerum, quàm nos esse perpetuo memores. Idcirco manticas illas, quæ sunt vulgo in proverbio, inverti, ut errores mei ante pectus mihi assiduo dependerent, rejicerentque aliena peccata ad tergum; quæ nihil mihi profuit ante pectus, prava curiositate, conspicua mihi semper gestasse, vidisseque in alienis malis tam acutum, quàm aut aquila, aut Epidaurius serpens, ne lippis quidem oculis mea conspiciens. Cujus erat illud

in primis in causa, quòd et regiæ opinionis stoliditate et perditissimo applausu adulatorum, nulla in re mihi videbar malefacere. Quod nulla lex esset, quæ in me delinquentem animadverti juberet, et in fastigio rerum humanarum a te constitutus, quia pœnæ obnoxius non eram, culpa me vacare credebam. Nihil de te, mi summe Deus, cogitans, cui uni Regi omnium seculorum, rerum universarum, temporaneus ego regulus paucorum corpusculorum peccavi; et quod me cum animo reputantem maximo afficit pudore: quæ coram hominibus qui me non erant punituri, facere erubescebam, feci te spectante eodem et teste et judice; nec sum veritus sanctissimos tuos oculos mea turpitudine offendere, qui turpissimos alioqui homunculorum oculos refugiebam.

Verum quum tu solus meus judex sis, et qui me unus peccasse noris, nihil est quòd istas stultæ plebeculæ voces vel pili facias. Fremit, insanit more suo. Negat mihi ad tuam gratiam patere regressum; recissa esse ait pacta promissa omnia mihi tua: ¿quid ad te, obsecro, cum his verbis? ¿Num ego subditus multitudini malevolorum et non potius beneficio tuo illa mihi? ¿num coram illis peccavi? ¿num non coloribus argumentis maximis crimen ego meum defendere possem, si illa disceptante esset agendum? Ignosce modo tu unus mihi, qui unus potes, cui uni, ante quem unum (¡heu me!) peccavi; ne sint, oro, irrita illa promissa mihi tua tam magna, tam admirabilia. De hujus herede regni, de templi constructione, de Christo meo, et alia permulta quàm maxima. Tum nec illa toti hominum generi, de venia flagitiorum, quibus pollicitus es te peccatorum nostrorum sordes abluturum. Justifica igitur me in his sermonibus tuis, et emunda, emacula, perpurga me, quum omnia judicabis: nec tunc in illa rerum omnium censura immundo mihi tristissimam aliquam notam inuras, nec efficere possint scelera nostra, quo minus tu stes promissis, nec idcirco tu pactis nihil actum putes, quòd nostra ex parte infringantur. Neu velis perfidus haberi, quòd nos simus infidi. Non enim mutaris tu, ut homo: non es uti nos levis, instabilis, qui tam facile a proposito susceptoque consilio discedimus, quàm tu nescis unquam discedere. Noli elevare criminis mei gravitatem, quam mihi sum conscius tantam esse, ut verbis eam consequi nemo possit.

Quum

Quum te, immense Deus, contemplor in quem deliqui, ego ipse tam nefaria mea scelera exhorresco, et ad tuam magnitudinem illa referens nullas invenio cogitatione pœnas, quibus expiari possint. Quòd nisi tua mihi præsto esset clementia, desperarem posse tibi satisfieri, actum esse de me existimarem. Dicam tamen, non derivandi criminis gratia, sed ut tu ipse scis rem se habere, qui nos finxisti. ¿Miratur quispiam nos tam crebro, tam facile peccare? consideret ex quibus initiis in lucem prodiimus. Et miretur potius esse aliquem tam tibi carum, qui beneficio tuo possit et a parentum moribus et ab illis nostræ conflationis rudimentis degenerare, totam vitam sanctissime atque innocentissime traducens, nulla parte ab amussi, quod ajunt, devians. ¿Quis non miretur leones mites? ¿quis non immanes oves? ¿quis non lupum a grege manum continentem? ¿quis non simplicem vulpem? ¿mutas luscinias? ¿vocales pisces? Usque adeo valent in unoquoque plurimum et ingenium et parentum mores, et educatio. At in nobis non modo parentes pleni sceleribus, sed ipsa etiam conceptio in flagitio. Ipsa nostri corporis massa quum corporatur, quum membratur, quum animatur, et quasi pinsitur, peccato maceratur, sicuti massa tritici aqua.

Ut causatius miretur quispiam, nos aliud olere, aliud ex nobis reddere, aliud sapere, quàm pravitates, flagitia, facinora nefanda. ¿Quis hæc non credat? ¿quis ignoret? quum ipse tu dixeris, sensus cogitationesque omnes humani cordis jam inde ab origine sua pronas in malum esse. Quo ex verbo certum habeo nos apud te magna ex parte purgatos esse, quippe qui ingenio malo pravoque nos omnes esse cognoscis, non educatos modo inter mala, sed factos, non institutos, sed imbutos. Neque enim illa prima originis nostræ peccata didicimus, sed accepimus; non fecimus ipsi, sed adhæserunt nobis, et saporem duximus nobiscum, quo infecta erat mulctra in quam mulcti, in qua coacti, in qua formati, ex qua jam absoluti in hanc lucem ejecti sumus. ¿Idque quanta cum miseria? ¿quantis cum ærumnis? ¿Quanto cum planctu affulsit et nobis et parenti nostræ natalis ille dies? Ut vere cognoscas conceptum fuisse in peccato, quem sic pœnas dantem pœnas dans parit ipsa mater. ¿Transeo quanto infeliciter

natum, infelicius educatur? ¿quomodo vitam totam longe infelicissimam agit? Et ut nihil sit homine admirabilius, ita nec miserabilius quicquam. Et dignum tamen ducis tantillum animalis, quod tecum versetur: ut pacta, ut fœdera cum illo sancias, ut promissa omnia præstes, quippe qui nihil magis diligis, quàm veritatem, quum sis ipse tu veritas: ut illum doceas arcana sapientiæ tuæ, quæ mundus, quæ tota natura non capit et stupet. Longum esset illa omnia percensere, quæ tu homines docuisti; quæ etiam si complecti vellem oratione, tam possem, quàm scire, quæ unusquisque hominum te doctore didicerit. Quod sane impossibile est, utpote immensum.

Loquar tamen de me ipso, non mei jactandi gratia: ¿quid enim hic convenit minus? sed ut animum meum quomodo possum, tibi gratum ostendam, nec oblitum quanto me sis honore dignatus, quem docueris stupenda mysteria divinitatis tuæ citra studium ac litteraturam. Ad quæ immensis laboribus et jugi scholarum sudore ne aspirare quidem possunt hujus seculi sapientes. At tu me ex abjectissimo rudissimoque opilione et Regem tantum fecisti, et sapientissimum Prophetam, quippe cui ostenderis quod sis Pater, quod Filius, quod Spiritus sanctus. Quod filius hic tuus Deus ipse olim hominem induet, quem nasciturum meo ex semine mihi es pollicitus. Qui multis in vita innocentissima exercitus laboribus docebit humanum genus admiranda tuæ sapientiæ secreta. Ac post summos cruciatus indignissimam feret mortem insontissimus et sanctissimus rerum omnium Rex, et Dominus. Cujus pientissimi cruoris effusione et nos omnes e tenebris liberamur infernis, et reconciliabitur tibi summo omnium Deo inimicum genus humanum. Nasceturque novus quidem populus in nova ecclesia, novaque lege, multo purior, multo sanctior, multo tibi gratior isto duræ cervicis atque incircumcisi cordis Judæo.

Te igitur ego, summi Patris fili, te, Deus futurus, et filius et Dominus meus, per carnem illam quam ex genere meo assumturus es, oro et opto miserere canorum meorum, miserere avi et servi fortunis omnibus et capite periclitantis. Adsis o agne immaculatissime, et tuo illo sanguine futuro precio mundi lava me, munda me abunde vel una aspersione illius, quo signatæ fores do-

domunculæ meæ nihil paveant Angelum percutientem. Idque hyssopo facies illo, quo sine neque apud nos neque apud gentiles fiat ulla maxima expiatio. Intelligis quid loquar, qui meos omnes contueris cogitatus; nec me tamen continebo, quin faciam planius, quod volo. Illo inquam hyssopo, illo humili corpore tuo, quod usque ad probra, contumelias, calamitatesque omnes vitæ propter nos dejicies. Illo quod inter petras Apostolos tuos crescet, adhærens tenaciter radicibus petræ, divinitati tuæ, in quam fundamenta jacies stabilis in perpetuum ecclesiæ tuæ, a qua hyssopum illud nunquam ulla vi develli poterit. Illo, quod fructus lectioni maturos atque tempestivos in æstate summæ caritatis facit, qui pectoris nostri sordes omnes repurgant, quas sordes ex frigiditate contraximus. Illo hyssopo stomacho, intestinis, dentibus, auribus, toti capiti, toti homini salutari; quod hydropisim aufert, lumbricos necat, livorem mundat, colorem faciei nostræ nitidissimum affert.

Hoc me, oro, asperge hyssopo Domine tam saluberrimo; animæque meæ postibus pauculis guttis tui sanguinis consecratis, totus mundabor. Immergam me inibi totum et in sanguine lotus, nihilo minus tamen albior emergam ipsa nive. Nam ut nigrius nihil est anima ipsa, atra scelerum fuligine infecta; ita nec aliquid candidius est ipsa suæ puritati, suo candori, suæ probitati restituta. Age igitur clementissime Deus, audiam ex te illud plenum gaudio, plenum immensa lætitia verbum: Remittuntur tibi peccata tua. Et surgam ex hoc cinere, exuam saccum et cilicium, ut eam tibi gratulatum. Tunc ossa, tunc intraria omnia mea perfundentur tanta lætitia, ut etiam exultent quæ tu terrore minisque concussisti tuis, quæ attrivisti, quæ pæne comminuisti. Ita ut etiam num non dico tua præsentia quam isti omnes spiritus sanctissimi ministri tui tremunt, sed tuo solo nomine horrore miro concutiantur. Et ipse quidem ego totus in solito tremore perturbor, quum magnitudinem justitiæ tuæ considero: pudore summo, quum te arbitrum meorum scelerum, me non erubuisse succurrit. Quàm ego beatus, si aut tantisper, dum peccabam, temporaneos sumsisses oculos carneos, hominum oculis similes, qui crassos parietes, qui densas tenebras non penetrassent, quos multa

la-

latere, multa præterfugere, multa fallere potuissent.

Aut nunc oculos illos tuos acutissimos, vivacissimos, nunquam conniventes, qui extantia, qui futura, qui præterita, qui possibilia omnia cernunt, nec possunt non cernere, a meis averteres peccatis, et ea tamquam nunquam fuissent, futurave essent, inter possibilia solum contuereris. Nam in eo cumulo parum ad rem attinerent. ¿Sed quid ego? Absit, mi Domine, ut optem aliquam rem de tua magnitudine detrahi. Augeri potius vellem, si posset. Nec te, aut mea peccata quum fiebant non vidisse, aut nunc facta non cernere optarem; ne aut non omnium esset tibi curæ, aut pœna carerem, qui culpa prorsus non careo: sed quòd inter ceteras meas molestias ea est una præcipua quòd tua mandata transgressus læserim majestatem tuam; et quòd sis a me offensus, a quo minimè decuit. Hoc est quod me angit: hoc est quod me ad laqueum impelleret, si non tanta me docuisses de clementia, de benignitate, de misericordia tua. Hæc est causa, cur paulo ante optabam ea, quæ forsitan ne loqui quidem fas est: ignosces inscitiæ nostræ. Nam quum te vix ultra, quàm de nomine noscamus, tuas res admirabiles accommodamus ad nostras; jactamus temere quàm plurima, et in cimmeriis tenebris etiam Andabatæ disserimus.

Heu dementiam eorum qui homuli ex argilla et luto ficti, de te tuisque rebus, admirande Deus, tamquam secretarii tui, nihil se nescire putant, nihil non audent temerarii affirmare. Quas præstat adorare silentio, quàm stulta loquacitate contaminare. Invitus facio, ut tam multis verbis apud te utar, qui me tacente, quicquid dicere velim intelligis: sed dandum est etiam aliquid coronæ, quod et tu jubes, quæ me non capiet, nisi aliquanta oratione, quæ sentio, fuero elocutus. Dicam igitur quàm potero rectissimis maximeque propriis verbis, quæ fuerit satius optare, quæ te precari, quæ contendere suppliciis omnibus a te impetrare. Non potes non videre scelera mea. At in me qui feci, ne animadvertas. Non potes non contueri, at ea tamquam non scelera contuere. Sint sane scelera nata, sed tamquam in aliam jam translata naturam, tamquam ea quæ quum fiebant, mali colore erant intincta, nunc colorem illum in alium commutarunt. ¿Vultis hæc specta-

tatores manifestius explicem? ¿Vultis clarius vos cœlites audire? Nam tu mi Deus, etiam antequàm fari inciperem, me capiebas; ignosce tu mihi Domine, et ea peccata, quæ te prius offendebant, propter quod tam tetrum odorem spirabant, tam tristi erant colore, tam tartareum sapiebant gustum, non te postmodum offendent, amittentque saporem, colorem, odorem illos quos habebant antea tam execrabiles et pestilentes.

Aspicies tum quidem illa inter præterita, sed quemadmodum flagitia multorum, quibus jam nihil offenderis: quæ effecisti, ne plus virium in auctores suos haberent, quàm si facta nunquam fuissent. Itaque non peto ut infecta facias, ut non aspicias, sed ne tu illis offendaris, et proinde ne noceant mihi. Hoc modo iniquitates omnes meas delebis. Non equidem ne fuerint, sed ne hoc impurissimo iniquitatum indumento vestiantur. Et ne cui vestrum nimis dialectice loqui videar, accommodabo meam orationem magis ad populares aures forensemque loquendi consuetudinem. Fuerunt quidem, fuerunt ¡heu me! illa flagitia mea; abierunt, non extant. ¿Petere modo ab hoc summo judice, ne unquam fuerint, nescio an liceat? At spirant etiam num tartareum quendam odorem, quem ex se tamquam vestigium reliquerunt. Ille extat, ille hunc Deum, hunc judicem benignissimum offendit. Hoc certe petere licet, ut tu omnipotens odorem illum teterrimum destruas, illum nihil esse facias: illum, si libet, fuisse facias, modo etiam facias non esse. Sine quo nulla est vis peccati mei, nullæ sunt inter te et me inimicitiæ.

Me miserum, quòd illa una est detestabilis causa exitii mei, quòd illa una, quæ me fortunis omnibus, bonis, vita, me denique ipso spoliat; quæ omnia eo die amisi, quo tibi Deus, inimicus factus sum: recepturus, quum primum me tibi reconciliaveris, creato in me corde quodam alio carneo pro hoc saxeo ferreoque, quod a te potuit desciscere, alio blando, miti, benigno, obsequenti, pro hoc duro, ferino, reluctante, rebelli. Atque utinam illud faceres ex alia massa, quàm ista est nostra, omnium peccato macerata; essetque illa, et quæ posset satis dolere tantum delictum, et quæ nihil parenti suo Deo præferret unquam. Nam vis verum mi Deus, libere fatear, spero me pro tua erga nos

pa-

patria benignitate, tibi reconciliatum iri, enitar. Certum mihi est nihil adversus tuas leges unquam committere; sed vereor, ne parum obsistere valeam hujus mei cordis pravissimo ingenio, parum ejus facinorosos conatus retardare, flagitiosam naturam comprimere hujus cordis, quod dedisti mihi ex genere illius terrestris Adæ, cujus sensus, mens, oculus, ardor animi, desiderata, optata, totum ingenium ab ortu origineque sua, pessima quæque spectant, et ad ea toto suo feruntur nisu.

O si ex carne illa tui secundi hominis, mi fili, mi Deus, mi Domine, decisa particula quadam mihi corculum quoddam confingeres, non me suo nutu, ut nunc meum hoc terrestre, ad infima dejiceret, sed cœleste ad originem suam, ceu alæ quædam efferret. Nihil nisi altum saperem, nihil nisi cœleste, nisi plane tuum meditarer. Non vererer, ne impedimento mihi esset custodiæ jussorum tuorum. Haberem socium, haberem adjutorem, atque adeo hortatorem, ac ducem sanctissimæ vitæ. O Paraclete, quem spirant Pater et Filius, unus Deus, uterque Deum eundem, quique illos nobis suppeditas Spiritus, quo nil sapimus non rectissimum, qui dictas nobis prophetis, quæ admiranda mortalibus ventura præcinimus. Cujus afflatus umbra gentes de verissimo te Deo concipiunt mente quæ non intelligentes attonitæ demirantur. Tu me novo quodam recto spiritu obsecro affla, tu me nova quadam mente indue stabili, fixa, in virtute sanctitateque confirmata ac roborata, quæ nil unquam præter rectum, præter bonum cogitet, nunquam casura.

O mi fili, o mi Domine, nihil non desidero, non exopto; quoniam nulla re non careo, quæ equidem vere bona sit, et egeo multis. Quàm vellem, ut Adæ restitueres hoc suum corpus, ex cujus semine ortum est, et tu mihi ex illo tuo, quod ex mea gente pollicitus es nasciturum, fingeres novum quoddam; istudque miraculum ageres prægrande, ut ex illo corpore mihi corpus circumdares, cujus avos sum ego generaturus, et esset mihi genus a posteris meis. In quo esset cor rectum, in quo sana illa et integra viscera, in quo spiritus mundi, simplices, sinceri, recti, stabiles, in quo divina omnia. Quod si minus tibi dignus videor, in quem tantum beneficium conferas, at saltem etiam atque etiam

obsecro, Domine, ut ne auferas a me quod semel tribuisti; ne me nunc Regem despicias et repudies, qui me jacentem, sordidum opilionulum ad solium et regiam usque purpuram sublevasti. Ne me a facie tua rejicias in fastigio rerum humanarum constitutum, qui me tam benigne oves agentem contuitus et complexatus es. Ne dicas me tibi modo non placere, quem unum in tota gente nostra dixisti te invenisse ex animi tui sententia. Eheu quàm multo satius fuerat gregem paternum me inglorium licet, tibi tamen gratiosum, perduxisse, quàm ad Israeliticum regnum evectum tam turpiter ex illo culmine invisum tibi deturbari.

Si tu me rejicis, dic quæso Domine, ¿quo ibo, quo confugiam ubi mihi vel minima salutis spes appareat? ¿Jubes ne ut ad domum Saúlis me conferam, quæ nunquam finem facit imprecandi mihi quicquid est malorum, quem violentum, prædonem, atque occupatorem nefarium sui regni, suæque possessionis nominat? ¿Ad populum ne meum, qui me jam proverbio raptorem ovis, occisoremque pastoris appellat? ¿Qui unus sum illi in ganeis, tonstrinis, tabernis omnibus atque conventiculis fabularum argumentum? ¿Qui tantum abest ut mihi benefaceret, ut te mihi benefacere iniquum et existimet, et clamet? ¿At confugiam ad Regem aliquem vicinum? ¿quis tandem est, quem te imperante bello gravissimo non lacessierim? Hanc ipsam occasionem jam olim inimici omnes expectant mei, ut abs te excludar et abjiciar. Quàm simul ac primum resciverint, frementes furentesque in me irruent, existimantes fore nullum, qui me tutari, qui me ex manibus eripere suis possit. Ne obsecro, Domine, tam mecum agas crudeliter, ut a facie tua in qua una est mihi refugium et salus, me supplicem atque abjectum rejicias. Ne primus ego experiar quanta infelicitas sit aditum ad faciem tuam præcludi venienti. ¿Quem enim aversatus, quem aspernatus unquam es qui ad te toto animo, tamquam ad unam summamque spem salutis, ex multis casibus et calamitatibus sese conferret?

Recordare te oro, Domine, illius felicissimi temporis, quum me unum tibi placere profitebaris: quum citra scholas et humanos præceptores docebas me tam admiranda tuæ divinitatis arcana: quum mecum tam amice colloquebaris: quum mihi tanta

pollicebaris, quanta vel optare vix sani hominis esset: quum carminibus illis quæ mihi dictabas, quum mea cithara tam te ajebas oblectari: quum nihil non placebat, non quàm maxime voluptati erat tibi, quod meum esset, cujusmodi amicorum omnia amicis esse solent: quum unus ego eram deliciæ tuæ: quum mihi tam putassem nocituram unquam infelicitatis procellam, quàm existimassem tantam fore vim, quæ me ab arctissima illa divellere valüisset amicitia. ¿Quoties illa intra me tacitus cogitavi? in perpetuum ab hac tanta felicitate non dimovebor. Felicior sum quàm vel intelligere, vel credere possint, qui me vident. En regnum tam sublime, tam prosperum: en imperium tam amplum, tam forte. Hostes pauci atque imbecilles. Intus forisque festa pax. En ego Propheta unus omnium sapientissimus, quique plura viderit Deo monstrante. En ego apud Deum longe gratiosissimus, amicum, integrum, candidum, stabilem, firmum, qui nunquam mutatur. ¿Quid ad hanc tantam felicitatem vel cogitatione addi potest?

¡O spes fallaces, o inanes cogitationes, et contentiones peccantium! ¡O gaudia sceleratis instabilia! Nunc ego bonis illis omnibus spoliatus, non de fortunarum jactura, non de maxima diminutione illius cumuli felicitatis, sed de vita, de anima sollicitus, extrema perhorresco malorum. Ne qui tibi esse solebam familiarissimus, a facie tua rejiciar; indignumque ducas qui tecum redeam in gratiam, neve Spiritum illum sanctum tuum, illam viarum mearum magistram tui luminis lucernam auferas a me, traditumque in reprobum sensum relinquas occæcatum in perpetuis tenebris. Ne Domine, ne tantum adversum me odium exerce, ut extincto illo, quod mihi dedisti lumen, nequeam in viis tuis ambulare; ne aufer a me obsecro ducem illum meorum omnium operum bonorum Spiritum tuum. Heu si feceris, ¿ad quid tandem me de matris utero eduxisti? ¿Ad quid me suscepit egredientem aura vitalis? ¿quin ego potius natali die uterum cum sepulcro commutavi? ¿Nonne fuerat melius aut non nasci, aut aboleri quàm citissime, quàm orbatum lumine, sine duce, inter tot miserias vitæ, inter exitiales voragines solum destitui? ¿Quanta premit cor meum cura? ¿quanta anxietas? ¿quàm omnes spiritus aciem-

aciemque meorum oculorum obscurat gravis ex mœrore atra bilis, et tam tristis harum rerum cogitatio misere urit, coquitque animum, spiritum, cor meum, ut ne momento quidem liceat mihi respirare compresso angustissimo mœrore, et consternato pavore confusissimo, abjecerimque animum in tam vehementissima tristitia, dormitaritque anima mea præ tædio immemor omnino sui?

¿Ubi nunc illa est alacritas, mea illa lætitia, in qua toties exultavi de Christo tuo, meo generi promisso? ¿Ubi de ipso plenæ sapientia, plenæ gaudio cantiones? Redde mihi obsecro Domine, alacritatem et lætitiam illam ipsius, in quo uno Judæorum et gentium omnium salus futura est. Redeant cantus, redeant visiones, præcinamus ut soliti sumus, hominibus ventura; spirituque illo tuo generoso, forti, potenti, cui nihil resistere potest, confirma me; ita ut ad optimam illam priorem frugem redeam, nec putrescam unquam, sed spiritu tuo tamquam cedro et balsamo oblitus, integritate suavissima perdurem: te non offendam odore tetro, simque sociis meis mortalibus gratissimus, pariter et utilissimus. Qui cum fraganti odore ducti accesserint, dulcissima ego voce modulabor illis mirabilia sapientiæ et bonitatis tuæ, quæ mihi monstraveris. ¿Quantus tu es, quàm immensus, omnipotens, generique nostro salutaris? ¿quanta mecum te gesseris clementia? quonam modo major nulla sit stultitia, quàm veniam sceleris sui quenquam deplorare, quàm ingens miserandumque malum a te discedere, quàm inæstimabile bonum tibi amicum esse: nemini non patere aditum ad tuam amicitiam: nullos apud te magnos esse præter bonos, nullos parvos præter malos, in quorum etiam manu est, ad te redire, quum voluerint; redire autem quàmprimum, longe præstare, atque adeo expedire: neminem tam crudelem esse, tam inhumanum, tam alterius hostem, qui si sciret quantum malum sit inimicum esse tibi, non maxime misereretur illius, qui in ejusmodi tristissima conditione esset, qui non eum hortaretur, juvaret, conaretur viis modisque omnibus, ut quàmprimum a tanta miseria sese extricaret; siquidem tam cito id licet, quàm libet, quàm saltem vera pœnitentia ducti implicitos se fuisse dolent, explicari suppliciter petunt.

His atque aliis ejusmodi docebo iniquos vias tuas. Nec vero incassum scio me docturum, non surdis canam, expertus sum quantus sit rex in populo aut erroris magister, aut bene vivendi. Nam qualiscunque is est, talis et tota continuo civitas efficitur. Is enim unus exemplo suo bonos fere omnes reddit, quum bonus est: aut malos, quod facilius frequentiusque est, quum est malus. Scio quàm graviter delinquant principes mali, vel hoc præcipue nomine, quod ipsis magistris discunt tam multi male facere. Nec solum principes vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; neque obsunt modo quod illi ipsi corrumpuntur, sed quod etiam corrumpunt, plusquam exemplo quàm peccato nocent. Ita si ego docuero, habebit plus energiæ minimum meum verbum, quàm totæ prophetarum et sapientum orationes, longissimique clamores. Quid quòd etiam si tacuero, sola mei imitatione plurimos reddidere bonos, si bene vixero. Locasti enim principes in eminentissimis conspicuisque locis, ad cujus mores, suos quoque multitudo ipsa componit. Nec sic edicta omnia hominum sensus inflectere possunt, ut regentis vita. Mutatur enim semper, ut chorea cum musicorum cantibus, ita cum suo principe mobile vulgus: qui princeps aut tanto totius orbis bono sapit, aut tanto malo insanit. Hæc erit igitur utilitas mei reconciliati, uteris me Deus optime, posteaquàm mihi peperceris, certe non minore præcone rerum tuarum, non minore institutore plebis tuæ, quàm quovis alio Propheta.

Redibo ad pristinam illam tibi gratissimam vitam; et quum verbis meis, tum exemplo mei, provocati atque invitati impii, tum vel maxime facilitate, benignitate, misericordia tua ad te convertentur. Tuæ igitur partes erunt, mi Domine, mihi parcere, veniam tribuere meis tam nefandis delictis, abluere me totum aspersum humano cruore, quem fudi. Meæ vero postmodum et verbis, et regia vita docere, quonam modo in viis tuis ambulandum sit, quomodo ex aviis ad illas redeundum, ne male pereant errantes. Tum accepta cithara, et modulatis meis carminibus cantans, sublime feram ad sidera justitiam hanc tuam hujus fori adeo temperatam, adeo conjunctam, et individuam, sociamque clementiæ, ut et tum clementissime judices, quum severissime, et

a justitia non discedas, quum uteris clementia. Ita ut quum nusquam nec major nec verior sit justitia, quàm in hoc foro, nunquam tamen hic judicatum sit sine summa clementia et misericordia, nunquam pronuntiatum summo jure quicquam, nunquam parcitum alicui, nisi longe justissime, nunquam damnatus discesserit quispiam cum quo clementissime non sit actum. Hanc igitur tam clementem justitiam, hanc tam justam clementiam misericordiamque cantabit lingua mea; et quantum poterit voce contendet, ut quicquid usquam est, atque ausim polliceri, quicquid usquam erit populi tui exaudiat.

Ceterum nisi et me ab hac tam atroci fœdaque cæde fortissimi atque innocentissimi viri, ab his sanguinibus quibus sum pollutus et inquinatus tuo piissimo sanguine laveris, nisi os mutum aperueris, non ausim aliquid de tuis laudibus prædicare. Quippe scio solos rectos decere collaudationem, et dulcissimum plenumque oblectationis esse tibi carmen tuarum rerum ex ore justorum: scio munda non debere attrectari, nisi a mundis. Album pannum contingere non audent, nisi qui prius manus laverint, ne quid sordium hæreat nitori, ¿et tuas purissimas, tuas candidissimas laudes illotus et sordidus contrectabo, et contaminabo potius? Absit. Nam et horreo vehementer illam disquisitionem, illud acre judicium tuum, illam increpationem, illam comminitantem castigationem peccatoris. ¿Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.* ¿Quis tam ferreus, quem hæc tua verba non moveant? ¿quis tam temerarius et pertinax, quem non arceant, ne laudes tuas impia mente conquirat? violatis oculis legat, inquinata lingua proferat, contaminatis et impuris manibus attrectet. Ita Domine ut ad priores redeam mores, et redeant cantus illi quàm suavissimi, ignosce flagitiis meis, aperi labia mea carminibus tuarum rerum, jam propter mea scelera desueta, qui illa eadem rudia et insueta prorsus tam mire aperuisti ac docuisti.

En me ad pedes tuæ majestatis provolutum, supplicem tuæ misericordiæ, servum potestatis. En sacrificium tibi longe gratissi-

simum, cor peccatoris contritum atque dejectum, ut eum pœniteat qui peccavit; non credo te posse melius placari alio sacrificio, quàm me ipso, qui deliqui. Nam si sanguine taurorum aut vitulorum placareris, si facinora mea cruore pecorum ablui atque expiari possent, permillia ante tuas aras cecidissent, replesset fumus, replesset nidor non urbem solam Hierosolymam, sed Judæam universam continuis multorum dierum victimarum sacrificiis, quoad nullum superfuisset pecus in tota Palestina, in tota Syria. Ceterum novi parum ad rem facere cruorem, et corpora cæsa pecorum, quæ nihil commerita sunt, quum is interim qui commeritus est, spectet ridens atque securus. Quare me ipsum offero hostiam pro peccato meo; ut is lugeat qui peccavit, ne de alieno corio ludat, sed ut peccare metuat qui sciat de suo corio se pœnas daturum. Atque illud demum sacrificium est, quod scio te non despicere, ut cor præfractum et æneum, quod potuit discedere a te, redeat ad te contritum, mollitum, carneum, mœrens quod a te parente suo defecerit, ad diabolum capitalem hostem generis nostri.

Habes clementissime judex confitentem reum, pœnitentem, humilem, demissum, sordidatum, opertum sacco, oppletum cinere, jejunantem, affligentem sese, stratum, abjectum, supplicem, ad pedes tuos provolutum, ad tua genua porrigentem, optime Pater, has olim tuæ voluntatis, nuper flagitiorum ministras manus, petentem scelerum suorum veniam, quod est tibi longe gratissimum sacrificium. Per istud oro, Domine, ignoscas mihi: per filii tui sanguinem te obsecro, ut me illo ipso aspergas, illo laves: ne me a facie tua absterreas et excludas. Respice, precor, et tu fili canos avi tui. Respice meam senectutem, cujus tibi juventa tam grata fuit, cujus vox tibi jucundissima, hominibus tam multa de te prædixit: cujus mansuetudine nihil tibi erat inter mortales acceptabilius: cujus cithara cantuque nihil suavius: cujus omnes deliciæ, omnia solatia casuum, curarum levamenta in tui cogitatione semper fuerunt. ¿Quando venturus? ¿quomodo victurus? ¿quàm multa mirabilia acturus? ¿quàm immania passurus innocens tormenta? ¿quomodo redempturus nos omnes esses? Miserere obsecro avitæ senectutis, miserere simplicitatis meæ. Valeat apud te præte-

teritæ amicitiæ aliqua recordatio. Quæ amicitia si dulcis aliquando visa est, ut ajebas, ignosce mihi, et redeamus ad eam. Redde mihi integros, sanctos, simplices, sapientissimos illos tuos spiritus; restitue mihi tui lætitiam.

Nihil novum nunc a te peto, non fortissimos exercitus, non victorias gloriæ plenas, non regna, non immensas opes. Hæc mihi, hæc tum dabas quum eram ego deliciæ tuæ, nunc unicam salutem meam peto. Erravi, benignissime Deus; temere feci, clementissime Pater, pœnitet: ad misericordiam tuam, delicti veniam peto, ut ignoscas oro. Si pauci impetrarunt, arroganter peto; si omnes quotquot petierunt, tu idem fer opem, qui spem dedisti. Quod unum si dederis, quo nil facilius, nil libentius facere soles, abunde omnia mihi a te tributa existimabo. Age igitur clementissime Deus, age benigne cum Sion, nec cassa sit promissio illa tua de templi ædificatione, deque incremento et murorum et urbis hujus Hierosolymæ typi atque imaginis tuæ illius majoris et melioris Hierusalem: cujus templum licet ex lapidibus et cæmentis hujus, extra hanc tamen parvam veterem synagogam ædificabitur, in area hominis Jebuzei, id est populi gentilis, quum incipiet regnum filii mei regis pacis in placidissima pace illa insolita, quam mirabitur orbis, in tranquillitate illa incredibili, quæ tot sævas tempestates sequetur, initio temporis felicissimi, quum incipient secula nova, et mundi melioris origo.

Construentur muri hujus Hierosolymæ super calcem et arenam ex mortuis lapidibus: at illius tuæ supra tuam, seu potius supra te petram, ex vivis lapidibus et saxo quadrato. Tum vere in illius templo acceptabis illud justitiæ sacrificium nunquam non tibi multo gratissimum corporis hujus filii tui precii, quo venditus servusque mundus redimendus est, asserendusque est in libertatem. Illic erunt tibi summæ jucunditati oblationes, non ex nidore pecorum, sed ex mentibus sincerissimis atque sanctissimis, in quibus unis est tota religio, tota pietas. Oblectaberis holocaustis illis, animis prorsus ardentibus igne illo caritatis, ad quem orbi immittendum carissimus filius tuus, et si hoc tibi placet, meus ad nos descendet: qui tam accendet vivas illas hostias, animos nostros, ut nihil crudum, nihil non maxime tostum et redactum

in

in cineres relinquat. Quis referat quàm ille tibi placeat nidor, quanto sit tui verior ille cultus, quàm pecorum mortes, quàm perpetua cruoris bestiarum aspersio, quàm (ut uno dicam verbo) animalium laniena. In illo tuo sanctiore templo vituli offerentur multi, sed longe præstantiores quàm isti nostri: ille in primis rufus, cujus sangnine semper litabitur, fientque verissimæ peccatorum omnium expiationes, summus sacerdos sua sponte oblatus neci, ut nos omnes a nece subripiat, fugetque mortem morte sua.

Cujus vituli, cujus agni, et (ut sine translatione loquar) cujus ϑεανθρώπȣ filii tui morte nullum tibi oblatum est, nullum offeretur unquam gratius sacrificium, nullum majoris virtutis. Imitabuntur et hujus præceptoris exitum alia multa vitulorum millia, qui vituli ad aras non tracti, non ducti, sed ultro venient, non claudicantes, aut lento gradu, sed currentes atque alacres, existimantes agi secum præclare, quod ex se fiat tibi, summe Deus, sacrificium. ¡O templum, o pacis secula felicissima, o nova Hierusalem demissa de cœlo, excitata atque constructa ab optimo illo architecto sponso tuo, ornata divitiis et opibus inauditis, incredibilibus! ¡O pompæ, o triumphi tam victricis civitatis, quæ tot exercitus, tot imperatores ex te ad dulce bellum dimittis, quot milites! Bellum inquam, contra naturam reliquorum, expertis dulcius quàm inexpertis, in quo certa victoria, si quidem minimo negotio pugnatur, et vincitur. ¿O qui me ad illa usque tempora reservaret? Viderem ego semel gloriam, victorias, pacem, atque otium illius civitatis: viderem magistratus, consilia, statum reipublicæ populi gentium Domini. Viderem sacrificia et cæremonias illius templi, et postmodum æquo animo, atque adeo libenti, plenus gaudii, securitatis, gratias agens ad mortem irem. Quid loquar ego de tertia Hierosolyma illa quæ semper fuit eritque in cœlis seculis infinitis; ad quam itur per hanc, de qua modo dicebam.

¡O voces, o sermones, o linguæ omnes et hominum et Angelorum! ¿Quibus ego verbis, qua oratione uti possem vel de illius vestibulo dicturus? Nam quæ intus sunt bona, nec vidit oculus humanus, nec auris unquam audivit, nec in cogitationes ullas venerunt: parata omnia jam inde ab æterno felicissimis illis,

qui

qui te Deus, amantes metuent, et metuentes amabunt. Hic tu me principem in terra, hic me tu Regem, hic supremum esse voluisti. O si me in civitatem illam ascriberes, non Regem, non magistratum, non ex primoribus, non ex nobilitate, sed plebejum civem, sed capite censum, proletarium, inglorium, in turba prostremum et infimum, agentem in angulo quopiam quamlibet ignobili, æterna cum quiete, gaudio, et absoluta felicitate vitam immortalem.

PRÆFATIO

AD GULIELMUM CROJUM CARDINALEM,

EPISCOPUM CAMERACENSEM.

CAmeraci quum essem, mi suavissime Patrone, eo jejunio, quod vocamus quadragesimale, et noctu conclusus domi, præter Gallicum quemdam librum, nihil (quod animum levaret) haberem: decrevi, quatenus nihil mihi erat alieni fœtus quo oblectarer, ego mihi ipsi aliquid parere. Septem pœnitentiæ psalmos recitabam frequenter, et delectabar in primis ipso quinto: eum aggressus sum ludi cujusdam vice interpretari: eo animo, ut si processisset, forsitan modo per occupationes liceret, persequerer: sin minus, in otio saltem honesto et sancto, horas illas collocassem. Placuit prima pagella; et ductus magnorum virorum exemplo unum sejunctum ab aliis omnibus psalmum interpretatus sum, in quo nec omnia dixi quæ potuissem. Nam si ducente orationis filo scripsissem, volumen in immensum excrevisset. Res enim est ipsa Christiana religio, sunt sacræ litteræ tam undique sibi consonæ, tam concolores, tam ex omni sui parte aptæ atque connexæ, ut si de aliquo ipsarum loco sermonem incipias, tamquam si caput perpetui traxeris fili, totæ ultro sequantur. Satis mihi fuit velut capita quædam præcidere, et periclitari stilum in eo scribendi genere, cui nos aliquando totos sumus tradituri.

Tum si faverit voluntas divina, sine qua ne unum quidem verbum loqui de his possemus, tendemus vela, et credemus nos latiori pelago. Neque vero sum aliquem eorum qui de hac ipsa re scripserunt æmulatus, quippe qui nullum viderim, et forsitan

longe ab illis diversum sectatus sum iter. Nemo mihi hanc ob rem succenseat, qui sciat tam latos, tam spatiosos esse campos sacrarum litterarum, et perinde tam multivios, tam fertiles etiam agros, tam uberes fundos, ut ubique varii flores nascantur, varii accipiantur fructus; hinc interpretes tot, et sensa tot, neque tamen reprehendenda. Spiritus enim est intelligentiæ sanctus, unicus et multiplex. Qui vero me interpretem aut sterilem, aut aliqua mei parte parum copiosum contempserit, meminerit se in otio stipatum libris hæc dicere, et se unum multorum scriptis atque inventis fertilem esse; me vero et negotiosum, et sine libris, parum etiam adhuc versatum in commentariis sacrarum litterarum, sub secundariis et pauculis quibusdam horis hæc lucubrasse. Quòd si neque hæc valere potest apud eum excusatio, damnet sane diligentiam atque opus, modo pium probet institutum. Debetur hic Tibi, qualiscunque tandem est fœtus, mi Patrone, tum quòd ego ipse, qui illum peperi, Tuus plane sum; tum quòd in solo Tuo natum: Cæsareo jure Tu Tibi vendicare potes. Reddo ego Tibi, ut quod boni viri est, debitum bona fide solvam.

MEDITATIO QUINTA

IN HUNC PSALMUM CI.

DOmine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia

Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens miseraberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine: et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: et populus qui creabitur, laudabit Dominum:

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit:

Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum:

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Hierusalem.

In conveniendo populos in unum, et Reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem ipse idem es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in seculum dirigetur.

FActuro vel ad concionem vel judicem aliquem verba, profanus jubet orator, ut auditorem exordio et conciliet sibi, et reddat futuræ attentum orationi. Frustra enim alioqui conetur, frustra multa dicat et clamet, aut inauditus, aut non intellectus, aut certe non persuasurus. Ingerit se tum ille modulata oratione,

et pollicitus de rebus summis, de novis, de admirabilibus, de commodis seu reipublicæ seu rei familiaris uniuscujusque se disserturum, detinet rudem plebeculam, detinet sollicitum judicem de ore pendentem suo: deinde comminiscitur, aut commemorat vera multa vel suorum vel sua in populum aut judicem beneficia. Docet in iis unis spem se repositam habere rerum suarum. Queritur miserum, imbecillem, circumventum a potentioribus, bonum atque fortem objectum invidiæ improborum, et alia in eum modum pæne innumera: quibus continuo flectit animos audientium, et parat sequenti orationi, quales optat. Dicturo nostro sancto Prophetæ ad designatum judicem vivorum et mortuorum, parum esset tota oratio profutura, nisi et aures præberet judex, et benignior quæ ille petit persuasus concederet. Hic tamen longe aliud est artificium, quàm in profana dictione servandum.

Non hic judex res summas aut novas admiratur, cui antiquissimo nihil novum, cui maximo nihil magnum, cui rerum omnium architecto nihil admirabile. Non hunc judicem flectunt lenocinia illa, quæ homines. Preces hic solæ prosunt, precibus audit, precibus flectitur, precibus eum aggreditur Psalmistes: Domine exaudi orationem meam, et clamor precum mearum ad te veniat: neque solum ut orationem audias meam obsecro, verum etiam ut exorere, ut efficias quæ peto per ipsam. Esto mihi benignus, esto conciliatus, dilige me, neque a me tamquam ab exoso divertas alio faciem tuam. Non curat, non aspicit, quæ quis contemnit aut odit, præsertim quum minor est qui habetur odio. Mirum enim quàm is tum vilescat: defixo tamen oculo atque aspectu intuetur quæ diligit. Illuc enim feruntur oculi quo amor: aspexit ita Deus ad Abelem, utpote ad gratiosum, et ad munera ejus. Non aspexit ad Caim, quippe quem minus diligebat, nec ad munera ipsius. Hæc deducta similitudo ab affectibus nostris, qui motu faciei, qui vultu, qui oculis maxime, aspectuque ipso, quæ animo intrinsecus gerimus, exprimimus, indicamusque ac declaramus. Munera sibi non grata offerentem minus carum et vilem non aspicit Deus: ab iis avertit faciem suam, uti et a precibus eorum aures.

Idcirco ne incassum clamet Psalmista principio suæ orationis tam

tam vehementis, ut sit versa in clamorem, petit in quacunque die angatur, afficiatur adversis, inclinari ad se aurem Dei. In die calamitatis est refugium ad unum Deum, qui eam affert, et auferre solus potest: in eo die quo plus ad Dominum clamaturus est, precatur aures ut sibi porrigat secundas. Et ne ostenderet solum se eo die Domino indigere, neque eo solum ad Dominum preces dirigere, etiam in quocunque alio invocaverit, Dominum orat ut sine mora exaudiatur. Nam in die malorum precamur, ut illinc auferamur, ducamur ad bona: in die vero bonorum deprecamur, ne illinc auferamur, neque retrahamur ad mala. Hactenus exordium est consequentis orationis, qua ostenditur humanæ brevitas vitæ, et divinæ æternitatis stupenda duratio, transitusque est ad proximam continuatamque dictionem, ex eo quod dixit, *Velociter exaudi me*: nam ni quàm celerrime accurreris, parum proderit paulo post ferre suppetias. Dies enim nostri velut fumus defecerunt. Dies humani fumi speciem præ se ferunt, qui ab igne egrediens tenui aura dissolvitur, existit paulum, et sensim disgregatur, ut si adverteris oculos, videas paulatim evanescere: si averteris, et mox requiras, mireris, ¿quo tam celeriter aufugerit?

Dies hominum igneo stomachi calore foventur, fumus sunt qui prodeunt ab eo, cujus breve alioqui tempus mirum quàm fugax extrema sua præcipitet: *Et fugiant freno nullo morante dies*, ut ait quidam poeta. Omnis enim nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat fato, et in hac turpissima perpetuitatis cogitatione districti, per exigua festinantis ævi momenta præmorimur. Dies itaque nostros si abeuntes consideres, mireris tam alatis volare pedibus. Si prætergressos requiras, doleas tam alatissimis avolasse. Nam præterquàm quod est omnibus breve tempus vitæ, est etiam irreparabile. Percutiuntur dies nostri tamquam fœnum a messore, et quod pauculis creverat mensibus, id totum brevissima deciditur horula. Quàm plane omnis caro fœnum est, et omnis gloria ejus quasi flos campi. Hominem sanctus ille Patiens flori comparavit. Non enim cujusquam rei inveniri potest brevior ætas. Nanque dum immaturum exterior alligat cortex, nondum dixeris florem, paulatim deinde vividiore succo tumescit uterus, et albentes

ac-

accipit rimas, necdum tamen flos est: at quum se ruptis jam tunicis in patulum capita fuderunt, et velut fixa in orbem, jamque eorum videtur maturitas, et ignotus occasus est. Etiam sine ventis quoque soluta natura, labitur gratia floris, qui aurora pulcherrimus nascens, accedente sole exiccatur, occiditque absorpto humore. Sic et cor nostrum arescit, sic et ossa medullis exiccatis tamquam phrygium et titio quidam fiunt.

Sed attentius de peccatore consideremus hæc dici, qui toto vitæ tempore nihil aliud neque cogitans, neque agens præter vanitatem, transigit dies suos sine liquore ullo divinæ caritatis. Atqui sanctus Jobus ait: *Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.* Justus enim non tam vivit vita, quàm misericordia, quàm fide; non tam alitur pane, quàm visitatione, quàm omni verbo progresso ab ore Dei. Hic verus est panis, qui plus satiat, quàm ille saturat. Conscelerato itaque homini aruerunt ossa, et cremii, lignive exiccatissimi similia reddita sunt: quia nullus inerat neve bonorum operum, neve misericordiæ liquor. Aruit cor et induruit, quia non erat in eo dulcis roridaque Domini visitatio. Et ipse peccator oblitus erat verum panem comedere, idcirco non vivebat, sed videbatur hebetibus oculis vivere, sepulcri similis, culta extrinsecus, nitidaque cute, aridus putridusque intrinsecus. Quin etiam terrena ista sitienti atque suspiranti curis cordis ædacibus atque furiis agitato, marcidæ carni adhæsit os siccum.

Arefacto enim pingujusculo humore macræ viscosiorique carni adhæret os, quod equidem contingit, quum anhelans flagitiosus, exardensque desiderio mundanæ, aut oculorum, aut carnis concupiscentiæ atque libidinis, aut superbiæ vitæ, non quiete sumit cibum, non dulces accipit somnos, non sinit escam intus concoqui, macrescit, lividoque colore est, fœtusque veneno æstuat, atque aliena oculis bona limat acutis, turbatus atque anhelus vestigat opes, vestigat delicias, vestigat honores et inanem quamdam populi auram. Horum est cor quasi mare fervens, quod quiescere non potest: horum est illa vox: lassati sumus in via iniquitatis: hic gemit, suspiratque, vana edoctus a populo, magno erroris magistro, qui isthæc tamquam præclara atque admirabilia sus-

suspicit: hinc etiam impio osseus vigor, ossea virtus carnis deliciis prorsus affixa sunt. At vero jam conversus per pœnitentiam, amarumque dolorem noster peccator, quonam modo inter improbos se gerat, quidque agat ostendit, attingitque triplicem diei partem, et operto ac miro artificio indicat quid interdiu in luce, quid in sero ad ipsum crepusculum, quid noctu in tenebris agat. De die itaque hominum fugiens consortia per latos campos solus, perque avia rura recogitans Domino annos suos in lacrimis, planctu, amarore animæ suæ, fit similis pelicano avi solivagæ, luctuosæ, querulæ, gemebundæ.

Ad vesperum autem regressus domum, illic visitur tamquam nicticorax, hora inter lucem et tenebras dubia: tunc ingressus conspicitur, tunc nonnulla canit hominibus, tristi licet atque lamentanti voce: tunc ea, quibus infirma humanitas indiget, disponit atque constituit: sed mox in penitissimum cubiculum secedens a commercio et consortio gentium, abducens secum uxorem, parvosque liberos quos instituat, vigilat, et fit quasi passer a vicinis sociisque noctu segregatus in nido sola cum conjuge parvisque pullis. Hæc erat causa cur bonus ipse nullum fere verum haberet amicum, quòd longe paucissimi sint boni, inter quos solos vera est amicitia. Maximum enim est in ea vinculum, morum similitudo bonorum.

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
Sedatum celeres agilem, gnarumque remissi. (1)

Ita hominum pars aperti erant ejus inimici, pars adulatores fictique amici. Illi exprobrabant quæcunque ageret; hi adversus eum conspirabant conjurabantque. Apertis inimicis nullus est conjurandi locus, quippe cavemus illos: simulatis amicis et familiaribus, ipsis denique civibus opportunitas adest conjurandi: non conjurabant Pontici adversus Romanos, non Parthi, aut Indi; conjurabat Piso, conjurabant Lentulus, Cethegus, et Catilina, et denique pestilentissimi inimici hominis domestici ejus.

Neque vero aliam ob causam conjurabant adversus hunc nostrum pœnitentem, nisi quia fiebat bonus, quia viam ipsorum relinquebat, quia cinerem amarum pœnitentiæ, et ipsum panem man-

(1) Horat. epistol. lib. 1. epist. 18. v. 89.

manducabat subcinericium. In cujus fortitudine ambulavit Helias quadraginta dies, et totidem noctes usque ad montem Domini Oreb, itidem et quia potum suum lacrimis aspergebat diluebatque, memor assiduus malæ actæ vitæ, et metuens iram indignationis Domini. Quippe qui elevans peccatores, ac omni honore, copia, gloria sublimans, postmodum videns insolentiores superbioresque effectos, neque homines, ne se quidem Deum curare, indignatus eorum non ferendam arrogantiam atque temeritatem, altos deturbat, alliditque ad petram et conterit.

—Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant. (1)

Hoc est tam anxiæ profanorum philosophorum quæstionis manifestum responsum. En paucis verbis explicuit Psalmista, quod illi tam multis verbis exponere contendebant. Quærebant enim: ¿si Deus est, unde mala? ¿sin vero non est, unde bona? Ecce tibi et unde bona, et unde mala, quum tamen Deus sit. Fusior est hujus rei psalmus septuagesimus secundus, ubi et hanc quæstionem aliquot versibus prosecutus, divina etiam solutione concludit.

Indulserat Deus Psalmistæ pluribus annis, successuque præbuerat peccati rerum omnium ad votum, quo ipsum postea causatius puniret. Lento nanque gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Dies idcirco peccatoris ceu umbra sine corpore, sine solida substantia aliqua, ficta ac adumbrata vita declinaverunt. Stulti enim corporum umbras vera existimant esse corpora et res inanes tamquam solidas quærunt et persequuntur; ut ii qui in illa spelunca desidebant adversis dorsis apud Jamblichum Platonicum: nota est fabula. Horum dies in pompis, in fastu, in vanitate, tamquam umbra declinant, evanescunt; non in iis gloriæ corpus, solida et expressa virtus, non ulla recta cogitatio, sed solutus in omnem stoliditatem animus, quorum vitam pecuniæ simillimam, mortem juxta existimari par est. Hi etiam tamquam sterile fœnum, quàm primum arent, neque adolescunt in sanctam aliquam frugem. Hic jam conversus pœnitens in persecutione constitutus, uti narrare cœpit, orare incipit, non utique pro sui liberatione, sed

pro

(1) Claudian. lib. 1. in Rufinum v. 22.

pro totius ecclesiæ tam vexatæ libertate ac quiete, quemadmodum præcipitur: ***Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem***; et tamquam civis optimus, reipublicæ bonum præfert suo familiari, quanquam ipsius reipublicæ bonum cum suo ipsius, et cum quovis privato conjunctum individuumque est, uti et malo participes omnes sunt, quemadmodum ii qui eadem in navi vehuntur. Et a fæce ista humanæ miseriæ a sui contemptu assurgit ad divinorum meditationem.

Homo sanctificatus atque mundatus, cui quisquiliæ istæ nostræ vilescunt, effertur in rerum altissimarum contemplationem, fitque unum cum ipso Deo, ex humano divinus, ex immortali mortalis, qualis est ipse Deus qui ab æterno in æternum perdurat nullam sentiens temporis mutationem, acta consequentiaque ita intuens ut præsentia. Quamvis nos cum de Deo loquimur, instanti præteritoque abutimur, cum sit nullum horum in Deo, sed adsint omnia aperta et nuda coram illis oculis divinis, tam perspicacibus, tam circumspectis, ut nihil nec eorum quæ fuerunt, nec quæ sunt, nec quæ erunt, ne eorum quidem quæ esse possunt, illorum obtutum subterfugere queat. Oculus est Deus omnia videns: auris omnia audiens. At tam clemens, tam benignus, tam orbi beneficus et salutaris, ut ipsius beneficio durent persistentque omnia. Et ipsæ hominum generationes singulæ, innumeros et amplissimos misericordiæ ejus fructus acceperint: quas miserationes, quos fructus narrat filio pater, et avus nepoti, et hic iis qui a se nascuntur. Hæc memoria miserationum Domini, tum monumentis litterarum sempiternis consignata, tum tradita quasi per manus filiis a parentibus, perdurat a generatione in generationem usque ad consummationem hujus universi. Ob has usque adeo immensam clementiam, quæ in te Deus nunquam sentietur vel consumpta vel comminuta.

Et siquidem perstas æternus aliquando tandem exurgens, non quòd dormias, non quòd jaceas aut sedeas, sed quòd vim brachii tui terrentis aliquando non sentit gens hostilis, opem auxiliumque brachii tui nos sublimantis aliquando non sentit populus tibi deditus, et in te uno fidens; ideo tu exurgens externa judicatione præclare efficies utrumque, quum alterum effeceris:

misereberis enim Sion, id est, ecclesiæ tuæ nascentis oppugnatæ tam varia persecutione. Tempus est nanque juvandæ illius tam afflictæ. Jam enim sentis, jam percipis ab ea inundata alioqui ac pæne oppressa innumeris calamitatibus tantam frugem, ut ipsi etiam lapides, ipsi parietes placeant et sanctis tuis in cœlo et Angelis qui tibi perpetuo ministrant. Lapides sunt viva quædam membra hujus ecclesiæ, cujus Christus est caput, ex quibus tamquam lapidibus conflatur et constituitur. Qui mirum in modum Angelis placent, quibus incredibile dictu est, quàm oblectentur, usque adeo ut terræ, ut solo illi super quod fundata est, utpote martyrio tam multæ sanctissimi sanguinis effusioni misereantur cupiantque et obsecrent, ut jam aliquando tandem pacate et tranquille castissima pudicissimaque mater nostra et virgo transigat ævum superatis tot millibus hostium, devicto et calcato vastissimo Romano imperio supereminეat sponsa tua sancta, integra, inviolata, domina gentium. Quòd si benignitas brachii tui hoc effecerit, ostensa est potentia et virtus illius.

Te unum stupebunt gentes, tuum nomen in quo tamquam in gladio spiritus illa pugnavit, timebunt: quin etiam neque reges terræ suum fastum, sed tuam gloriam admirabuntur, quippe qui ipse operosæ mundanæ molis auctor ædificaveris Sion, fuerisque visus in gloria majestatis tuæ, quam ¿quis videre poterit, et huic mundo vivet? Ignis est comburens, et gladius penetrabilior omni mucrone rhomphææ, machæra, bipennique qualibet acuta. Quòd si permiseris te videri in gloria tua, te unum ipsam tuam ineffabilem gloriam horrebunt principes terræ, non suas sarissas, non sua gæsa, non pila, quæ omnia contra humillimos et infimæ sortis homines prævalere non potuerunt; non quòd fuerint ipsi per se satis adversus illa confirmati atque muniti, verum quia acceptasti, quia grata tibi fuit humilium oratio, nec abjecisti, nec contempsisti preces eorum. ¿En quàm multum est preces nostras a Domino exaudiri? Ecce cur providus Propheta in exordio hujus sermonis exaudiri precabatur orationem suam. Siquidem propter eos, quorum sibi grata est oratio, tam ipse agit stupenda, atque eo magis timebunt nomen gloriamque tuam, quo viderint te per infirmiora mundi vicisse fortia.

Hæc

Hæc tam multa tamque ingentia admirabilia consignabuntur monumentis litterarum sempiternis, mandabuntur æternæ memoriæ in generatione novi populi Christiani, qui procul bellis aversis quietus, amotis propulsisque adversitatibus et erroribus, respirans aliqua libertate, libere ac pleno, quòd ajunt, ore, laudabit Dominum. Hæc una est libertas, hoc unum regnare est. Verum enim vero attentius consideremus hanc dulcissimam libertatem, hanc placidissimam quietem, hoc in gentes inque dæmones imperium assecutam Dei ecclesiam continuis precibus, multis lacrimis, profundis gemitibus atque suspiriis; quæ omnia nisi audisset Dominus frustra clamassemus, frustra gemissemus, nequicquam lacrimas profudissemus, vana fuissent suspiria. Dominus itaque despexit de sancto excelso loco suo, de igne, de caligine, de luce illa quam habitat, inaccessibilem admovit aurem, ut gemitus vinctorum ecclesiæ audiret. Seu hi sunt in carcere martyres, seu in claustro monasterii vincti compedibus disciplinæ, vinculis catenisque intellectus et sapientiæ, quæ sapiens concionator protectionem fortitudinis, bases virtutis, stolam gloriæ, et salutis alligaturam esse affirmat. Aspexit itidem Dominus de cœlo in terram, ut libertate donaret filios martyrum. Hi nanque interempti pro Christo sui verbi persuasione, sui sanguinis virtute, suæ virtutis exemplo atque incitamento plurimos filios progenuerunt.

Pro patribus tuis (dicitur ecclesiæ) *nati sunt tibi filii.* Quum igitur bella ab sponsa sua Christo placuit auferre, advertit oculos, admovit brachipotens, ut quos interempti martyres generant filios, proximos etiam sorti parentum, solveret restitueretque libertati, ut hi liberius, securius, tutius in ecclesia clament, annuntientque admirabilia Domini Christi Jesu, et virtutem magni ejus nominis tetragrammaton. In civitate vero sancta, in conventu regum congregatis principibus terræ, libera ecclesia, uti nunc, convenientibus in unam sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, ut obediant et serviant Domino, doceant eos illi martyrum filii laudem magni domini Dei nostri. Hoc fecit Deus, ut et filii martyrum sint etiam testes, sint nuntii, annuntient in ecclesia nomen Domini, id est, Jesu: annuntient quæ ille ad eruditionem nostram egerit, dixerit, passus fuerit. Et reges congre-

gentur cum populis, ut serviant ei de Christo Jesu, cui dedit Deus omnem potestatem in cœlo et in terra: quocirca dominus est vivorum et mortuorum. Hoc caput est hujus ecclesiæ, cujus nos sumus membra, quæ a calamitatibus externis ac internis persecutionibus liberata, posita jam medio in cursu felicitatis, in via virtutis, in via vigoris et fortitudinis suæ: anxia tamen etiamnum paucitatem dierum hujus felicitatis suæ ab sponso supplex petit prædici sibi, utpote quæ tot adversa perpessa, respirans aliquandiu, timet rursus breve intra tempus revocari ab illa. Tum etiam doctissima sponsa et virgo abhinc multos annos præsciverat, postremis suis diebus instare tempora periculosa. Idcirco trepidula, memor adhuc accepti vulneris, quando sit finis futurus tranquillæ felicitatis percontatur, obtestaturque, ne medio in prospero cursu iterum ad carceres revocetur, neve in illo tam acri cruciamento futuro destituat se, sinatque animam efflare, ac penitus interire.

Hæc itidem ipse ad terram provolutus, ad pedes immensæ patriæ majestatis filius et sponsus Christus Jesus, Deo supplicat lacrimis et clamore valido, ne unquam deficiat fides ecclesiæ, et exauditus propter suam reverentiam, audite, quodnam reportat a Patre responsum: Calix fili mi carissime tuus, calix est novi et æterni testamenti; nihil est quòd in hac re ipse verearis. Ego enim vobiscum sum usque ad consummationem seculi: quibus verbis difficile dictu est, quàm se consoletur nostra dulcissima omnium mater, quæ alioqui pavida tremensque supplicabat, ne se mediis hujus nostri seculi diebus in perpetuum revocares, non reducturus unquam in ullis hominum ætatibus, in ulla generatione generationum hujus anni tui, hujus temporis a te creati. In cujus initio tu Domine terram fundasti, quemadmodum a Moyse in Originibus mundi nobis traditum est, qui in principio creasse te cœlum et terram refert; quam terram tu fundasti in stabilitate sua, et manus tuæ cœlum fecerunt. Verbo enim tuo manus et potentia tua cœlos firmavit. En maximum inter nostrum verum Deum, commentitios vanosque gentilium deos discrimen. Hi enim in cœlum multis antea seculis factum introducti finguntur, domum jam tum ædificatam invenerunt, quam (ut dicunt) possederunt meritis.

At

At noster optimus, maximus Deus cœlum longam post suæ æternitatis æternitatem quum creasset, non meritis adeptus est illud, sed bonitate sua dignatus est illam sedem esse suæ infinitæ majestatis. Hinc tam frequenter Psalmistes Deum nominans, addit: *Qui fecit cœlum et terram.*

Neque vero hæc atque alia, quæcunque sunt creata, subsisterent, nisi foverentur, nisi ab interitus injuria cura diligentiaque regentis defenderentur. Quæ universa et si perirent, permaneret tamen artifex ipse, neque posset non esse. Et equidem ut induimus vestimenta nova, quæ usu atteruntur, et interpolamus reficimusque illa; ita facies hæc universi veterascet longa die, obsita situ et carie, amissis senio viribus, quod deprehendi quotidie in frugum terræ virtute, et perinde in vita, in corporibus, in virtutibus animalium cunctorum, et Angelus Domini sacerdoti Esdræ ostendit, et multis antea seculis conqueri cœperunt rerum scriptores. Verum parantur hæc omnia renovanda instaurandaque purgatorio igni, qui præcedet diem illum magnum venturi judicis Christi Jesu. Tunc apparebit novum cœlum, tum nova terra: quippe immensus Deus judex, ille qui super thronum sedet, nova se omnia facere profitetur. Quod non modo populus Dei monstrante Deo novit, sed etiam fatidicæ quædam mulieres Ethnicis prædixerunt, et eorum philosophi maxime timuerunt.

Esse quoque in fatis (ait ille) *reminiscitur affore tempus,*
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret. (1)

At vero tu magne Deus in hac tanta rerum mutatione immobilis immutatusque perstas, neque alius Deus, nec aliud quidpiam unquam es. Tu fons perennis, purusque omnis essentiæ, nihil quod aut non sit essentia, aut non sit mera essentia receptans, in eadem æternum persistis: hoc enim extanti utendum est tempore, ut noster Propheta facit, quoniam tota in æternitate nihil est Dei aut fore aut fuisse, sed esse. ¿Ecce quanta in his pauculis verbis mysteria? *Cœli*, inquit, *velut vestimentum veterascent, et velut amiculum mutabis eos et mutabuntur.* En nobis tempus futurum, quo fiet illa cœlorum instauratio. At tu, ait, permanes, et idem ipse es.

Jam

(1) Ovid. Metamorph. lib. 1. v. 256.

Jam vero ne quis putet desiturum aliquando Deum; immensam Dei posthac durationem illo futuro concludit, dicens: *Et anni tui non deficient.* ¿Nunquid anni tui, quærit afflictus ille Jobus, ceu humana sunt tempora, quæ aut deficiunt, aut certe deficere possunt, quippe quæ ex corruptibili principio utpote cœlis defluunt? ¿Quos inquam cœlos filii servorum tuorum possidebunt? hæc pars et hereditas eorum, ipsi in sempiternum habitabunt in illis. Novus is profecto est populus Christianus, qui servis tuis Judæis tamquam filius patri successit, et nova nostra ecclesia, veteri synagogæ: semen eorum sunt qui ab ipsis orti pro patribus nascuntur quotidie filii ecclesiæ. Perinde ac id Psalmista diceret, quod Poëta quidam:

Hic genus istorum cunctis damnabitur annis,
Et nati natorum et qui nascentur ab illis.

Quin etiam ut patrum similes solent esse prognati, ita et Angelorum muneribus atque ordinibus illius triumphantis ecclesiæ similes sunt nostræ militantis exercitus atque acies. Ideo et Christiani, filii sunt servorum Dei, id est, Angelorum, qui omnes sunt administratores spiritus majestatis Dei, cui assistunt decies centena millia, et cui millia millium ministrant. Talis exitus perennis gaudii absolutis rebus omnibus decebat hunc psalmum, utpote pervagatum, per peccatorem, per pœnitentem, per militantem ecclesiam, per ipsam Dei majestatem. Ad quam unam intuendam et creatus est homo, et per tot ærumnas, perque tot exercitus adversa recte, honeste, sancteque hic vivit, ut tandem tanto donatus præmio in quiete, in omnium, quæ ne excogitari quidem possunt, bonorum copioso cumulo agat æterna lætitiæ secula.

MEDITATIO SEXTA

IN HUNC PSALMUM CXXIX.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes, in vocem depresationis meæ.
Si iniquitates observaveris Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

MUndum hunc universum esse unam communemque et deorum et hominum civitatem Platonica et Stoica schola testata est: nos Spiritus sanctus docuit, omnia hæc inferiora propter hominum corpora, superiora illa propter Angelos animosque nostros facta esse. Angeli equidem illam incolunt hujus civitatis præstantissimam partem, ab omni turbine, ab omni tumultu, ab omni miseria sejunctissimam. Animi vero nostri tamquam servi, hic in ergastulis quibusdam corporis et teterrima mundi habitatione, non tam vitam agere dici possunt, quàm perpetuo affligi et discruciari. Nam præterquàm quòd sarcina corporis mens nostra obruitur et premitur, agit hic in terra, in quam fertur velut in sentinam quicquid est fœtens, quicquid immundum, quicquid sordidum in toto mundo. Huc venti, huc nives, imbres, pruinæ, gelua, rores, fulgura, grandines, huc rigores, huc æstus, huc ariditates, lues, sterilitates, huc pulvis, huc lutum, huc alia quàm plurima solo dictu fœda; et quòd omnium infelicissimum est, quum hic Deus ille rerum omnium conditor et parens hominem creaverit rectum, sese ipse quæstionibus miris immiscuit.

At quanquam locati sumus in loco turbinis pleno, in loco caliginoso, sentibus voraginibusque horribili, ducem tamen nobis Deus tribuit talem, ut eum sequi si velimus, aberrare nullo nobis liceat modo. Bene beateque vivemus, et expeditissimo compendio ad beatitudinem ad quam totis votis ferimur perveniemus. Dedit naturam bonæ rationi conjunctam, et de facie illa sua, quæ omnem hominem illustrat venientem in hunc mundum, accendit nobis lucernam quandam, quæ synteresis dicitur, a qua nos duci si sineremus, si ducentem perpetuo sequeremur, nec esset cur nos hic creatos quereremur, et liberati ab ergastulis restitueremur nostræ civitati. Quin ne cuiquam ulla præberetur occasio causandi,

quam

quam legem ipse in cordibus nostris scripserat, eandem voce exerta claraque apud totum mundum pronuntiavit. Verum nos ita hac in diversorio, in carcere morula abutimur, ut unde nobis confestim discedendum est, ibi relicta tota patriæ penatumque cura sedem figamus, et contra leges omnes peregrini et advenæ immisceamus nos diversorii negotiis, et pro familiaribus domesticisque nos geramus. Ita capimur ineptis opibus, stultis et vanis honoribus, atque adeo perniciosis illius turpissimi carceris, cum amplissimos illos verissimos et perpetuos patriæ non recordamur.

Quam sibi rem maximæ injuriæ loco ducunt cives illi nostri Angeli, et Deus princeps universorum, qui præest illi civitati, ex qua nos sumus, cum vident præferri suæ reipublicæ vanissimum nescio quid diversoriolum, seu potius ergastulum tetrum atque horridum, ex quo sumus postridie migraturi: cujus quantalibet mora nobis deberet esse odiosissima, ut primo quoque tempore ad libertatem, ad nostram rempublicam, ad dulcissimam patriam, nostramque originem revolaremus. Idcirco ut ii, qui sua civitate contempta atque spreta in aliam sese scribendos curarunt, in suam ii redeant, non recipiuntur; neque enim licet cuiquam duarum esse civitatum civem, ei dumtaxat, qui sua meliore aut despecta, aut illa non contentus, in minorem pejoremque transivit, ita et qui illam supernam divinamque unde nostra est cognatio, unde genus nostrum, despexerunt, et in hanc mundi asciscendos sese optarunt, quum ex hac in morte migrant, non in sedes illius cœlestis, sed in profundam tartaream noctem, quæ sunt dignitates, honores, et stipendia hujus, recipiuntur, quamvis hæc non uno simplicique modo agantur. Neque enim omnes eadem metiri decempeda æquum est, distincte quadratimque tractantur. Nam quidam sunt, qui ita civitatem commutarunt, ut eos facti nunquam pœnituerit, ac perinde neque crimen agnoverint, neque Deum principem melioris illius civitatis clementissimum, et suorum omnium civium amantissimum, unquam tantum scelus fuerint deprecati. Hi edicto immutabili luent flagitii sui perpetuas pœnas, et sunt

——Æternos damnati ad ignes,
Quos spes nulla fovet, quos nulla piacula solvunt:

Hi

Hi sunt,

Qui scelerum moriuntur opacis
Impliciti tenebris:

Hi sunt,

Qui tartara et altum
Præcipites Acheronta petunt.

At sunt nonnulli, quibus melior aliquando mens datur, quos facti pœnitet, agnoscunt crimen, et ad meliorem redeunt frugem, veniamque delicti sibi ab illo benignissimo Deo petunt. His quamvis ignoscatur, pœnam tamen aliquam superesse necessum est, qua et ipsi mulctentur, et reliqui admoneantur deterreanturque, ne ejusmodi facere pergant. Etenim si omni prorsus supplicio carerent, verendum esset, ne hac facilitate principis Dei quamplurimi atque adeo omnes abuterentur. Et hæc quidem tradita a Spiritu sancto Israeliticæ familiæ Philosophi et Poetæ, ut etiam alia permulta, acceperunt. De his enim animis ad hunc modum Vergilius loquentem facit Anchisem:

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium et pauci læta arva tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem. (1)

At quum in illis sunt purgatoriis pœnis, opere precium est audire quibus utantur apud Deum precibus, quas utcunque referam, non versibus cujusquam poetæ, quales fuerunt hi quos paulo ante adduxi ex Vergilio, non carmine vel Orphei, vel Mercurii, vel illius Apollinis versuosissimi, sed divina cantione sanctissimi Regis Davidis, de quo in Græcorum monumentis ad hunc modum scriptum est:

Orpheu jam reticeto, lyram confringito et Hermes,
Tuque tripus sortes Delphice conde tuas:

(1) Virgil. Æn. lib. 6. v. 739.

Nam citharam David cœlesti pectine pulsans,
Æterni nobis pandit operta Dei:
Plurima et antiqui signat miracula secli,
Inque Dei laudem cuncta creata canit:
Imbutos omnes sacris custodit et auget,
Erigit et lapsos, atque labare vetat:
Judicium reserat venturi judicis, idem
Sordentes animas elui ab igne docet.

Harum itaque animarum dum dignæ parantur illi cœtui divorum cœlestium, ita precantem unamquanque inducit divinus Deique perfamiliaris Rex et Propheta.

ORATIO ANIMÆ IN PURGATORIO.

EGressam me ex illo ergastulo mundi, in quo inter umbras volitans, quæ credidi vera esse corpora, nimium oblectata prætuli vanissimas res solidis, veris atque expressis, justo tuo Deus judicio in hanc abyssum detrusisti, in quam conjecta cœpi ob acervissimum dolorem, atque eum insuetum, lacrimoso ejulatu clamare. Neque enim visus mihi est dolor apud superos homines ullus tam acer, tam vehemens, tam penetrans, tam intolerandus, tam pæne singulis momentis enecans. Nam si illic qui secantur, qui uruntur ¡quid hæc dico! qui punguntur, qui vellicantur, qui calcantur, qui premuntur, clamant dolore affecti: ¿quantum putas fuisse clamorem meum in his tormentis? ad quæ illa mortalium si conferantur, picta esse videbuntur, non vera, et hæc corpora, illa vero corporum umbræ. ¿At quid ejulavi? ¿quid clamavi? non quæ homines in vita, minima quaque mali opinione, tecum ceu cum minore se, gravissime expostulantes, te blasphemantes, tibi maledicentes; non ut qui sunt in perpetuo tartaro inclusi faciunt: te, me, parentes, omnia denique sum execrata; sed illam auxilii vocem summis in periculis, calamitatibus, ærumnis, angoribus, mi Deus, mi domine. Non adversus te, mi Domine, non de te quicquam, non aut adversus alia, aut de aliis, aut ad alia, sed ad te, ut orationem meam, ut vocem hanc plenam amaroris audias, ut mihi subvenias, quo quàm primum

mum ex hac abysso ad te mundata evolem, ut aures illæ tuæ tam conjunctæ misericordiæ tuæ, ut nihil illæ audiant, cui non hæc præsto adsit, adhibeantur orationi meæ.

Ut quamvis ego ex profundissimo clamem loco, ex ipsa infima abysso et medio terræ quæ a cœlis et domicilio gloriæ tuæ quàm longissime abest, tu tamen ex sede majestatis, ex luce illa quam inhabitas malis innaccessibili, quam pravorum pravæ non penetrant voces, me exaudias, ne ego hic tam diuturno cruciatu afflicter misella atque distorquear: ut cito mihi eam civitatem tua clementia reddas, quam meis ego flagitiis amisi. Neque enim congruum est te Deus, quicquid ipsa commisi ad inquisitionem revocare, et acri perpendere examine, omniaque exacte persequi. Non decet te summo nobiscum agere jure, ut de tuo multum remittas necesse est, ne istud tuum sanctissimum tribunal tristis atque acerbus reorum scopulus nominetur. Nam si tu singula nostra delicta apprehendere, punireque volueris, non satis unus is erit in pœnas, qui peccavit; ille tibi in multos transformandus, immo in innumeros erit, ut æquas condignasque suis sceleribus tibi Deus det pœnas. Nolumus hanc ἀκριβοδίκην, nolumus hoc tam exactum jus, cujus opera, ut Sapiens inquit, ¿quis annuntiabit, aut quis sustinebit? Quòd si tu voce tua nos increpare tentaveris, quum vix parvam stillam sermonis tui audire valuerimus, ¿quis poterit tonitruum magnitudinis tuæ intueri? Non dico, aliqui nostrum, sed ne universa quidem terra sermones tuos poterit sustinere. ¿Quid terram dixi? ne Angeli quidem vel temporis momentum te increpante consistere potuerunt. Tam enim valet idem istud tuum verbum ad convellenda omnia in ira tua, quàm valuit ad omnia in tua benignitate creanda. Non enim gladiis aut hastis eum qui tibi non placet dejicis, sed uno tui oris spiritu interficis impium.

Tuum nutum universus spectat orbis a quo numen tuum sua summa prudentia cuncta gubernat, et torquet. Itaque quum is tu sis, ut nos omnes ad te collati non pæne nihil, sed plane nihil simus, non decet te ad disquisitionem nostrorum omnium scelerum descendere, nec adversus nos te tantum sævire, iramque et potentiam tuam exercere. Ne dicamus omnes, contra folium quod

 ven-

vento rapitur, te ostendere potentiam tuam, et stipulam te persequi siccam. Fac itaque quod benigni majores in minores, quod parentes erga liberos: castiga, mulcta nos, sed non quantum commeriti sumus. Fac quod periti musici, qui dissonantes chordas non continuo aut rejiciunt, aut concidunt, sed paulatim modo tendentes, modo remittentes ad harmoniam accommodant. ¿Verum quid ipsa loquor? ¿sum ne sana? ¿quid ago? ¿quem moneo? ¿An non eum qui aliud agere de more non habet, quàm id quod ego hortor? ¿An fuit unquam aliquis, qui severissimam illam tuam, mi Deus, justitiam sit expertus? ¿qui admirabilibus tuæ benignitatis clementiæ beneficiis non sit usus? ¿Adsint illi qui tua in civitate felicissimam atque æternam agunt vitam; an hi vel minimam partem suæ beatitudinis meritis suis adepti sint? Quæ omnia si ad bilancem revocentur, adde etiam universa nostra viventium merita, futura illa gloria, quæ revelabitur in nobis, pondere ac valore vincet. At nos quæ hic torquemur summopere, quæ purgamur, ¿quis dubitet, quin ingratissimæ simus, nisi tuum erga nos immensum beneficium agnoscamus? ¿Num præsentes pœnæ flagitiis satis magnæ? ¿num digna merita certissima illa futura beatitudine?

Quid quòd ipsi sempiternis suppliciis addicti, miserrimi illi quidem, sed quamvis secum agi pessime credant, teque injustum, te crudelem judicem semper querantur, clementia tamen incredibili tua utuntur. ¿Vix enim pro millesima portione commeritorum pœnas luunt? infinities nanque major est sceleris eorum culpa, quàm pœna. Est enim apud te mira nostri indulgentia, dulcissima nostrorum criminum venia, gratissima et fructuosissima propitiatio, facillima expiatio nostri. Tuum est illud propitiatorium templi aureum atque pulcherrimum, super quod stabant duo aurei Cherubini gloriæ tuæ, qui sese atque propitiatorium contuebantur, justitia scilicet tua et misericordia, quibus omnia moderaris, omnia temperas. Suntque illa tua, quæ eadem est ratio, sapientia, benignitas: est etiam lex illa æterna, quæ neque hominum ingeniis est excogitata, neque scitum est aliquid populorum. Quæ seculis omnibus fuit antequàm scripta lex ulla, aut quàm omnino civitas constituta. Sed est admirabilis illa tua volun-

lun-

luntas summæ ac perfectissimæ rationi commista, quæ universum mundum regit imperandi prohibendique sapientia, quam duo Cherubini referebant ardentissimi caritate., ut intelligamus legem verissimam, tuam legem esse summæ clementiæ, summæ benignitatis et misericordiæ, summæ æquitatis, summæ quoque caritatis. Quæ quoniam operit multitudinem peccatorum, quoniam promittit vel nefandissimorum veniam scelerum: idcirco te quem in furore universus orbis non sustineret, ego plane nihil in tanta clementia, lenitate, mansuetudine sustinui.

¡O lex sacra, lex mitis, lex benigna, cujus beneficia, cujus opem homo neque sperare, neque optare per se auderet, nisi tu tecum et inventum, et inventi fiduciam attulisses! ¡O lex admirabilis! sive tu es mandata sermoque Dei vivus et penetrantior omni acutissimo mucrone; sive testimonium a prophetis qui viderunt exhibitum; seu testamentum Christi, quod ipse sanguine suo sanxit; seu Dei voluntas, cui nostram aptari id demum est bene beateque vivere; seu justitia Dei, ad quam reliquæ si conferantur, injustitiæ esse videbuntur, cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi, juste ac legitime necesse est vivere; seu justificationes illæ pientissimæ, quæ justificant impium; seu judicia Domini, quæ omnia sunt ex æquo et bono misericordiæ plena; sive tu es via, quæ per te ingredientem nunquam fefellisti, quæ in patriam exules expeditissimo compendio reducis, quam se Christus esse testatus est; seu veritas, quæ est initium verborum Dei; seu pax illa quam reliquit ecclesiæ suæ hereditariam Christus, quæ omnem exuperat sensum humanum; sive tu illa es dilectissima vinea quæ jucundissimos palmites, et gratissimam frugem Domino attulisti, cujus torcular quod Christus calcaverit solus, nec fuerit de gentibus vir cum eo; idcirco rubrum est indumentum ejus, et vestimenta ipsius velut calcantium in torculari; seu tu es, quod magis experimur, misericordia Dei tam lata, tam magnifica, cujus munere factum est ne simul omnes interierimus. Quoquo nomine te invocare jus fasque est, certe divino quodam et sacrosancto. Tu illa es, ob quam unam non desperamus, quæ nos quocunque in loco simus, reficit recreatque, cujus nutu ordo consistit, atque perennat hujus universi.

Nec

Nec aliquid prorsus quamlibet magnum, quamlibet minimum usquam agitur, quod tuo ex præscripto non administretur. Te satius erit adorare tacentes, id quod certe possumus, quàm narrationem aggredi tui, quod utique tam fieri potest a nobis, quàm rem immensam mensura nostra finita atque exigua metiri. Non ut te exprimeret, optabat regius Propheta oculos aperiri suos. Nam id ne facere quidem potuisset, nisi ipse idem fuisset Deus, cujus tu mens, cujus es tu voluntas, verum ut consideraret mirabilia tua, quæ tam est dulce contemplari, quàm sunt illa et summa, et intermina, et gratissima dulcissimaque nobis. Quibus nos nihil diffidere jubemur, nihil non sperare in eo qui potens volensque est, omnes in sese confidentes a crudeli morte salvos facere. Quæ nisi fuisset assidua mea meditatio, forsitan in humilitate mea periissem. Videbam enim te summum, me infimam: te omnipotentem, me imbecillissimam: te judicem, atque eundem æquissimum, me vero nocentissimam ream ante te, immo adversus te adductam: ¿quæ mihi poterat esse veniæ spes? quum idem esses et testis, et actor, et judex, atque is sine provocatione, quem ego scelere meo offendissem. Audi tu inauditam, o terra, misericordiam; audi tu, orbis, incredibilem benignitatem. Accusat hic, testatur, sedet judex, e cujus manu nihil est quod eripere possit. Et tamen cùm primum incipio agnoscere crimen et deprecari, jubet me animo esse bono, futurum se patronum meum, se ignoturum mihi, non recordaturum flagitiorum meorum.

¡O misericordia, o clementia, o benignitas, o lex, o verbum Dei toti nostro generi prosperum et salutare! Hoc est verbum quod vult Deus, hoc quod nobiscum paciscitur: hoc quod jurat, et ejus postmodum neutiquam pœnitet. Hoc quod procedit de ore ejus, nec facit irritum. Hoc quod mittitur, et ad te Deus vacuum nunquam regreditur, sed quicquid ipse tu vis subito peragit. In hoc ego verbo speravi, in hoc ego hic inter tam acerba vivo, et me ipsa consolor: in hoc confido fore, ut nos brevi liberes, adducasque in sedes illas beatas. Tum et in illo tuo verbo fiducia mihi ingens, quod unum est tecum in excelsis fons sapientiæ, et a te perpetuis æternitatibus generatur

Quod

—Quod fundis ab alta
Mente pater, tanti et donas consortia regni, (1)

quod verax est et fidele, quod nos sanavit, quod gravem conglaciatamque liquefecit nostram pituitam, quo nos tamquam face præeunte profectæ sumus, quod misisti Domine Jacob, quod egressum est ex Hierusalem, qui sanctus sanctorum ob unum nostri amorem

—Summo delapsus olympo,
Et Deus humana lustrans sub imagine terras,

exemplo suo docuit, jussitque confidere, quòd innocentissimus pro nocentibus oblatus mundum primus ipse vicerit. Et quoniam tam strenue veterem hostem bello fudit fugavitque, ac impotentem et nefarium tyrannum hærentem tam multis annorum millibus in possessione mundi hujus in tartara detrusit, nosque omnes asseruit in libertatem.

Ideo data est ei potestas omnis in cœlo et in terra. Princeps est pacis, pater futuri seculi, mundi melioris origo et Dominus universorum. In hoc nos omnes verbo sustinuimus, in hoc nos omnes Domino speravimus: in hoc et patres illi nostri, qui sub nube atque adeo sub caligine et nocte fuere, ambularunt et castramentati sunt: in hoc et novus ille, pulchrior populus oriente procedenteque die creatus, id est in ista tua luce Deus, quæ mentibus hominum densissimis in tenebris repente affulsit. In ista luce, quæ ambulantibus in mortis umbra subito exorta est, incredibilemque lætitiam, vitam, salutem attulit, omnes inquam in hoc speraverunt, neque sunt suo voto frustrati. Circumfusa enim tota turba, et quæ anteibat et quæ sequebatur, eadem clamabat voce triumphi, quam perpetuo in cœlis Angeli illi tui voce quadam humana majore personant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Itaque et a die illa clarissima, in qua primus creatus est Adam in multarum magnarumque rerum certissima gratissimaque luce ac cognitione, quam originalem nativamque justitiam nominant, a qua ipse nos secum trahens, tam turpiter se exclusit, ad exitum usque noctis mundi hujus obscurissimi, in te uno perfugium, in te oculi, spes, vota, desideria omnium conjecta.

Nos

(1) Claudianus aut quicumque ille sit in Paschali carmine.

Nos quoque ab exortu nostro, quo in lucem ejecti sumus, ad hanc usque noctem, quam dormiunt corpora nostra, usque ad seculi innovationem atque instaurationem, et hic in tantis tormentis jugi ac prope intolerabili dolore, quid aliud quàm una tui pascit spes: quæ excussis rebus omnibus in fundo solo superstat, quæ si cum aliis quoque rebus evolaret, actum de nobis omnibus esset. At nos ne hoc quidem loco tam acerbi mœroris pleno diffidimus, in hac quoque nocte, quòd tu per tuum sanctum Prophetam jussisti, te laudamus, tibi bene precamur, et supinas ad te manus tendimus in sancta, quod est sacrificium vespertinum, in quo sacrificio filius carissimus tuus, manus suas in crucem levans occisus est, agnus immaculatus; et ceremoniis devinctissimo populo finem imposuit, ut solveretur in postrema mundi ætate asina illa ad acerram miris modis devincta. O salve admirabilis Deus homo, secli melioris origo. Salve omnium animis desiderate rex immortalis, omniumque seculorum, cujus regnum finem nunquam accepturum est. Salve tu quoque regnum immensæ pacis, quietis, clementiæ, et omnium miserorum divinum asylum, tutissima ara.

Quod Christus ipse, ut alieno tyranno serviens redimeret, suæque pristinæ restitueret libertati, in eaque te firmaret, non unam atque alteram sacrosancti sui sanguinis stillam impendit, quæ satis superque fuisset ad quantumvis precium persolvendum: sed tamquam rivos liquescentibus visceribus omnibus, ardentissimo caritatis igne quicquid divini sanguinis inerat, profudit, ne quid in sanctissimo superesset corpore, quod adhuc dari potuisse quisquam causaretur. Tam enim eam rem serio ipse agebat, tam optabat liberam hanc suam civitatem videre, ut neque operæ, neque sumtibus ullis pepercerit, modo aurea illa libertas rediret, vera et seculis omnibus permansura. ¿Quis desperet civium? quorum princeps tam unumquenque dilexit, ut quod pro universis, etiam pro unoquoque haud dubie fecerit. ¿An aliquis vel tam ingratus est, vel tam stupidus, qui quum hæc videat, de principis benignitate, clementia, ope desperare possit? Et tu quoque mitissime Princeps, clementissime Rex, indulgentissime Pater, carissime frater, salutaris liberator servatorque noster, eodem illo precio

nos populum Israeliticum a te redemptum ex nostris omnibus sceleribus brevi perpurgato, mundatasque ex illa carceris superioris fæce, sordibus, squalore, ex labe concreta, quam e volutatione in fœdissimo contraximus cœno, excusso quicquid ex terra grave adhæsit, quod suo pondere morari conscensum posset, tributis aliis duabus nos libratas, leves agilesque per mundi hujus plagas perque cœlos candidas candentibus togis amictas, in cœtum illum beatorum spirituum inducito. Atque in civitatem nostram quasi postliminio restitue, ut cum ceteris nostris civibus unum factæ omnes, sicut tu Paterque unum estis, immortali felicitate fruamur.

MEDITATIO SEPTIMA

IN HUNC PSALMUM CXLII.

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

MEntem divinam æternam esse non modo nos quos ipsa eadem docuit scimus, sed unicuivis hominum ex rerum natura exploratum esse potest. Neque enim aliquid tantum ante ipsam fuit quod eam producere progignereque valeret, sed ipsa potius post æternam suæ illius æternitatis partem mentes sui similes, deinde cœlos, elementa et decorem ornatumque hujus ornati universi creavit. Locarat in purissima mundi parte, ab omni seposita turbine, in eminentissimis cœlis mentes illas: unde contemplari despectareque reliqua possent, et secum beatissime sempiterno ævo fruerentur. Verum istarum maxima pars oblitæ veteris illius præcepti, quo se unusquisque nosse admonetur, personam solum exterioremque sui faciem considerantes, sese non inferiores esse parente rerum omnium Deo, stultissime arbitratæ sunt. Et inter consceleratas illas protinus coaluit nefandissima conjuratio, ut ex æquo mundi regnum inter se ac principem Deum divideretur, et par esset utrique parti rerum administratio; aut hæc Deo, hæc illis conjuratoribus obvenirent, et suo utrique in regno imperarent: ut Q. Fabius prudens dictator, et ejus temerarius magister equitum Rufus Minutius; seu ut legitimus Micipsæ filius mitis Adherbal, et nothus nepos, immanis Jugurtha; vel quemadmodum (ut fabulantur veteres) tres illi Saturnii fratres orbem sibi sunt partiti: aut alternis diebus moderarentur, ut apud Cannas nobilissimus vir Æmylius Paulus, et seditiosus atque ignobilis Terentius Varro.

¿Quo ruitis dementissimæ mentes? ¿quid moliris Lucifer conjurationis istius nefariæ princeps, crudelior Catilina, et quovis immanissimo immanior gigante? Partiri certe non potes orbem, monarchiæ enim est. At velle diebus alternis imperare, ¿quis iste furor est? ut tuo secundo quoque die parens ipse tuus omnipotens Deus tuis dictis audiens sit; et quod vel ipso dicto horrendum est, pareat tuis jussis, et nefaria exequatur imperata. Vix

res-

rescierat princeps ille rerum omnium Deus hac esse perditissimos istos spiritus mente, quum caput concepti flagitii pariter et socios omnes magna cum ignominia e cœlo deturbat, cœlestibus traditis sedibus aliis illis melioribus, qui suas secuti fuerant sanctissimas partes, atque in illis edicto perpetuo confirmatis. Ad eas ei Deus ipse fatur hæc: Vos qui deorum satu orti estis, attendite; quorum operum ego parens effectorque sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta me invito, quanquam omne colligatum solvi potest, sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere: sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse indissolubiles non potestis. Nec unquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata prement, nec fraus violentior quàm consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis cum gignebamini colligati.

Vos itaque in summa atque eadem sempiterna felicitate, agite hic mecum immortalitatem, et ut bene cœpistis, parete semper æquissimis sanctissimisque volitis ac jussis meis. Ceterum ut supplementum asciscamus huic civitati, quam ego absolutam quum creassem, magna ejus pars, ut vidistis, pelli ex ea in infernas sedes merita est. Statui animal quoddam duabus ex partibus corpore scilicet atque animo componere, quorum illud quidem ex elementis istis conflabo, animum vero vestri non absimilem, mei vero imaginem, uti et vos estis, faciam. Hoc erit mihi hujus civitatis seminarium. Homines appellabo. Huc ego post bene peractam stationem meritisque stipendiis militiæ cujusdam, quam illi vitam appellabunt, eos transferam, donabo civitate, sociosque adjungam vobis. Dixit, et læti hæc omnia meliores illæ mentes audiverunt. Extitit confestim homo ipse animal pulcherrimum et divinum, quod divi spiritus simul conspexerunt, extemplo sunt ipsum utpote agnatum suum complexi et exosculati. Nam gentiles ipsi omnes sunt: homines enim illorum agnatione ac gente tenentur. Tum etiam suum futurum civem non poterant non amare, et illi omnia precari bona, ut ortus esset ipsi faustus et felix, ut brevi in una communi civitate lætarentur omnes.

At quàm erat homo gratus mentibus illis bonis, tam erat invisus mentibus malis: quippe quam eo fine creatam videbunt,

ut suis possessionibus, quas ipsæ per nefandissimum scelus amiserant, is frueretur. Tum itaque constituit dæmon inimicitias atroces, capitales et ἀσπόνδους cum illo gerere, bellumque penitus internecinum, in quo se quovis Lacedæmonio Archidamo acerbitate sævitieque superiorem futurum minatus est. Et quo jure, quaque injuria, quocunque possit loco, quocunque tempore, quavis arte, quovis dolo, fraude, astutia, palam, clam, hominem fallere decrevit, homini nocere, hominem lædere; quin et si possit de promissa et expectata civitate depellere, ac in suas secum devolvere horribiles sedes, ut illic non minus, quàm ipse, pœnas, simul omnes æternum dent. Hæc prava mens quæ nostrum genus perpetuo insectatur atque infestat, est Ata illa, quam ex sacris litteris, ut alia pleraque, Homerus mutuatus est; et solo nomine mutato rem ipsam tradidit. Facit enim hanc deam dæmona generi hominum infensissimum, qui turbas omnes, dissidia, noxas nostris rebus immittat, quem deturbatum quoque de cœlo canit, inquiens:

Protinus abripuit speciosis crinibus Atan
Juppiter, adjuratque instinctus sanctius ira,
Haud iterum posthac stellantis culmina cœli
Scansuram esse deam, quoniam esset noxia cunctis,
Ilicet hoc dicto superis ibi fervidus Atan
Sedibus exturbat, mortalia lapsa lacessit. (1)

Et sive ex eodem sacro fonte, sive ex dæmonum narrationibus, qui suos ipsi frequenter casus iis hominibus quos societate sibi ac familiaritate devinctos habent, involucris quibusdam referunt, Ægyptii suis in mysteriis perhibent, Jovem impuriores dæmonas e cœlo dejecisse, qui et homines pro virili secum quoque ad ima demergere connitantur. Pherecides etiam Syrus plurimos ab Jove rebellasse dæmonas tradit, quorum exercitus ductor ὀφιώδης, id est serpentinus appellatus sit. In hunc itaque modum quum continuas dæmon hic insidias homini pararet, plagasque quacunque is ingressurus esset tenderet, incidit ille illaqueatus, et misere in leges edictaque Patris Dei commisit. Ibi continuo exultat dæmon, et grandi ac virulenta conscripta dica fit ilico diabo-

(1) Homerus in Illiade lib. 19. Vive, ut puto, interprete.

bolus, eamque parenti et judici rerum omnium porrigit, reumque hominem factum amarissima postulat accusatione. Cujus summa erat, hunc hominem non esse meliorem conditione quàm ipse fuerit dæmon; se nobiliorem, unum ob crimen, depulsum de felicitate illa cœlesti; hunc etiam hominem, multa quum commiserit flagitia, in eadem pejore etiam debere sorte esse, quàm ipse sit. Non fore Deum judicem æquum, nisi eidem adjudicet pœnæ eum, qui idem commiserit facinus. Postulare omnibus modis, ut socius fieret homo suarum pœnarum, qui socius fuerit criminis. Ibi trepidare, ibi tremere reus destitutus justitia et veritate, quibus antea instructus, quibus patronis innixus, tam potens pollensque erat. Ibi flere, ibi ad judicem supplices tendere manus, ibi agnoscere, sed deprecari scelus. Postremo in hunc modum ipsum pro se locutum accepimus.

ORATIO HOMINIS REI.

QUanquam adductus sum in hoc forum Pater, si te hoc a me nomine compellari fas est; sin minus, Domine, reus tantorum criminum quæ nullus me commisisse ignorat, ut indicta causa, damnationem me commeruisse confitear: illud tamen a facilitate benignitateque tua me impetrare non iniquum est, ut antequàm sententiam proferas, me paucula pro me ipso verba facientem audias, qui accusationem adversus me diaboli audire non dedignatus es. Illud quoque in primis, mi Pater, mi Domine, peto ut quod tuum maxime proprium est, stes promissis. Et quoniam adversarius justitiam imploravit tuam, ego illam non recuso: imploro etiam, modo quæ de veritate filio tuo, in quo uno mihi omnis spes salutis sita est, in veritate apud te jam inde a tua æternitate constituisti, mihique ac meo generi es pollicitus, rata sint omnia. Et quamvis ego in adversarium nihil peccarim, qui nunc inusitata et nova omnino cura in solito tui zelo me, quod adversus te commiserim, accusat. Tu tamen Pater et Domine, in cujus leges ego me miserum peccasse agnosco, ad quem unum accusatio hujus criminis pertinebat, ne descendas oro in judicium

cum

cum servo tuo, noli tu me hujus criminis agere reum, ne contendas mecum, ne sis adversarius mihi.

Constitutus es judex, age susceptam personam, noli ex judice fieri actor. Nam si tu adversus me causam agere volueris, non dico ego, qui nihil sum, sed nec ullus mortalium, nec cœlum, nec terra poterit te accusante absolvi, nihil non amarissimo capitis judicio protinus damnabitur. ¿Quæ res erit tibi satis munda? ¿satis innocens? ¿satis justa? Ecce luna etiam ante te non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu tuo. Quanto minus homo, et putredo, et filius hominis vermis. ¿Nunquid justificari potest homo comparatus Deo? ¿aut apparere mundus natus de muliere? ¿Nunquid homo Dei comparatione justificabitur? ¿aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem; quanto magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum. Sede igitur disceptator judexque, ne sis adversarius, et ex justitia tua de causa hac cognosce, atque pronuntia, modo admisceantur ea, quæ de immensa tua erga nos misericordia, in veritate tua promisisti. ¿Quamvis quid attinet hoc precari? quum summa justitia summaque clementia tua ita sociæ, ita germanæ sint, ut nusquam non sint conjunctæ ac perpetuo individuæ. Neque vero illud me quoquam modo perturbat, quod dico apud eum de facinore, contra quem commissum est: re enim apud nos iniquum est; nemo enim fere est, qui de negotio ad sese spectante judex non sibi se æquiorem, quàm reo præbeat.

Sed quum te penitus recognovi, ¿quid est cur expavescam? quum sit apud tuam sapientiam rectissimamque justitiam clementia misericordiaque temperatam, quàm æquissimum. Illud vero me maxime movet, quòd accusat me diabolus iste, qui esset justius a me omnibus accusandus legibus. Quippe qui viis, artibus, fraudibus, consortis dolis universis me aggredi non destitit, quousque me impulit in facinus hoc, quod adversus tuas leges commisi. Nam is quum me suo in loco substitutum a te Pater videret, usque adeo mihi meisque illis pulcherrimis dotibus, quibus me totum ornaras, invidit, ut nullam prætermitteret occasionem persequendi animam meam, alliciendi mei, ut ex Hierosolymis
des-

descenderem in Hiericonta, ubi spoliatus opibus tam copiosis, vulnera lethalia reportarem. Atque hæc omnia, ne meliore essem conditione, quàm ipse est. ¿Num non hic a me causatius accusandus esset? cujus ego callidissimis dolis, cujus latentibus plagis in hanc incidi inexplicabilem voraginem, qui mihi et causam et damnum hoc capitis et fortunarum dedit. Quis enim dubitet, quin damnum sit ei imputandum, sine quo non accidisset.

¿Illam quoque vitam meam, illam tam gratam, tam speciosam immortalitatem, quanta a me fraude eripuit? ¿quomodo in terram, ex qua sumtus sum, me dejecit? ¿Quomodo effecit, ut qui pulvis eram, sed tuo beneficio immortalis, evectus a te tantum ad honorem, ut prius ipse fecerat, ita et ego, neque te, neque me nossem, ac similis belluarum factus, in pulverem redirem? Nam tunc fit homo mera bellua, quum te ac sese ignorat. Neque vero hujus invidiæ hic meus tam turpis casus satis fuit, quæ summum inimicum ad misericordiam reduceret, non spoliatio veritatis, justitiæ, mentis eruditissimæ atque optimæ, mulctatio vitæ perpetuæ. Non hæc isti satis, quorum fui ego auctor, fuit suasor et impulsor ipse, nisi et me in carcerem illum tetrum atque miserrimum infernum cum primis illis sceleratis sociis suis conjicere sua nitatur accusatione. Non est hac corporis, quod erat alioqui futurum immortale, morte contentus, de animæ quoque secundo pejore illo interitu agit. Non quòd eum juvare, quod prodesse tantulum modo possit, sed quia submersus ipse pedem arripit, et constringit meum, ut et ego secum quoque sub undas ferar, ut detrudat me inter reliquos dæmones mortuos a principio mundanæ originis in ævum sempiternum demersi in tartareas tenebras,

Unde non unquam remeavit ullus.

Unde nunquam vitalibus auris restitutus quisquam est.

Quæso te nefandissime dæmon ¿quæ erit tibi voluptas? ¿quæ utilitas in sanguine meo si descendero in corruptionem interitumque posteriorem multo priore pejorem? ¿An societate mea minuentur tibi juges illi dolores, perpetua cruciamenta, quæ in æternum lege non abrogabili, neque antiquabili sententia, rescindi enim mutarive ex ordinatione universi latisque mundo legibus

non

non potest, tibi destinata sunt? ¿An vel fient minores pœnæ vel tu quum me socium tui acerbissimi tormenti feceris, solatium aliquod in levamen doloris accipies? nihil istorum. ¿Quid igitur tua ista tam amara insectatione, tam capitali odio tibi, vis? ¿quum ne verbo quidem sis a me violatus? ¿An ego de cœlo te deturbavi? ¿an ego in tartareum carcerem te conjeci? minime. Credo tamen, quòd te illud solum urit, quòd sis me tua in sede locatum visurus. Ideo tam sollicite tàm anxie laboras, non modo ut ego hac frustrer tanta spe, sed ut pro supernis illis sedibus beatissimis istas tuas infernas miserrimas consequar. Hæc me reputantem ita deficit spiritus, ita turbatur mens, ita angitur summum ob mœrorem cor, ita quantus quantus sum, ingenti tremore concutior, ut interdum vix sciam, ubi sim, quid agam, ante quem dicam, ut mirer etiamnum me vel tria verba dicere potuisse. Quòd si ille, quoniam virgultum ex quo rubicundi humoris stillæ defluebant, vidit, de se affirmat vir (ut ajunt) fortissimus, tertio Æneidos, (1)

—Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis:
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit,
Alter, quòd solum vertere cogitur.

Ovidius in Tristibus, (2)

Non aliter (inquit) *stupui, quàm qui Jovis ignibus ictus*
Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.

Alius ne dominum mutet, cœlum terramque confundit, postremo manum sibi affert ipse. Quis miretur me tot modo copiis, tot opibus affluentem, sanum, sospitem, immortalem, uno momento illis omnibus spoliatum atque afflictum, ita mente turbari, ita animo dejici. Nam qui modo eram is, cui nemo se neque honore, neque gratia, neque fortunis anteferret, repente nullum vestigium retineo pristinæ dignitatis. Te ipsum, dæmon calumniator, expletum contentumque his tantis meis miseriis oportuit. ¿Quid enim erat mali, quòd mihi spoliato honore, fama, fortunis deesse videretur? ¿aut cui novæ calamitati locus ullus relictus est? Verum urget idem hostis, qui cœpit odio plus quàm

no-

(1) Vers. 29. (2) Lib. 1. Eleg. 3. v. 11.

novercali, plus quàm Vatiniano, repetit novum membrum. Non patitur me calamitosum uno modo afflictum, uno in luctu perire. Vult me per innumeros singulis temporis punctis cruciatus morte secunda confici, morte quæ quum per omnia momenta summo cum dolore enecet, in eodem tamen homine semper quod occidat vivens aliquid sentiensque invenit. ¿Quid est quòd me a desperatione a laqueo aut ferro temperare persuasisset? nisi foveret me inter tot calamitates una spes, in qua miseram et afflictam animam traho. Nisi inter tot densissimas tenebras lux quædam tua mihi procul exorta esset.

Repeto enim memoria et cogitatione qualis eram, quum primum e tuis sum manibus egressus, quum in me erectum spirasti spiritum vitæ. Quàm pulcher, quàm formosus, quàm intus, quàm exterius speciosus. Animal summe Deus, tot virtutibus, tot dotibus immortalitate etiam conspicuum, hominem gentilem agnatum, civem Angelorum. Erepta sunt hæc omnia, supersedeo modo repetere. Quod tamen diabolus in tot malis reliqui fecit, ut tua etiamnum misericordia pateat, ut impetrare liceat, ne cum mortuis ab exordio hujus seculi in tenebris collocer. Hoc pacem veniamque petens supplex oro, hoc per te ipsum iterum atque iterum obsecro. Id ne mihi eripias Pater, obtestor, quæ una est in tot malis spes. Memini enim, quum recolo quæ tu me, meliore illo tempore, filium tibi carissimum docebas, meditatum fuisse annos æternos, dies illos antiquos, dies qui formabantur, et nemo in eis meditatum sedulo omnia quæ creasti, quæ ex nihilo in tantam eduxisti pulchritudinem. Ex quibus a mundi origine invisibilia tua, quæ tum, quæque æternum fuerunt, et quæ posthac erunt, te magistro conspexi. Ac vidi operam hanc mundi hujus, quem oculis contuemur figuram umbramque esse illius melioris, quem solo mentis inspiciemus obtutu. In quo secundus ille Adam de cœlo cœlestis, hunc priorem de terra terrestrem adjudicatum tantisper vinculis ac custodiæ publicæ solvet, liberatumque in suam restituet civitatem, secumque in suo triumpho ex servitute vindicatum ducet.

Sequeturque ille liberatorem suum gaudens et exultans, quem (ut par est) tota sua vita, quæ sempiterna erit, colet. Mortem

illius, seu soporem potius, quo nos omnes a morte solvemur, ego sopore meo cognovi. Ad hunc ego filium tuum, qui et idem est quod ipse tu, manus supplices tendo. Hujus sanguinem copiosum maximique precii, hujus gratiæ humorem, hujus tormentorum affluentem fontem sicca anima mea expetit, dissoluta in aridum pulverem, exsiccata tota virtute, hunc fœtiferum rorem sane quàm desiderat. Hoc mi Pater, hoc mi Domine, quàmprimum effice, irriga me aqua tua perquàm salutari, illa Jordanis aqua quæ leprosum mundat, illa natatorii Syloe, quæ diei hujus ac luminis usum fructumque cæco præstat. Nam alioqui arefactis vitalibus omnibus meis, defecto in me spiritu, qui per corporis meatus diffusus tepido vapore vitam continebat, ne spera me vel momentum vivere posse. Agam confestim animam, nisi mihi misericordia tua vitam tribuerit, et visitatio tua reddiderit, custodieritque spiritum meum. ¿An non vides ut occupet ora pallor? ¿ut membra omnia quatiat frigidus horror? ¿ut ab oculos obvolutum mihi glaucoma sit? afflatus nullus, nullus reflatus, moribundoque similis sim. Quoniam spiritus miserum me simul ac tua jussa prætergressus sum, me defecit.

Te idcirco Pater summopere oro et obtestor, ut ne misericordiam illam tuam incredibilem, ne bonitatem, quam omnia expectant intenta, in quam universa intueri vehementer cupiunt: illam, quæ vitam cunctis rebus præstat, a me avertas. Nam alioqui sine ulla spe veniæ mei criminis (quod horret animus dicere, quod ipse tum omen avertas) similis essem illorum, qui in tartareum lacum æternamque noctem descenderunt: ita et te (quod procul absit) voto tuo diabolus iste fraudare potens esset, ut quem tu destinatum patriæ civem creasses, eum illic suis dolis in exilium ageret sempiternum, ex quo nullum in patriam unquam revocari continget. Hæc tu mi Pater, cujus tanta est potestas, quanta voluntas, obsecro ne sinas ut fiant. Quin potius noctem hanc et obscurissimas peccati tenebras primo quoque tempore illustra. Oriatur Phosphoros ille matutinus: reddat nobis ablatum diem Eous; accedat rosea illa pulcherrima aurora, veniat virgo casta, virgo munda, alma salutis parens, et viri nescia, pariat nobis admirandæ lucis Solem, qui mundo caligine afflicto, mundo te-

ne-

nebris obruto et oppresso, salutiferum gratissimumque diem adducat. In hoc tu (mi Pater) matutino tempore, quod precor quod citissime desideranti orbi ostendas. In hac aurora jucundissima quæ cœli mœstitiam discutiet, lætam restituet faciem, da mihi filium istum tuum audire, qui sui non miserebitur, ut omnium tu miserearis. Qui quoniam efficiet ut ne quisquam in te spes suas frustra collocarit, en ego cogitationes omnes cunctas spes meas in te unum tuamque probitatem confero.

Peccavi, mi Domine, grande scelus flagitiumque commisi, fateor, agnosco. At ego qualis tandem cumque sum, qualis fui, nocens, innocens, bonus, malus, tuus, tibi deditus semper fui. Etiam dum peccabam, mihique in mentem veniebat tui, de tua clementia benignitateque nihil desperabam, in tua misericordia confisus audebam vivere. Miserere mei miserrimi, illumina meos oculos, qui cæcus, qua ingrediundum mihi sit, non video. Accende rursus lucidissimam illam intra me lucernam, quam ego in tuas æquissimas leges peccans extinxi: quæ me clara in luce ambulare faciebat, quæ notas apertasque omnium meorum gressuum vias reddebat, angulosque omnes non publicarum modo viarum, non compitorum, sed domus quoque meæ mihi illustrabat. Et quoniam tantam ducem acerba mea sorte, et ut aperte dicam, mea insanissima culpa amisi; at saltem vias, oro, me (Pater) edoce, quibus mihi ambulandum sit. Ne dum cæcus viarumque ignarus ingredior, ut sunt omnia scrobibus, voraginibus, innumerisque periculis plena, qui antea videns sciensque tam fœde corrui, nunc incalamitosum aliquem inexplicabilemque et extremum incidam casum, in quo et solus, et cæcus, et imbecillus vitam miserrime finiam.

Et quod miserabilius multo esset, hanc animam quam ego tibi commendo soli, quam ad te semper erigo, perpetuum ad supplicium e corpore emittam. ¿Quis mihi tam hostis est, cui hoc possit esse jucundum spectaculum? ¿qui voluptatem ex tantis calamitatibus meis fructumque aliquem accipere possit? qui non potius lacrimas det misericordia victus, quum res paulo ante florentissimas, modo tam afflictas videat. Verum si a diabolo non impetro ut opibus dignitatibusque meis ab ipso per nimiam frau-

dem ademptis contentus sit, animam ne petat. Si ille adduci non potest ut quum ademerit mihi omnia, quæ tua in me benefica patria caritas contulerat, ne lucem quoque hanc et spem exiguam vitæ eripere cupiat. Si non satis habet odium in me suum meis tantis malis expellere, nisi etiam me æternis addictum velit suppliciis: unum perfugium, mi Pater, una spes reliqua mihi est, tua illa perantiqua bonitas et misericordia. Quæ si manet, ut ego manere certum habeo, salvus etiam nunc esse possum. Ad istam igitur immensam misericordiam, ad hunc tutissimum tranquillissimumque portum ex tanta tempestatum vi, ad hanc unam salutis aram confugio, mi Pater.

Ad te unum venio, tamquam ultimam eamque maximam vitæ salutisque spem. Qui si ejeceris, actum est de me, nemo recipiet: ad te perfugio, ut tu unus defendas, et tuearis, quem tua benignitate creasti: cui rationem, cui dedisti notitiam summæ tuæ majestatis, quem ad id fecisti, ut civis tuæ essem civitatis. Ad te consulem civis confugio, ut mihi consulas: ad te parentem patriæ, ut pater filio provideas: ad te Imperatorem, ut obsesso militi tuo feras opem subsidiumque, ut ex manibus cruentissimi hostis liberes, et eripias quàmprimum, gloriosamque civicam reportes. Et quomodo tu meus es Imperator, te precor, ut tua me doceas edicta: omnium princeps, obsecro, tuas mihi leges ostendas. Quoniam Deus, obtestor, ut voluntatem tuam indices mihi, desque modum, des consilium, des etiam vires facultatesque, quibus me totum illi tuæ voluntati possim aptare, dictis parere, jussa libens alacerque capessere, et omnia ita exequi, ut tibi, cui maxime studeo placere, grata sint. Procul a me tam nefarium scelus aberit, ut exciderint mihi, quanta sint a te mihi collata. Scio neminem unquam tam impudentem fuisse, qui a te, optime, maxime Deus, tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas tu, mi Pater, ad me contuleris.

Teneo etiam memoria, me aliquando tam occæcatum præcipitem ruisse, ut tuis jussis contraire fuerim ausus. Verum quod etiamnum spes superfit, quòd verba facere ausim, tibi imputabis: tu enim præstas, qui benignitate et clementia tua hanc mihi audaciam præbes, qui nobis aditum ad misericordiam veniam-

que

que nostri delicti aperuisti, qui modo nos criminis pœnituerit, bono esse animo jussisti. Quòd si hoc diabolum hostem meum male habet, si se nobiliorem natura quàm ego sum, pejore conditione esse queritur, si te iniquum judicem appellat, uno verbo huic ego dicto occurram: faciat idem ille quod modo ego, qui feci antea quod ipse; et idem is quoque speret, quod ego quoque spero, quod peto, quod requiro: vide quid dicam fretus benignitate ac clementia tua, postulet ipse, quod et ego meo quasi jure nunc postulo, et confidat se assequuturum, quod ego confido. Neque enim æquum est ut venia prosit illi, qui se peccasse aliquid non agnoscit, veniamque non requirit, qua se non credit indigere. Tu ergo idem fer mihi opem calamitoso, qui opis spem dedisti. Adsit modo tua illa misericordia mihi precanti, quæ occurrere miseris afflictisque solet, nullius oratione evocata.

MEDITATIO.

O Me fortunatum, o me vere beatum, vere felicem, o bono et fausto illos die natos, qui suarum omnium rerum spem et rationem in te uno ponunt: miserrimos illos, qui a te fonte dulcissimo totius boni, totius salutis, totius felicitatis scaturigine, ad alias vilissimas, frivolas et momentaneas divertunt regulas. ¿Quantum me pœnitentiæ meæ fructum, quantam voluptatem cœpisse putatis? Per eum qui mihi tam inenarrabile gaudium tribuit, per eum qui me uno suo veniæ nutu beavit, juro, me orationem nullam habere, qua vel minimam tantæ lætitiæ partem queam explicare: ita exulto, tanta sum voluptate perfusus, tam mihi sunt modo universa jucunda, cui paulo antea nihil non displicebat, nihil non erat molestissimum. Nulla est in vita delectatio, nulla sanitas, nulla jucunditas, nihil dulce, nihil gratum, quod mihi nunc adesse non videatur, meque ita oblectamentis adeo multis frui, ut extra me mihi positus esse videar. Neque hanc credo me mortalem vivere vitam, sed cum Angelis inter illas hominibus incognitas delicias. Proh mi Pater, mi Domine, mi Deus, mi liberator, omnia mea.

Tu ergo mihi quicquid optavi præstabis, eo amplius, eo copio-

piosius meliusque, quo tu nobis omnibus melior, quo nostri diligentior es, quàm nos tui. Spiritus ille tuus omnium bonorum operum auctor, illa caritas, illa lux, ille totius felicitatis salutisque dux, per exilium hoc in terram meam, in patriam, in civitatem reducet: ex hac terra tenebrosa caliginisque oppleta, ad terram illam quam tuum perenne collustrat lumen: ex terra in qua

Carduus et spinis surgit paliurus acutis, (1) quæ
Infelix lolium et steriles producit avenas. (2)

ad illam, quæ mollem violam purpureumque procreat narcissum: ex terra quæ data est in manibus impii, ad terram in qua tu dominaris omnium optimus: ex hoc aspero saxeto in amœnissimos et uberrimos campos: ex hac terra vallosa, montosaque, curva, obliqua, turbinis et tumultus plena, ad rectam illam quietissimam, in qua tu me hic mortuum vivificabis, atque ita vitali restitues luci, ut mori postea nulla vi, nullis dolis, nulla fraude queam. Confirmatus enim judicio illius tuæ humanis mentibus incomprehensibilis justitiæ, ita firmus in sede meæ civitatis constituar, ut avelli eradicarique inde non possim, etiamsi orbis iste totus, et quæcunque in eo sunt, ad me de loco exturbandum meo conspirent, nisi tu voluntatem consensumque tuum illis adderes. Quod futurum verendum mihi non est, quippe volita illa tua ut æterna, ita et sunt immutabilia. Itaque de ærumnis, de miseriis, de calamitatibus, de tempestatibus peregrinationis et somni hujus, quam nos vitam appellamus, animam meam ad te revocabis, hoc est e tenebris ad lucem, e nocte ad diem, a morte ad vitam.

Atque hunc istum diabolum tu mei misertus, in suas tartareas sedes profligatum ita convincies, ut maleficiorum suorum det perpetuas pœnas; nec filios civesque tuos unquam posthac verbis lacessat, artibus suis infestet, invidia odioque suo vexet. Videbo ego vindictam horum, quæ ipse mihi attulit malorum, et eum qui me miserum calamitosumque esse voluit, talem ego conspiciens lætabor, securusque in ejus luctu ridebo. Et ipse ego a te in tuam clientelam receptus, in quam me perpetuo dedo, devoveoque, tuas illas inhabitabo ædes, in quibus fruar placidissima pace, fruar gratissima tranquillitate et otio, fruar omnibus gaudiis, omnibus voluptatibus,

ero

(1) Virgil. Eclog. V. v. 39. (2) Ibid. v. 37.

ero undique lætitia constipatus. Quocunque oculos circumtulero, nil non gratissimum dulcissimumque occurret. Omnia erunt jucunda, omnia suavia, omnia plena illo florenti semper et immarcessibili oblectamento. Quæ universa in tui unius (mi Pater) conspectu sita sunt, atque alia permulta his omnibus longe augustiora, longe præstantiora. Quæ quoniam nec vidimus, nec audivimus unquam, et excogitare cunctæ mentes humanæ non possunt, idcirco nos illa, quæ aut quanta sint, nec explicare dicendo, nec animo et cogitatione hic consequi valemus. Qui tamen ejusmodi rerum post vitam hanc bene sancteque actam, in altera illa meliore ac immortali compotes fiemus. Amen.



JOAN-

JOANNES LUDOVICUS VIVES,

DOMINÆ CATHARINÆ REGINÆ ANGLIÆ,

PATRONÆ UNICÆ,

S. D.

JUssisti ut brevem aliquam rationem conscriberem, qua in Maria filia Tua instituenda præceptor ejus uti posset: parui libens tibi, cui in rebus multo majoribus obsequi vellem, si possem. Et quoniam institutorem illi doctum in primis hominem ac probum (ut par erat) delegisti, res velut digito indicasse fui contentus, ille reliqua explicabit: quæ tamen aut obscure tradita, aut prætermissa ab scriptoribus artis Grammaticæ putavi, ea paulo pluribus consignavi verbis. Christum precor, ut hæc docendi ratio et ad eruditionem, et ad virtutem filiam Tuam impense juvet. Vale, et hunc meum animum addictissimum Majestati Tuæ scito. Oxoniæ, Non. Octob. M. D. XXIII.

PRÆFATIO PRÆMISSA EDITIONI Lugdunensi, anno M. D. XXXIX.


Apud Heredes Simonis Vincentii.

GEORGIUS BUCHANANUS LECTORI.

CUm jam ad umbilicum perductus esset hic libellus, mihi visus sum non ab re facere, si Ludovici Vivis epistolam *De ratione studii* huc adjicerem, non tam ut vacuas explerem paginas, quàm ut ne malos medicos imitatus esse videar, qui laborantibus sæpenumero pharmaca præscribunt, ceterum rationem illis utendi pænitus omittunt: quam qui non in omnibus rebus tamquam scopum intuetur, is quæ alioqui utilissima sunt, ea frustra et ad nullum usum sibi comparata esse sciat. Præterea ut libellus ad filiam, ita epistola ad matrem, atque adeo ad filiam instituendam missa est, in qua cum de aliis rebus pluribus, tum de his rudimentis habes eruditissimi viri judicium. Vale, et fruere.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI
EPISTOLA I.
DE RATIONE STUDII PUERILIS.
LECTIO.


ITTERARUM sonos doceatur plane, et diserte proferre: neque enim parvi ad insequentem institutionem interest, quomodo didicerit elementa et syllabas pronuntiare. Sciat ex litteris esse alias vocales, alias consonantes, quot sint illæ, quot istæ, et cur sic dictæ. Esse ex consonantibus alias mutas, quæ a se incipiunt, et finiunt in vocali, ut *b*, *c*, *d*: sic vocantur, quòd quum fari incipiant, nisi succurrat vocalis, obmutescunt. Alias semivocales dici; ex iis quasdam liquidas, ut *l*, *m*, *n*, *r*. Tum duas ex vocalibus *i*, et *u*, transire in consonantes, quum post eas sequitur vocalis, cui in sono junguntur, ut vivo, juvo, conjicio, vinum, vulpes. In Græcis dictionibus nunquam ἰῶτα fit consonans: ideo nec Jacobus nec Joannes consonantem *i* habent: *v* consonans apud eos est βῆτα: vocalis *u* et ȣ diphthongus: quocirca assuescat scribere *u* vocalem hac forma propter græcum υ, quod sæpenumero apud Latinos in *u* transit, ut Sylla Sulla, Tybur Tubur: et consonantem hac *v*, propter βῆτα Græcum. *Syllaba* dicitur quasi comprehensio litterarum; sed ex sola vocali potest fieri syllaba, ut Maria, Jesus. Tum discat syllabam constare aut ex vocali sola, aut ex vocali et consonante, aut ex vocali et consonantibus: sine vocali nunquam fit syllaba; et quot sunt vocales, totidem syllabæ: ex vocalibus fieri diphthongos quatuor: duas scribi et proferri: duas scribi, et non proferri, nisi quòd paulo crassior est sonus, quàm si esset vocalis simplex. Eadem in litteris Græcis ostendenda, ut emendate sciat in utraque lingua legere. Infigenda

hæc sunt et inculcanda, ut recte litteras et syllabas sonet, nec ullum insit in ore vitium.

PARTES ORATIONIS.

DEinde sciet esse apud Latinos octo partes orationis: quatuor variabiles, et quatuor invariabiles. Ex variabilibus, quæ significant fieri aliquid, et inflectuntur per modos et tempora, hæc dicuntur *verba*: quæ declinantur per casus, et significant aliquid fieri in tempore, dicuntur *participia*. Certa quindecim sunt *pronomina*, reliqua *nomina*. Ex invariabilibus certas quinquaginta esse *præpositiones*: eas vero quæ conjungunt ac velut convinciunt orationis partes vocari *conjunctiones*, *convinctiones* olim: esse nonnullas subitum mentis affectum exprimentes, quæ vocantur *interjectiones*; reliquas *adverbia* nominari. Hæc sint a nobis crasse ac ruditer utcunque ostensa, sicut et alia in libello omnia magis ut indicentur, quàm ut exacte a nobis exprimantur.

SCRIPTIO.

INter hæc omnia det aliquid temporis formandis litteris, non tam eleganter, quàm velociter, ut si quid præceptor dictet, ipsa suis scribat digitis. Si quem auctorem legat, et vel verbum vel sententia placeat, excerpat: magis hærent memoriæ quæ nos ipsi manu nostra scripsimus, quàm quæ alii. Interim etiam dum scribimus animus a cogitatione rerum sive levium sive turpium avocatur. Versus qui ad imitationem proponuntur, contineant gravem aliquam sententiolam, quam juvet edidicisse; nam toties rescribendo, necesse est infigatur animo: dabitur opera ut initio saltem imitando castigate scribat.

MEMORIA.

MEmoriam quotidie exerceat, ut nullus sit dies in quo ipsa aliquid non ediscat: sic et acuetur ingenium, et facillimam sibi ac promtissimam parabit memoriam, ut postea quæcunque libuerit, nullo retineat negotio, et firmissime, durantque in reliquam vitam quæ ista ætate percipiuntur. Initio de nocte cubitum itura, attente bis aut ter releget quæ memoriæ mandari volet, et postridie mane a se reposcet.

INFLEXIO NOMINUM.

INcipiet nomina inflectere, et discet esse sex nominum genera. ***Masculinum***, quod signatur hac voce *hic*. ***Femininum***, quod ista *hæc*. ***Neutrum***, quod *hoc*. ***Commune***, quod *hic*, et *hæc*. ***Omne***, quod *hic*, *hæc*, *hoc*, aut per tres voces. ***Dubium***, quod signatur per ista duo *hic*, vel *hæc*, id est, quod si volumus potest esse masculinum, et si volumus femininum: ut margo, cortex: dicimus enim amarus cortex, et amara cortex. Et inter *commune*, et *dubium*, hæc est differentia: quòd quum omne genus pertineat ad adjectiva, communi cum additur adjectivum, respiciendum est de quo sexu loqueris; et sic adde genus adjectivi, quod postquam addidisti, non potes mutare de eodem loquens: in ambiguo vero liberum est utrumcunque genus adjectivi libuerit addere, et postquam addideris, de eodem loquens mutare: ut si dicas albus canis, de mare bene dicis, de femina non bene, et postquam dixisti de mare albus canis, de eodem non licebit dicere alba canis: at de quacunque cortice loquaris, dices ut voles, albus cortex, sive alba cortex: et postquam illud dixeris, de eodem loquens cortice, dices alba cortex. ***Promiscuum***, quod Græci epicœnum, non est genus: nam hic de natura rerum non loquimur, sed de qualitate vocum. ***Substantiva***, sive substantialia, sive appellativa nomina dicuntur omnia, præter illa quæ sunt omnis generis: hæc vero dicuntur epitheta, sive adjectiva.

Illud annotabit propter sola adjectiva reperta esse in substantivis genera, nam si adjectiva non essent, nihil esset opus generibus: ut quum dicimus, revereor patrem, ne lædas hominem, exclude canem, non refert cujus sit generis: si sit addendum adjectivum, tunc considerandum est cujus generis. Posthac tradentur numeri duo: nam dualem Græcorum non recipimus Latini, nec magnopere observant Græci. Tum casus seni in utroque numero: additur a quibusdam septimus, cujus meminit Quintilianus, et post eum Servius, ut precibus Deum placo. Vocativus semper similis est nominativo, præterquàm in quibusdam nominibus primæ declinationis, et secundæ. Nomina neutra habent accusativum et vocativum similes nominativo, et in plurali hi tres casus

finiuntur in *a*. Nomina composita sic declinantur ut sua simplicia. Hinc explicandæ declinationes quinque, quomodo prima cognoscatur ex genitivo singulari vel plurali, et quod habeant finitiones in nominativo, et quemadmodum omnia nomina hujus declinationis finita in *as*, vel in *es*, sint Græca. Hic inflectet nomina hujus declinationis. Secunda quomodo cognoscitur, et quod habet fines. Tertia itidem, in qua sunt undecim fines *a*, *e*, *o*, *c*, *d*, *l*, *n*, *r*, *s*, *t*, x. Hinc sequuntur quarta et quinta. Post hæc incipiet discere congruentiam adjectivi et substantivi in numero, genere, et casu: in qua exerceatur aliquandiu multis exemplis propositis.

DE VERBIS.

JAm ad verba veniendum, in quibus duo sunt noscenda naturæ verborum, et syntaxes sive constructiones. Quinque sunt modi in verbo. *Indicativus*, et quasi narrativus, per quem referimus aliquid, in quo sunt quinque tempora: *præsens*, *tria præterita*, et *futurum*. Inter præterita hoc est discrimen, quòd *perfectum* significat rem actam, sicut nomen ipsum sonat: *imperfectum* significat rem nondum fuisse perfectam aut transactam eo tempore de quo loquimur: *plus quàm perfectum* significat rem perfectam ante aliam factam, ut cœpi legere hora decima, tunc e lecto surgebat, et mater tua jam fecerat rem sacram. Ita præteritum imperfectum et plus quàm perfectum ad aliquid aliud referuntur, cujus ratione aut imperfectam rem aut plus quàm perfectam denotant. Addunt nonnulli futurum perfectum, quod subjunctivi esse dicitur: id propterea perfectum nominatur; nam si dicas, quum cœnabo, significas inter cœnandum: sin vero quum cœnavero, id est perfecta cœna. *Imperativus modus*, quod per illum imperamus, sed et precamur hoc, et adhortamur: duo dederunt huic tempora, præsens et futurum: additur et futurum subjunctivi huic modo: ut dixeris, feceris, præcipue cum negatione, ne dixeris, ne feceris, et negatione *ne*, aut *neque*, nunquam autem, *non*.

Optativus per quem optamus: huic placet esse quinque tempora, *præsens*, et *præteritum imperfectum*, utinam discerem: *præteritum perfectum*, utinam didicerim: *præteritum plus quàm perfec-*

tum

tum, utinam didicissem: *futurum*, utinam discam. *Subjunctivus* quia subjungit aliam orationem, ut quum benefeceris, lætare: quinque sunt huic tempora, et solent ea interdum capi pro temporibus indicativi. Dehinc infinitivus cur dicatur, et quod habeat tempora. Addidit Thomas Linacer modum potentativum, idque merito et docte: hunc trades, quum paulo plus in litteris erit progressa. Exercenda est in modis, et temporibus diligentissime, addita voci Latinæ Britannica quæ illi respondet, et usus ostendendus, nam Britanni ex proprietate vernaculæ linguæ, nonnunquam in temporibus peccant. Hæc ubi erunt cognita, sciat numeros esse in verbo geminos, personas ternas. Interea inflectet verba per quatuor conjugationes: simul discet, quibus hæ conjugationes inter se notis distinguantur: habebitque generalia quædam de illis præcepta quæ spectent ad præterita, et supina: ut in prima declinatione præteritum terminari in *avi*, supinum in *atum*. In secunda in *ui* vocales, et supinum in *tum* varie. In tertia nonnulla præterita et supina exempli causa adferentur, nam res est multiceps. In quarta præteritum in *vi* syllabam, et supinum in *itum*: quæ excipiantur ab iis canonibus, procedente tempore paulatim cognoscet.

SINTAXIS.

TUm veniendum erit ad eam, quæ Græcis dicitur *Syntaxis*, Latine constructio. Primum intelligat orationem nullam posse constare sine verbo; nec verbum posse poni sine objecto aut supposito, vel explicito vel implicito, ut in prima persona et secunda. Suppositum hoc et verbum quomodo debeant congruere, ne vitium admittatur. His cognitis venietur ad quinque verborum genera. *Activum*, quod finitur in *o*, et habet passivum in *or*: huic datur nominativus in re agente, et hæc est suppositum: datur accusativus in re patiente, seu recipiente accusativum verbi, ut Maria amat matrem suam. Sunt ex his verbis alia, quæ præter istos casus admittunt genitivum, ut Deus accusat genus humanum ingratitudinis; et superbus postulat superbum arrogantiæ. Alia dativum, ut suade optima etiam inimicis; præbe egenis necessaria. Alia accusativum, ut ne doceas philomelas cantum; rogo Deum bo-

bonam mentem. Alia ablativum sine præpositione, ut exuis pavonem plumis, quibus ornes canem. Alia ablativum cum præpositionibus *a* vel *ab*, vel *e*, vel *ex*, vel *de*, ut audi jucundam fabellam a patre, ex patre, de patre. Istæ possunt dici formæ sive species verborum activorum; et casus isti, præter nominativum et accusativum rei agentis et patientis, dicuntur casus speciales.

Passivum verbum est quod ex activo fit addita *r*: ut amor ab amo. In re patienti, seu quæ fit, habet nominativum, et hoc est suppositum: in re agenti ablativum cum præpositione *a* vel *ab*, vel dativum, interdum accusativum cum præpositione *per*: casus speciales eodem modo manent in activa et passiva, ut Maria amatur a matre, et ornatur ab ea virtutibus. *Neutrum* est, quod finitur in *o*, et non habet passivum in *or*, nisi in tertiis personis: quandoque nominativum habet pro supposito. Ex istis alia habent genitivum post se, vel ablativum sine præpositione, ut bonus homo iracundia caret, et indiget Dei solius. Alia dativum, ut Maria inservit matri; et sapiens tempori paret. Alia cum præpositione junguntur, quæ nominantur absoluta, ut cœnata deambulo in porticu; pulcher animus habitet in pulchro corpore. Alia habent ablativum sine præpositione, ut ardeo amore probitatis; malus flagrat cupidine vindictæ. Alia ablativum cum præpositione ut verba passiva, et significant passionem, ut desides pueri merito vapulant a præceptore. Sed multa accusativum significantem rei verbi, ut servio servitutem, curro cursum; vivo vitam.

Sum es ponitur inter neutra, quod ante se habet nominativum, post se interdum nominativum, quum res pertinent ad idem, ut virtus est maximum bonum; et genitivum, ut liber hic est Mariæ; et dativum, ut eruditio est omnibus magnæ voluptati; et ablativum, ut sis puella modesta facie, probo ingenio. Adduntur composita hujus verbi undecim, *adsum*, *absum*, *cet.* quæ post se recipiunt dativum, adsum virtuti, desum vitio. *Commune verbum* finitur in *or* sine activo, et retinet significationem activam et passivam: quum capitur in significatione activa, habet constructionem verborum activorum; quum in passiva, verborum passivorum: ut ego veneror probitatem; probitas veneratur a me; quod tamen est

ra-

rarius, et sunt hæc perpauca. *Deponens* finitur in *or*, sine activo in *o*, et alteram significationem retinet, activam in pluribus. Hæc verba pro supposito, quemadmodum et cetera, nominativum habent, post se vero alia genitivum: ut miserere communis naturæ; recordare accepti beneficii. Alia dativum, ut dominare cupiditatibus, obsequere bene monentibus. Alia accusativum, ut sequere Deum, et nancisceris germanam beatitudinem. Alia ablativum sine præpositione, ut utor, non fruor pecunia. Alia cum præpositione, quæ passionem significant, ut ex paucis verbis magnum bellum oritur.

Habebit formulam, omnia verba recipere dativum in re cujus designatur utilitas, vel commodum, vel damnum, ut Cato docebat sibi suum filium; perdo tibi tuam pecuniam: sæpe ex proprietate Latini sermonis, quam facilius est intelligere quam explicare, ut ego tibi hominem illum bellissime tractavi. Tum et nominativum habet post se, quum pertinet ad idem quod suppositum, ut ego disco libens litteras; inservio tibi lætus; tu vocaris Maria; tu diceris, prædicaris, scriberis, putaris, haberis bona; recta conscientia vivit semper læta; expeditus currit celerior. Istorum omnium satis erit in singulis speciebus unum aut alterum, ad summum tria exempla proponere: inter loquendum vero aut legendum annotetur, quæ verba ad quas species pertineant: sic fiet in verbis impersonalibus, et in aliis quæ dicemus: danda est opera ut exempla sint interdum gravia, quæ sancte illam erudiant; interdum festiva, quæ delectent; admiscebuntur castæ et puræ aliquæ fabellæ, quæ animum ejus reficiant, et redintegrent, tum etiam excitent.

PARTICIPIA.

DEinde sequuntur participia, quæ Latini habent trium temporum, et unde formantur: hæc explicabuntur, et quæ significant actionem, quæ passionem. Ante se nullum habent casum, post se vero casum sui verbi, ut inserviens foro; dilectus a patre; cariturus vitio; docendus a bono Magistro.

VERBALIA.

SUnt quædam voces, quæ habent participiorum faciem, et sunt no-

nomina, quæ tempus nullum designant, ut amans librorum; fugitans litium; homo venerandus: verbalia nominantur. Sunt et verbalia in *or*, quæ formantur ab ultimo supino, ut amator; suasor; et alia feminina in *trix*, quæ fiunt a verbalibus in *tor*, ut amatrix, genitivo junguntur.

ANOMALA.

SCiet quæ participia, quibus verbis vel adsunt, vel desunt; et verba, quæ formulas generales in inflexione sequuntur, quæ non. Illa etiam quæ anomala dicuntur, vel defectiva, ut *ajo*, *inquio*, *quæso*, *salve*, *vale*: vel varia declinatione, ut *fero tuli*, *sum fui* Postea quæ multiplicem habent constructionem, id est, quæ variis jungi possunt casibus, ut recordor hanc rem, et illius rei; postulo te hujus criminis, et de hoc crimine: qua de re scripsit libellum Antonius Mancinellus, quem thesaurum appellavit. Hæc quum erunt semel utcunque exposita (neque enim tradi exacte necesse est) adhibebitur compendium grammaticæ Thomæ Linacri, et libellus de constructione Melanchthonis, et qui circumfertur Erasmi nomine, simul et ejusdem colloquia, vel tota, vel selectam a præceptore partem.

VOCABULA.

EX quibus retinebit aliquot vocabula et loquendi formulas, quibus in sermone quotidiano utetur, quas subinde expediet ab ea reposcere, ne excidant, et jubebitur alios sic alloqui. Expediet conscribi illi dialogos aliquot iis de rebus, in quibus quotidie versatur, ut illis Latine nominandis assuescat, velut de indumentis, de partibus ædium, de cibis, de partibus temporis, de instrumentis musicis, de supellectile. Vocabulorum veræ et propriæ significantiæ explanabuntur, ne improprie utatur. Tum differentiam inter illa, quæ similia videntur, et congruentiam inter ea, quæ dissimilia. In hoc proderit non totum Vallam enarrare, sed quædam ab illo excerpta, qualia Nebrissensis collegit, et Antonius Mancinellus: sed acri opus est judicio, ne frivolas, aut parum observatas, aut falsas quoque præceptor perhibeat, cujusmodi sunt haud sane paucæ in Valla, Nonio, Servio, Donato, sed

ma-

maxime in Gellio. Etymologias quoque multorum, cur dicta sint, accipiet; sic enim verius et certius tum intelliget, tum continebit, et ea cognitione delectabitur; multumque in his latet peritiæ modo recte et acute expendantur, nec undecunque frivolæ aut ridiculæ corrogentur, quod fecerunt, patrum et avorum memoria, qui hanc partem tractandam susceperant Latini et Græci sermonis penitus ignari: annotabuntur ei quæ usu ineruditorum barbara vocabula usurpantur, et quæ sunt quidem Latina, sed inversæ significationis.

EXERCITATIO LATINE SCRIBENDI.

INcipiet hoc loco oratiunculas ex Anglico in Latinum vertere, faciles initio, paulatim difficiliores, per omnia genera et formulas verborum, sed partim graves et sanctas, partim festivas et urbanas.

AUCTORES.

SImul cum his discet Catonis disticha, et mimos Publianos, et sententias septem sapientum, quæ omnia eodem libello Erasmus conjunxit et explicavit. Ediscet ex illis sententiolis aliquot vitæ maxime utiles, quas habeat in posterum velut antidota adversus venenum et prosperæ fortunæ, et iniquæ. Assuescat jam nunc in hac tenera ætate veras et incorruptas habere opiniones, ut ea sola bona putet, quæ vere sunt talia, velut virtutes, et eruditionem; ea mala, quæ re vera mala, ut vitia, et ignorantiam, et stultitiam; ne mala pro bonis sumat, aut econtrario; ne tenuibus et exiguis rebus tamquam magnis capiatur, et moveatur, ne etiam magna et pretiosa tamquam vilia contemnat. Delectabitur fabellis, quæ vitam erudiant, quas ipsa aliis referre possit, ut de Papyrio Prætextato puero apud Gellium, de Josepho in sacris libris, de Lucretia in Livio, de Griselide vulgata jam fabula; et aliis, ut ex Valerio, Sabellico, et hujus notæ scriptoribus, quæ pertinebunt ad aliquam commendationem virtutis, aut detestationem vitii. Habeat dictionarium Latinum et Anglicum, quod sæpe consulat, ut sciat quid quodque vocabulum significet; res quum non intelliget explicabuntur a doctore. Turpium et fœda-

rum rerum vocabula nec intelligat, nec si fieri possit, legat, vel audiat. Conficiat sibi libellum ex vacua charta, in quo sua manu conscribat sententiolas, quas memoriæ mandatura est, eritque ei vice cujusdam enchiridii.

REDITUS AD PRIORA EXACTIUS.

HOc loco repetet quæ de quinque verborum generibus dicta sunt; post ad verba quæ dicuntur impersonalia, quorum alia sunt activæ vocis; alia passivæ; activæ vocis cur dicantur, et eorum esse species quinque, aliorum quæ ante se habent genitivum, post se infinitivum, ut interest hujus parasiti assentari, et canis hujus adulari, si velint esse; quæ dativum et post se infinitivum, ut stulto non placet audire verum; quæ possunt esse personalia mutata constructione, ut tu proba placebis matri; alia quæ ante se accusativum post infinitivum, ut decet nobilem non superbire, oportet te esse culicem non hominem; alia quæ ante se accusativum, post se genitivum, vel infinitivum, ut pœniteat te peccati, aut peccasse; alia quæ quum adduntur verbis impersonalibus, sunt impersonalia, et habent constructionem eorum; quum vero personalibus, sunt personalia, ut incipit me tædere ludi hujus, et ne incipias senex insanire, non potest Athenienses pœnitere Phocionis, qui unus poterat, et solebat stultas illorum consultationes improbare. Verba impersonalia passivæ vocis sunt similia tertiis personis singularibus verbi passivi, veniunt ab activis et neutris, nullum habent suppositum, post se vero casum verborum, a quibus descendunt, ut a nobis auditur, a vobis statur in cubiculo, sedetur in triclinio, estur, bibitur affatim: si quis addat suppositum fit passivum, ut scribitur liber; aratur ager, luditur alea. Sequitur constructio infinitivorum; illa est fere communis ante se habere accusativum pro supposito, post se casum sui verbi, ut me legere tibi librum erit utile: adduntur verbis in quibus diligenter est animadvertenda constructio.

Nam sunt multa verba quæ ante se, et post se etiam interjecto infinitivo eundem casum requirunt quum res eodem refertur: exemplis res est declaranda, ego volo pudica esse, tu velles fuisse ad tales epulas invitatus; nisi si quis adderet accusativum

an-

ante infinitivum, ut ego volo me esse litteratam; jam in aliis: Socrates talis philosophus non potest esse ferox, Maria existimatur et dicitur esse castissima; et in hoc verbo videor, ego videor tibi esse litterata, tu videris mihi esse sancta, Romani videntur nobis nimis cupidi belli et pecuniæ, dico auriculas tuas videri galeros non auriculas, mihi licet esse doctæ, tibi vacat esse diserto. Hinc de constructione gerundii et supini, quæ est apud Vallam, et ex illo apud recentiores, istud animadvertetur, gerundium adjectivum non venire nisi a verbo cui additur accusativus, et ratione illius casus non enim dicimus, veni huc tui serviendi causa, vel ad carendam voluptatem, nec ad scribendum te, vel scribendo tibi, ut sit adjectivum; sed causa observandi tui, cogito de te docenda, propter vos erudiendos. Commodum nunc erit explanari vim potentativi modi, quæ sunt voces temporum subjunctivi; ut ¿tu virgo hoc dicas? ¿quis homini tam mendaci crederet? peccaveris sane, sed semel; nemo sic dixisset; nunquam accessero pravis consultoribus. His cognitis venietur ad significationem et syntaxin reliquarum partium orationis, de vi pronominis, de adverbio, de præpositione, de conjuncrione; quibus addatur verbi modus, et quomodo conjungat; interjectio cur sit ita appellata, quòd per affectum interponatur orationi; ut ¡magnum heu fecerat nefas! Poterant ista dici a me fusius, sed admonere satis habui quæ ab aliis essent copiose tractata; quæ omnia usus et lectio auctorum explanabit ac expoliet, reddetque ut apertiora, sic etiam certiora.

SERMO.

LOquatur cum præceptore et condiscipulis Latine: quas habeat tres aut quatuor, nam solam institui non conducit; sed nec plurimæ sint, et eæ puellæ, atque etiam selectissimæ, liberaliter et sanctissime educatæ, a quibus nihil audire possit, aut discere, quod mores corrumpat, quorum prima semper debet esse cura: stimuletur modo præmiolis, modo contentione, et æmulatione, laudetur ipsa, laudetur et alia ipsa audiente: conabitur exprimere quæ apud auctores legerit; et quemadmodum alios audierit loquentes, quos putet eruditos esse, attente auscultatos, sic et loquetur ipsa,

in quo est imitatio res in studiis non parum utilis, præsertim teneræ ætati, quæ nihil libentius aut melius, quàm imitatur: nec solum voces æmulabitur, sed pronuntiationem quoque, ne in accentibus peccet.

ACCENTUS.

DE quibus cognoscat initio generalia præcepta, duo in primis in sermone Latino. Penultima syllaba longa, in ea est accentus, ut parêntis. Altera: Penultima brevi, in antepenultima est accentus, quantacunque sit, ut hóminis, dóminus. In ultima nullæ Latinæ dictiones accipiunt accentum, præter pauca inflexibilia, ut porrò, unà, illò. In dissyllabis omnibus accentus est in penultima, præter ea quæ dixi indeclinabilia. Tum licebit universalia illa cognoscere, de vocali ante vocalem quæ est brevis, de vocali ante duas consonantes, aut consonantem vim duarum habentem, quæ longa, et omnis syllaba diphthongo scripta longa est. Anxia illa de syllabarum quantitate, vel alias discet, vel non eget femina, quod magis puto. Observabit institutor, quemadmodum loquetur, vitiaque tum sermonis, tum linguæ sedulo repurgabit, ne hærere sinat; ostendet rationem, cur vel solœcismum castigarit, vel barbarismum, vel vitiosam pronuntiationem; hortabitur ut vitet, ne iterum idem peccet; si rursus eodem relabatur, admoneat prioris errati.

ANNOTATIONES.

HAbeat librum vacuum majusculum, in quem manu sua conjiciat tum verba, si qua, inter legendum graves auctores, inciderunt vel utilia usui quotidiano, vel rara, vel elegantia; tum loquendi formulas argutas, venustas, lepidas, eruditas; tum sententias graves, facetas, acutas, urbanas, falsas; et historias ex quibus exemplum vitæ suæ possit petere. Advertet etiam ubi, et quemadmodum grammaticorum serventur præcepta, ubi negligantur, nam ars grammatica ex usu auctorum nata est, ideo hic est arti præferendus, quum discrepant; ars tamen necessaria est, quæ recte et emendate loqui ex observatione docet.

AUC-

AUCTORES.

AUctores in quibus versabitur, ii erunt qui pariter et linguam et mores excolant, atque instituant; quique non modo bene scire doceant, sed bene vivere; hujusmodi sunt Cicero, Seneca, Plutarchi opera quæ sunt a variis versa, aliquot Platonis dialogi, præsertim qui ad rempublicam gubernandam spectant, Hieronymi epistolæ, et quædam Ambrosii ac Augustini opera, Erasmi institutio principis, Enchiridion, Paraphrases, et alia ejus permulta pietati utilia, Thomæ Mori Utopia. Historiam cognoscet non anxie ex Justino, et ex L. Floro, et Val. Maximo. Inter hæc omnia et cum surgit e lecto, et cum it cubitum, aliquid quotidie ex novo Testamento legat, quod præceptor declaret. Sunt et Christiani poetæ, quos jucundum fructuosumque erit legere, velut Prudentius, Sydonius, Paulinus, Arator, Prosper, Juvencus, qui multis in locis possint cum quovis veterum certare, elegantia carminis dico, nam rebus tanto sunt superiores, quantum bona malis præstant, et humanis divina. Nec sunt gentiles poetæ in totum aspernandi: Lucanus, Seneca Tragicus, et magna ex parte Horatius. Quum hos leget, vocabularium Latinæ linguæ habebit, Calepinum scilicet, aut Perottum, ad quem recurret hærens in Latina voce. Hanc puto esse rudem studiorum delineationem: exactiora tempus admonebit, et prudentia tua singularis inveniet.

FINIS.

JOAN-

JOANNES LUDOVICUS VIVES
Carolo Montiojo Gulielmi filio S. D.

QUum patri tuo, clarissimo et omni virtutum genere ornatissimo viro, ostendere cuperem quantum a me diligeretur, quòd ipse in me singulari semper benevolentia fuerit, decrevi aliquid ad te de initiis studiorum scribere, in quibus tota vis est et ratio deinceps eruditionis, ut in seminibus stirpium, ac frugum deinceps futurorum: dedi operam ne te præceptorum vel copia obruerem, vel difficultate deterrerem: omnia aptata sunt, quoad præstari a nobis potuit, captui istius ætate tuæ, aut paulo majoris. Libellum hunc quum tibi mitto, patri me tuo existimo mittere, cui virtus et institutio tua non minus curæ sunt, quàm sua sibi vita, qua tenerius te amabit, si talem te præstiteris, qualem ipse optat, probissimum videlicet et doctissimum: est in tua manu situm, ut utrunque ingenio et diligentia consequare. Vale, et exemplum, quod domi habes sapientissimi patris, imitare. Londini, M. D. XXIII.

EPISTOLA II.
DE RATIONE STUDII PUERILIS.

RELIGIO.

QUUM sapientia, et virtus, et scientia omnis divinitus contingant, æquum est ut primus aditus ad hæc omnia sit per Deum, in quem esse te maxima pietate, et ejus rebus interesse mente religiosissima, nec ullum opus ejus, quantumcunque leve, exequi signiter, aut perfunctorie.

OPERA.

ET quatenus Deus non dat munera sua otiosis, ideo labore et diligentia in studiis litterarum et virtutis opus est.

ME-

MEMORIA.

MEmoriam scito thesaurum esse totius eruditionis, quæ si desit, non secus supervacuus est omnis labor, quàm si in pertusum dolium aquam infundas. Sed nemini tam infelix contigit memoria, qui non eam felicissimam possit reddere exercitatione; nihil est enim quod magis opere et labore gaudeat: nihil quod facilius corrumpatur et intereat quiete ac otio. Quocirca aliquid quotidie ediscendum est, etiam quum non est necesse, tantum ne torpor memoriam invadat, quo nullus est illi morbus perniciosior. Continetur etiam memoria bona valetudine, cavendumque in primis a repletione, a cruditate, a crapula, a vino immodico, a densa cervisia, a supino cubitu.

PRÆCEPTOR.

PRæceptor non minus amandus, venerandus, colendus, quàm si esset pater: nam revera præceptores imaginem quandam nobis referunt patrum, et a nullo majus accipere potes beneficium, quàm a quo fis eruditior et melior: quibus duobus bonis nulla possunt in vita comparari: adde quòd facilius disces, si amaris docentem, cujus dicta nunquam vel contempseris, vel neglexeris: semper cum dignatione in animum admitte et oraculi cujusdam vice habe; nec solum illum ama, sed da operam, ut ab illo redamere, sic te ille diligentius docebit: quod assequeris parendo modeste ejus præceptis, observando eum, honorando, admirando quæcunque seu dixerit seu fecerit: si quid probarit in vita aut sermone, sic age, ut sentiat te illud probasse: si quid improbarit, vita. Attentus illum audi: verba ejus, formulas dicendi, sententias annota, et imitatione te similem ipsius, quoad facere poteris, effinge: quod præceptor quum videbit, dabit vicissim operam ne tu aliquid ex se possis accipere, quod imitatione sit indignum.

CONDISCIPULI.

COndiscipulos fratrum loco habe: geniti enim estis ab eodem magistro velut patre, et conjuncti sacris litterarum non minore vinculo, quàm sanguinis: idcirco illis non minus bene cupias, quàm

quàm fratribus. Si quis eorum est te doctior, ne oderis eum hac causa, sed fave ingenio; et contende ut doctrina et virtute sis par, etiam superes, quo similis tibi contingat favor.

CERTATIO.

CUm melioribus, aut sapientioribus te, ne certes invidia aut malevolentia, sed virtute, probitate, studio. Imperitiores te ne despice, potius adjuva et erige, ut valeant ascendere: neque enim pejor eris aut imperitior, si alios habueris tibi pares: sed melior, si opera tua illi eo evaserint. Quòd si omnes fuerint imperiti, nemo erit qui intelligat, ac proinde admiretur bona tua: pulchrum est profecto certare cum bonis, pulcherrimum eos vincere, recte quidem et per virtutem, extra dolum omnem.

ANNOTATIONES.

COmpones tibi librum chartæ puræ justæ magnitudinis, quem in certos locos ac velut nidos partieris: in uno eorum annotabis vocabula usus quotidiani, velut animi, corporis, actionum nostrarum, ludorum, vestium, temporum, habitaculorum, ciborum: in altero vocabula rara, exquisita: in alio idiomata et formulas loquendi, vel quas pauci intelligunt, vel quibus crebro est utendum: in alio sententias: in alio festive, in alio argute dicta: in alio proverbia: in alio scriptorum difficiles locos, et quæ alia tibi aut institutori tuo videbuntur: sicque hæc omnia habebis annotata et digesta, ne solus sciat liber: tibi legenda, relegenda, memoriæ mandanda atque infigenda sunt, ut non minus scripta gestes in pectore, quàm in libro: et occurrant, quoties erit opus: parum enim prodest libros habere eruditos, si pectus habeas rude.

DILIGENTIA SCRIBENDI.

CUra ut manu sis ad scribendum exercitatissimus, nec unquam ad audiendum institutorem accedas, penna et charta inermis, ne quod prætervolet verbum elegans, aut rarum, aut necessarium, vel formula loquendi lepida aut exculta, vel grave et sapiens dictum, quod non subito exceptum in tuos thesauros referas: sic tibi brevi tempore maximas eruditionis divitias paraturus.

LEC-

LECTIO.

NEc librum ullum legas quin eadem excerpas quæ de sermone præceptoris dixi. Nihil unquam legito animo peregrinante, et aliis rebus intento; totus in lectione esto: in qua tria sunt animadvertenda, verba, formulæ loquendi, et sensa: ut diligenter consideres, quibus utantur verbis ad res de quibus tractant, explicandas, quibus idiomatis, quibus loquendi formis. Tum res ipsæ sunt spectandæ, quid sibi velint ea de quibus loquantur: in singulis horum est quod signes, est quod teneas, est quod in usum tuum vertas. Adsit semper penna et charta: quæ miraberis, quæ te delectabunt, insignias aliqua notula; itidem et quæ te remorabuntur ut a magistro vel etiam condiscipulo sciscitere.

INTERROGATIO.

NEc pudeat rogare quæ nescis; neque enim hoc est turpe, sed ignoratio turpis est: nec velis persuadere aliis te scire quod ignoras: te ipsum falles, non alios, et deprehensus in ignorantia rideberis.

EMENDATIO.

QUæ reprehensa aut emendata, non solum in te, sed in aliis esse videris, cura ne excidant, tum ne ipse bis de eadem re sis corrigendus, tum ut aliena errata in utilitatem tuam vertas: sapiens enim ex alienis erratis vitam emendat suam.

SERMO.

UT audieris doctos loquentes, aut legeris apud scriptores Latinos, sic ipse loquere: verba quæ habebis suspecta sive loquendo, sive scribendo, fugito, ne prius sciscitatus sis ab institutore, quàm sint Latina: cum iis qui imperite loquuntur Latine, quorum sermo potest tuum corrumpere, malis Britannice, aut alia quavis loqui lingua, in qua non sit idem periculi: versare libens cum prudenter facundis: nullum est oblectamentum majus, quàm eos audire qui gestant in lingua morbis omnibus animi præsentanea medicamenta.

STILUS.

EXercendus est crebro stilus, optimus magister atque effector dicendi, et initio quidem non solum vocabulis uteris ex auctoritatibus desumtis, sed etiam sententiolis ex illis decerptis, apte tamen compositis, ut magna ex parte alienum sit scriptum; sensim admiscebis tua, donec crescente cum ætate eruditione, fias omnino tuus. Primum scribes pauca et accurate, ut spectes potius non quàm multa, sed quàm bona; nam accedente usu curam retinebis, et promtitudo ac facilitas exercitatione parabitur, ita simul et optime scribes, et facillime.

AUCTORES.

INterea dum tu per ætatem judicare de auctoribus non potes, hos tibi censeo, et ad locupletandam linguam, et variarum rerum cognitionem, in primis tenendos. Ad quotidianum sermonem multum confert Terentius, quo multum Cicero utebatur, et cujus fabulas, propter leporem et festivitatem orationis, scriptas a nobilissimo Romano fuisse multi crediderunt. Ciceronis quoque epistolæ familiares, sed in primis ad Atticum, multum erudire, ac expeditum reddere sermonis usum possunt: nam in illis est sermo ille purus et simplex, quo Cicero cum uxore, cum liberis, cum servis, cum amicis, in triclinio, in balneo, in lecto, in hortis utebatur. Sunt et familiaria colloquia ab Erasmo conscripta, quæ non modo utilitatem, sed voluptatem quoque habent haud sane exiguam, ut est vir ille exculto et urbano ingenio. Epistolæ Plinii junioris plurimas suppeditare sententias possunt, cujuscunque generis epistolas scripturus quis sit: quæ propemodum compositæ in hoc videntur ab auctore; nam ut res gestas paucas admodum narrant, quod Cicero fecit (diversa enim illis fuerunt tempora) delicias tantum sententiarum continent, ac velut gemmulas, quibus epistolæ ornari possint. Eodem fere spectant epistolæ Politiani, nisi quòd interdum nimia cura factæ sunt paulo duriores, dum scriptor dat operam, ne nihil sit non expolitissimum, nec vult ullum bonum verbum perdere: quæ anxietas non magnopere epistolarem dictionem decet. Sunt epistolæ Philelphi, quæ plus habent

bent

bent verborum, quàm gratiæ, et Calentii lusus: si cui vacat Sidonium Apollinarem legere, eidem legantur et Apuleii Asinus, et Florida.

HISTORIÆ.

HIstoriæ quoque instruere possunt linguam, ut Livii in quo est dulcissima facundia, et sicut Hieronymus inquit, lacteus eloquentiæ fons, et Suetonii in quo mirabilis dicendi proprietas astricta illa, et quæ plus habeat nervorum, quàm corporis. Cornelio Tacito non parum adjuvaremur, si integer ad nos et emendatus pervenisset, sed qualiscunque est, vehementer prodest. In Cæsaris commentariis ostenditur castitas illa sermonis Latini, qui erat in prisca Romana nobilitate: nihil fingi potest tersius, expolitius, elimatius; et hi quoque accurate cognoscendi, magnopere linguam locupletabunt, et promtiorem facient. Sallustius rerum Romanarum florentissimus scriptor, ut inquit Tacitus, frequens est in manibus puerorum, sed mihi aptior videtur provectioribus: inimitabilis est in illius scriptis gratia, quæ quotiescunque repetita, nunquam tædium sui aut satietatem lectori adferant.

SCRIPTORES AGRICOLATIONUM.

CAto, Varro, Columella, Palladius, Plinius, et architectus Vitruvius, variarum rerum suggerunt vocabula, qui diligenter legendi sunt, et verba cum rebus conferenda, ne quid pro diverso usurpemus. Plinius tam varius est, quàm ipsa rerum natura quam tractat: magnæ illic verborum divitiæ, magnæ rerum. Vitruvius haud pauca suppeditaret, si res illius tempore mutatæ non tantam illi obscuritatem attulissent.

POETÆ.

POetæ sunt quoque attingendi partim animi gratia: nam levant sæpenumero tædium negotiorum, sæpe etiam lectionis solutæ orationis; et illa alternatio carminis prosæque diutius intentionem animi in studiis detinet. Ad hoc, scatent reconditis vocabulis, et figuris omnis generis, quibus etiam communis sermo plenus est: sunt in inventione sublimes, jucundi, acuti, acres, graves, faci-

les: in verbis suaves, lepidi, festivi: rapiunt in affectus omnes, prout cujuscunque est argumentum. Vergilius ponitur primus merito mea sententia, propter gravitatem et sententias. Huic Horatius adjungitur carmine excultus, verbis proprius, et sapienter pleraque præcipiens. Silius multum habet diligentiæ. Ex Latinis tragicis solus ad nostram ætatem pervenit Seneca: sed omnes et verborum majestate et argumentorum viribus et sententiarum pondere ac numero vincit meo judicio Lucanus. Legendi et poetæ nostræ pietatis; Prudentius, Prosper, Paulinus, Sedulius, Juvencus, et Arator: qui quum habeant res altissimas, et humano generi salutares, non omnino sunt in verbis rudes, aut contemnendi: multa habent quibus elegantia et venustate carminis certent cum antiquis, nonnulla quibus etiam eos vincant.

GRAMMATICI.

IN his omnibus auctoribus animadvertes, quemadmodum formulæ grammaticæ serventur, quemadmodum negligantur: nam in multis varius et multiformis usus in normas et præcepta concludi non potuit: sequendus tamen potius quàm ars, quæ est usu constituta, non e contrario. Neque vero despicienda est idcirco ars, modo ne sit superstitiose anxia: formulis enim est hoc tempore opus, quum populum non habemus: et eruenda sunt ex scriptoribus omnia: alioqui cum non succurret ex his loquendi ratio, ut solœcissemus necesse erit, ut etiam maxime succurrat: nam alia dicenda sunt, et aliis de rebus: quid quòd ne tunc quidem canonibus caruerunt, quum esset in Latio et Græcia eadem populi totius, quæ eruditorum lingua: scripsere artem complures, sed unus, aut ad summum alter eligendus, Perottus, aut Aldus, Nebrissensis, Mancinellus, Sulpitius, Melanchthon, Ninivita: versandus diligenter Valla in elegantiis, immodice quidem ille superstitiosus, sed ad reddendos cautiores aptissimus.

INTERPRETES.

EGet ista tua ætas etiam adultior interpretibus auctorum: nam multa sunt in scriptoribus difficilia, quæ tu vix tandem molestissimo labore assequereris: illi rem totam explanant magno compen-

pen-

pendio temporis et opere, majoreque utilitate et auctu eruditionis: in quo numero sunt veteres: Servius in Vergilium, Donatus in Terentium, Acron et Porphyrion in Horatium: ex recentibus nonnulli. Vocabularia eodem loco haberi possunt, quæ velim tibi semper dum studes præsto esse, ut illa subinde consulas, si quid dubitas: magna partis hujus laboramus in Latinis litteris inopia: nam eruditissimi illi Varro, Festus, Marcellus, et difficiliores sunt quàm ut a mediocriter doctis intelligantur, et non omnia tradunt, quibus est nobis opus: quæ vero terunt omnes, Cornucopiæ Perotti, et opus Calepini, nec satis plena sunt, et docta parum, nec quibus tuto fidatur: præstitit quod potuit Perottus, nec omnino contemnendum quod reliquit. Calepinus vero cornu exhaustor accessit ad alios docendos, quum ipse potius egeret doctore: sed interea utendum erit istis, donec existat aliquis, qui hanc litterarum partem felicius orbi tradat. Budæus in annotationibus Pandectarum, et Asse, plurima eruit altissimis tenebris obruta, et doctis quoque ignorata aperuit, attulitque renascentibus litteris ingentem opem. Legendi sunt ipsi tibi per te auctores, nec expectandum dum omnia præceptor explanaverit, alioqui nihil unquam intelliges sine prælegente et interprete: ¿ita quando parabitur copiosa illa rerum et verborum supellex, quærenda ex plurimis variarum rerum scriptoribus? ex intelligentia unius aut alterius auctoris, quem institutor enarrarit, adhibito non segni et inerti studio multi sunt alii cognoscendi. Verba eadem sunt in omnibus et loquendi formulæ, quibus rerum intellectio contegitur, ut nullus sit liber, qui probe intellectus non sit ad alios complures intelligendos magister, adhibeatur modo judicium, et audita præsentibus conferantur: nec de nihilo est quod dicitur, libro librum aperiri.

GRÆCÆ LITTERÆ.

GRæcas litteras Quintilianus simul et pariter disci cum Latinis posse putat.

PROLATIO SONORUM.

PRimum soni litterarum diligenter animadvertendi sunt, et quantum

tum fieri poterit, integre ac perfecte exprimendi: non enim major labor est bene addiscere prima quàm male, quum sit tanto fructus uberior. Observabis quemadmodum periti proferant, et eos imitabere; necesse est enim aut par, aut certe non absimilis illorum evadas, ad quorum te exemplar componis. In usum recte proferendi conscriptæ sunt a Hieronymo Aleandro tabellæ eruditæ: cavendum tamen ne sic assuescas Græcæ pronuntiationi, ut Latina illo more proferas, neu accentuum rationes confundas, qui sunt in illis linguis diversi: Græcus fere ultimam spectat syllabam, Latinus penultimam.

INFLEXIONES.

TUm ad inflexiones nominum et verborum venietur, quas memoriæ penitus infiges, ne illarum ignoratio cogat te in altioribus hærere ac resistere. Habes Theodori Gazæ duos primos libros, qui ea de re magno compendio et arte præcipiunt: dehinc accentuum et orthographiæ formulas, quæ in plerisque conjunctæ sunt, percipies conjunctas ex tertio Theodori Gazæ: ne totum illud volumen legendum habeas molestum, et frugis plerisque in locis exiguæ, sufficient in hoc tempus, quæ sunt illinc ab Oecolampadio decerpta.

PRIMA EXERCITATIO LECTIONIS AUCTORUM.

HIc jam proderit vocabulorum gratia scriptores aliquot prælegente institutore tuo audire, eosque maxime faciles et apertos, cujusmodi sunt dialogi aliquot Luciani; præsertim ii qui res candidas non nigrant: et oratiunculæ Isocratis, Platonis, et quorundam aliorum epistolæ, et Æsopi fabellæ, in quibus animadvertes primum quibus verbis utantur ad exprimendam rem; tum quo modo inflectant.

SINTAXIS.

SImplicia vocabula in sermonem conjungenda sunt: de constructione plura sunt a Latinis scripta, quàm à Græcis. Gaza in quarto libro difficillime præcipit atque obscurissime, secutus Apollonium, et ipsum in primis tenebricosum. Lascaris conatus est re-

du-

ducere verba Græca ad quinque illa genera et formulas verborum Latinorum, prolixe et parum apte: præstabit ex auctorum lectione formulas loquendi Græcas observare, et potissimum quemadmodum idiomata sermonum Græci et Latini inter se differant.

LECTIO.

INitio censeo legendos oratores Isocratem, Demosthenem, Lysiam, Aeschinem, Aristidem, et partem Luciani. Hinc Philosophos Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Theophrastum. Tum ferreos Thucydidem ac Plutarchum: si quos prius Latine cognoveris, hos primos etiam leges, quo promtior sit verborum ex sententia intellectus. Poetas prius quàm attingas, leges de dialectis Græcis Apollonium, aut Joannem grammaticum: tum facillimi et maxime Attici initio versandi, qualis est Aristophanes. Post Homerus fons reliquorum. Tum Euripides, et Sophocles. Aderit lexicon, Suidas puta, aut Hesychius: sed et Græcolatinum expediet habere, quo apertius interdum fiat quod Græce ab illis explicatum non satis intelliges.

INTERPRETATIONES.

COnferes Græca cum interpretationibus Latinis, initio si qua sunt ad verbum versa, ut Fabellæ Æsopi, Tabula Cebetis, et fere dialogi Luciani, quos Erasmus transtulit, et Morus: hinc jam illi inspiciendi, qui verbis sunt usi arbitratu suo, sententia auctori servata, quem interpretabantur, velut Thucydides et Herodotus, quos fecit Latinos Laurentius Valla: sed ante alios omnes Herodianus Politiani, et aliquot Plutarchi opuscula a Budæo versa. Hermolaus in transferendo Themistio, calore juvenili et sui ostentandi cupiditate longissime abreptus est. Princeps interpretum consensu omnium est Theodorus Gaza in libris de animalibus et problematis Aristotelis, et de stirpibus Theophrasti, sive decore atque elegantia interpretationis, sive copia Latina qua certavit cum Græca, sive felici audacia fingendis ad analogiam vocabulis, quibus carebant Latini, ut commodius Græca redderet.

FRUCTUS GRÆCITATIS.

NActo peritiam Græcæ linguæ patent fontes omnium disciplinarum, quæ a Græcis manarunt: adest et cognitio maximorum ingeniorum, quorum fuit semper Græcia feracissima, tum copia Latini sermonis instructior, et quia schemata figurasque dicendi et colores argumentorum illinc petierunt Latini homines, et quia quum vocabulum Latinum ad rem notandam non est ad manum, ex Græco licet mutuari agro copiosissimo. Quin et Latini scriptores post Ciceronis tempora, ita vel studiosi fuerunt Græcæ linguæ, vel ostentatores, ut maximam partem idiomatum illius in Latinum transfuderint. Habes mi Carole Montioi, quibus adjuvari posse rudimenta studiorum tuorum existimem: tu annitere ut brevi tempore ipse tibi magnus sis monitor, et ex primo illo bonorum genere, per se se qui omnia norunt.

FINIS.

JOANNES LUDOVICUS VIVES,
Philippo Caroli Cæsaris Augusti filio heredi, optimam mentem.

LAtinæ linguæ permagnæ sunt et ad loquendum, et ad recte sentiendum utilitates; est enim ea velut thesaurus quidam omnis eruditionis, quoniam magna et præstantia ingenia Latino sermone disciplinas omnes conscripserunt, ad quas nemo potest pervenire, nisi per linguæ illius cognitionem. Quam ob causam non gravabor, inter majorum studiorum occupationes, hac quoque parte pueritiæ rudimenta adjuvare. Conscripsi in usum Latinæ linguæ primam loquendi exercitationem, quam pueris (ut spero) conducibilem, tibi Principi puero visum est dicare: quum propter patris tui benevolentiam erga me summam, tum quòd in animo tuo ad rectos mores formando, optime de Hispania, hoc est, patria mea merebor, cujus salus sita est in tua probitate ac sapientia. Sed hæc a Joanne Martinio Siliceo, institutore tuo et copiosius audies, et crebrius.

PE-

PETRUS MOTA, COMPLUTENSIS,

STUDIOSIS LECTORIBUS SALUTEM.

POSSUM equidem vobis, Lectores optimi, de libris omnibus, quos Joannes Ludovicus Vives, Hispanorum decus, composuit, illud ex animo affimare, quod apud Ciceronem Cato, Scipioni, et Lelio suadere videtur: multas ad res perutiles esse Xenophontis libros, quos ut studiose legant, adhortatur. Verum alii fortasse non nisi doctis eruditisque lectoribus erunt idonei: hic autem unus colloquiorum libellus ejusmodi est, ut non solum Latinæ linguæ tyrunculi, sed qui jam diu in ea exercitati sunt, maximam inde frugem facere possint, ut ad Latine enuntiandum quicquid velint, et doctiores fiant, et promtiores. Non vacat hujusce rei causas rationesque persequi: longiorem enim epistolam quam pro libelli modo proponere non decet. Sed una illa interim satis esto. ¿Ex aliorum librorum lectione, vel ut Terentiana atque Plautina, excerpi quidem elegantiæ fructum, quis negat? ¿Sed in eis tamen vitiorum incitamenta, et morum offendicula inesse quis non videt? ¿At in Auctore nostro, quid quàm elegantiæ Latinæ flosculos, quos ex clarissimis quibusque Auctoribus excerptos in hunc libellum congessit, invenies? Tum nihil est, quod vel Christum ipsum, vel certe optimos mores, et probam educationem non sapiat.

Ut omittam mirabile illud artificium, quo res utilissimas dulcissimo jucunditatis temperamento condivit, ut puerorum animis non minus jucunda, quàm idonea proposuerit. Ego certe pro virili mea hactenus conatus sum, ut notos mihi, ac amicos omnes ad hujus libelli lectionem adhortarer. Cum iis vero qui Grammaticam docendi munus obirent, precibus et litteris agere non destiti, ut eum discipulis suis exponere vellent, darentque operam, ne pueri eum audirent modo, sed ediscerent etiam. Sed hæc agenti mihi ab amicis aliquot significatum est, plerosque Grammaticæ Professores, quos ipsi probe nossent, libelli enarrationem cœpisse quidem, sed in medio tamen itinere ab incœpto destitisse: ut nunquam magis Ascensianam operam sibi desideratam esse dicerent:

adeo fuit vir ille dum viveret, de vulgo litterarum benemeritus. Neque miror sane, cum apud nostrates ita sint exigua docentibus præmia constituta, tam male discipuli ipsi Præceptorum operam compensent, tantus denique hujus molæ versandæ sit labor, ut doctissimus quisque Sysipium hunc lapidem humeris suis subire dedignetur: multi rursus parva, et tenuis eruditionis suppellectile, cum aliunde honestiorem (ut ipsi ajunt) quæstum facere nequeant, magno se huic labori accingant. Neque vero jam ad magistrum eligendum, quanta quisque eruditione sit præditus, sed quam sit ad laborem tolerandum ferreus, in consilio haberi solet: ad rudimenta enim docenda, vel infirmum quemque sufficere. Quare operæ precium me facturum esse ajebant, si dictiones aliquot, præter eas, quæ in margine expositæ essent, vel earum elucidatio non ita facile se offerret, adnotarem, quod ab eruditissimis viris in nonnullis Auctoribus factitatum videmus. Jam quo id libentius facerem, quarundam vocum expositiones ab illis commentas, ne non eas intelligere viderentur, mihi narrarunt: quæ nescio, utrum risum mihi, an stomachum potius movere deberent. Obtemperare igitur, tum amicorum eflagitationibus, tum communi utilitati, quamlibet magnis negotiis districtus essem, optimum duxi, et ea quæ vel expositu digna, vel ab aliis dubitata cognoscerem, quanta maxima possem brevitate adnotare. Hoc tamen prius candidum lectorem admonere vellem, me non ostentandæ eruditionis (quam aliis fortasse scriptis exhibere possemus) sed infimæ Grammaticorum plebi consulendi animo, ad has nugas descendisse, in eorum potissimum gratiam, qui vel Græce nesciunt, vel non perinde sunt eruditi. Qui si multa desideraverint, quæ per nos exposita vellent, sciant vicissim multa nos adnotasse, quorum non pœnitere non poterat; quæ ne meminissemus quidem, nisi ab aliis perperam, ridiculeque interpretata, pro comperto haberemus. Vale Lector optime, et libellum hunc etiam atque etiam amplectere.

EXERCITATIO
LINGUÆ LATINÆ.

SURRECTIO MATUTINA.

Beatrix Puella, Emmanuel, Eusebius.

Beat. JESUS CHRISTUS exuscitet vos a somno vitiorum. ¿Heus pueri estis ne hodie evigilaturi?

Eus. Nescio quid incidit mihi in oculos, ita videor eos habere plenos arenæ.

Beat. Hæc est tua prima cantio matutina, et bene vetus: aperiam fenestras hasce ambas, ligneam et vitream, ut feriat clarum mane vestros amborum oculos. Surgite, surgite.

Eus. ¿Tam multo mane?

Beat. Propior est meridies quàm aurora. ¿Vis tu Emmanuel recentem (*a*) subuculam?

Emm. Nihil nunc est necesse, hæc est satis munda, cras sumam alteram. Cedo mihi thoracem.

Beat. ¿Quem? simplum, ¿an (*b*) diploidem?

Emm. Quem voles, mea nihil refert. Porrige huc simplum, ut si sim hodie lusurus pila, minus graver.

Beat. Hic est semper tuus mos: prius de lusu cogitas, quàm de schola. *Emm.* ¿Quid tu dicis inepta? et schola ipsa vocatur ludus. *Beat.* Ego non intelligo vestras grammaticationes et sophismata. *Emm.* Da (*c*) ligulas astrictorias coriaceas.

Beat. Fractæ sunt: accipe sericas, et sic jussit tuus pædagogus. ¿Quid jam? ¿vin femoralia, et tibialia, quoniam est æstus?

Emm. Minime vero, dato (*d*) feminicruralia: quæso constringe me. *Beat.* ¿Quid, tu habes brachia fœnea, aut butyracea?

Emm. Non, sed filo tenui consuta. Hui qualia dedisti mihi astrigmenta (*e*) exarmata, et lacera.

Beat. Memineris te heri alea perdidisse integra.

Emm. ¿Quî scis? *Beat.* Ego per rimulam ostii observabam te cum Guzmanulo ludentem.

Emm. Amabo ne id pædagogus resciat.

(a) Subucula *est virilis camisia.*

(b) Diplois *de quavis re duplicata dicitur.*

(c) Ligulæ astrictoriæ, *quibus vestimenta stringuntur.*

(d) Feminicruralia *novum pro caligis.*

(e) Exarmata, *sine ferris.*

BEAT. Immo ego narrabo, quum primum appellaris me deformem, ut soles. *EMM*. ¿Quid si rapacem?

BEAT. Quidvis, modo ne deformem. *EMM*. Cedo calceos.

(f) Obstragulum *est corium calcei superius*.

BEAT. ¿Utros? ¿longo (*f*) obstragulo, an brevi?

EMM. Tectos propter lutum.

BEAT. Propter lutum aridum, quod alio nomine vocatur pulvis. Sed bene facis, nam in apertis cingulum est fractum, et fibula amissa. *EMM*. Indue rogo.

BEAT. Tu ipse facito. *EMM*. Non possum me flectere.

BEAT. Tu quidem facile te curvares, desidia vero tua difficile: ¿an deglutisti ensem, ut circulator ille nudius quartus? ¿adeone es jam delicatus? ¿quid facies grandior?

EMM. Astringe nodo laxo gemino: quod est elegantius.

BEAT. Nihil minus: solveretur nodus illico, et decideret tibi calceus e pedibus: præstat vel gemino astricto, vel astricto et laxo. Sume tunicam manicatam, et cingulum textile.

EMM. Minime id quidem, sed coriaceum venatorium.

(g) Aciculam fibulæ, *id quo corrigia astringitur*.

BEAT. Mater vetat: ¿vis tu omnia arbitratu tuo facere? et tu heri fregisti (*g*) aciculam fibulæ.

EMM. Non poteram alioqui exfibulare. Da ergo illud puniceum ex lino.

(h) Cinctus Gallicus *quomodo solent Galli se cingere*.

BEAT. Cape: cinge te (*h*) cinctu Gallico. (1) Pecte caput prius radiis rarioribus, tum densioribus: apta pileum vertici, ne in occipitium rejicias more tuo, aut in frontem et oculos.

(i) Pollubrum est *vas, ex quo aqua funditur*.

EMM. Prodeamus jam tandem.

BEAT. ¿Quid? ¿illotis manibus et facie?

(j) Urceol. *patina, in qua funditur*.

EMM. Ista tua tam molesta curiositate taurum jam enecasses, nedum hominem, videris mihi non puerum vestire, sed sponsam.

(k) Epistomium *est nasi gutta*.

BEAT. Eusebi, adfer (*i*) pollubrum cum (*j*) urceolo, funde altius: stilla potius ex (*k*) epistomio, quàm profundas: elue sordes istas ex nodis digitorum: ablue os, et gargariza, frica

(1) *Cinctu Gallico*, quamquam in margine appositum est, *quomodo se solent Galli cingere*: tamen scio aliquos ignorare qualis sit hic cingendi modus. Aliter enim cinguntur Galli, ac Germani, et Flandri: Germani nanque partem illam cinguli qua ensis innectitur, ad genua usque dimittunt: femora ita non illa cingunt, quo facilius enses illos oblongos, quos gerunt, distringere possint. Flandri aliquanto superius quàm Germani cinguntur. Galli vero fere ad umbilicum cingula gestant, ut ante hac Hispani, qui jam Germanicum cingendi modum imitari cœperunt.

ca bene cilia, et palpebras, tum glandulas sub auriculis duriter; cape linteum, exterge te. ¿Deum immortalem, de omnibus es sigillatim admonendus, nihilne ipse tua sponte faceres? *Emm.* Vah, nimium es importuna, et odiosa.

Beat. Et tu nimium scitus puer, ac formosulus. Deosculare me: flecte jam genua, et ante hanc Servatoris nostri imaginem recita precationem dominicam, et preces alias, ut habes de more, antequam pedem ponas extra cubiculum. Vide mi Emmanuel, uti de re nulla alia cogites, dum oras. Mane paulisper, appende sudariolum hoc de zona, ad nares emungendas et purgandas.

Emm. ¿Sumne satis ad arbitrium tuum compositus? *Beat.* Es.

Emm. Ad meum minime, quoniam jam tandem ad tuum; ausim (*l*) facere sponsionem, me horam unam vestiendo consumpsisse.

(l) Facere sponsionem *deponere, certare precio.*

Beat. ¿Quid si vel duas? ¿Quo eras alioqui iturus? ¿Quid acturus? fossurus credo, aut araturus.

Emm. Quasi desit quod agam.

Beat. O magnum virum, vehementer in nihil agendo occupatum.

Emm. ¿Non hinc abis cavillatrix? abi, aut ego te abigam hoc calceo, aut (*m*) calanticam tibi detraham de capite.

(m) Calantica *indumentum est capitis muliebre.*

PRIMA SALUTATIO.

Puer, Mater, Pater, Isabellula.

Puer. SAlvus sis mi Pater, salve mea matercula, precor vobis felicem hunc diem germanuli, propitium vobis opto Christum sororculæ.

Pat. Mi fili, sospitet te Deus, evehat ad ingentes virtutes.

Mat. Servet te Christus, mea lux. ¿Quid agis mea dulcedo? ¿quid vales? ¿quomodo nocte hac quievisti?

Puer. Recte valeo, et placide dormivi.

Mat. Christo gratia: proprium hoc velit tibi esse.

Puer. Ad mediam tamen noctem excitatus sum, e dolore capitis.

Mat.

Mat. ¡Me perditam, et miserrimam! ¿Quid narras? ¿Qua parte capitis? *Puer.* Ad brechma. (1) *Mat.* ¿Quàm diu?

Puer. Vix octava parte horæ: postea redormii, nec sensi amplius. *Mat.* Respiravi, nam exanimaras me.

Puer. Bene sit tibi Isabellula, para mihi jentaculum. Ruscio, Ruscio huc, canicule festivissime: en ut cauda adulatur, ut se in posteriores pedes erigit: ¿quomodo habes? ¿quomodo vales? Heus tu, adfer panis bucceam unam aut alteram, quam ei demus: videbis lusus scitissimos. ¿Non esuris? ¿nihilne edisti hodie? profecto plus est in cane isto intelligentiæ, quàm in illo mulione crasso.

Pat. Tulliole mi, lubet mihi tecum paulisper confabulari.

Puer. ¿Quid mi pater? nam nihil mihi accidere potest suavius, quàm te audire. *Pat.* ¿Hic tuus Ruscio est belua, an homo?

Puer. Belua, ut credo.

Pat. ¿Quid tu habes cur sis homo, non ille? tu edis, bibis, dormis, ambulas, cursitas, lusitas: hæc ille omnia.

Puer. Atqui ego sum homo.

Pat. ¿Quomodo id cognoscis? ¿quid tu nunc habes plus quàm canis? Sed hoc interest, quòd ille non potest homo fieri: tu potes, si vis.

Puer. Obsecro, mi Pater, effice id primo quoque tempore.

Pat. Fiet, si eas quo eunt beluæ, redeunt homines.

Puer. Ibo pater multo libentissime, ¿sed ubi id est?

Pat. In ludo litterario.

Puer. Nulla est in me ad rem tantam mora.

Pat. Nec in me. ¿Isabellula, audin? da huic jentaculum in cistella. *Isab.* ¿Ecquid nam?

Pat. Frustum panis butyro illitum, vel ficus aridas, aut uvas passas pro obsonio, sed (*n*) insolatas: nam alteræ illæ viscosæ inficiunt puerorum digitos, et vestes, nisi malit cerasa aliquot, vel pruna aurea, et oblonga: insere brachiolum cistulæ, ne excidat.

(n) Insolatas *ad solem exsiccatas.*

DE-

(1) *Ad Brechma*, brechma, tis; sive bregma, pars anterior capitis, sinciput; a *Breco* Græco, quod est pluo, et irrigo; hæc enim pars maxime humida, et tenera esse solet, præcipue infantibus: Gaza tamen aliquoties occiput vertit.

DEDUCTIO AD LUDUM.

Pater, Philoponus Ludimagister, Puer, Propinquus.

Pat. SIgna te sacro signo Crucis. Duc nos Jesu Christe sapientissime dementes, potentissime imbecilles. Quæso, mi Propinque, tu qui es versatus in studiis litterarum, ¿ecquis est in hoc gymnasio optimus institutor puerorum?

Prop. Doctissimus quidem Varro: sed diligentissimus, et vir probissimus Philoponus (1), nec eruditionis aspernandæ. Habet Varro scholam frequentissimam, et domi numerosum gregem contubernalium. Philoponus non videtur delectari turba, paucioribus est contentus.

Pat. Hunc malo. Ellum in porticu gymnasii inambulantem. Fili, hoc est formatorium, et quasi officina hominum, et hic artifex formandi. Adsit tibi Christus, Magister. Aperi caput puer, et flecte poplitem dextrum, sicuti es edoctus: sta jam rectus.

Phil. ¿Prosperus sit nobis omnibus tuus adventus, ecquid rei est?

Pat. Hunc filiolum meum ad te adduco, ut ex belua hominem facias.

Phil. Dabo in eam rem operam sedulam: fiet, revertetur ex pecude homo, ex nequam frugi, et bonus, id vero ne dubitaveris. *Pat.* ¿Quanti doces?

Phil. Si puer bene proficiat, vili: sin parum, caro.

Pat. Acute hoc dicis, et sapienter, ut omnia. Partiamur inter nos igitur hanc curam: tu ut sedulo instituas, ego ut benigne compensem tuam operam.

EUNTES AD LUDUM LITTERARIUM.

Cirratus, Prætextatus, Titivillitium, Vetula, Puella, Oluscularia.

Cir. ¿VIdetur tibi tempus eundi ad ludum?

Præt.

(1) *Philoponus*, penultima brevi, id est, industrius, diligens, laboris amicus; aptum sane nomen Institutori puerorum.

Præt. Plane tempus est ut eamus.

Cir. Non satis teneo viam, credo esse in illo vico proximo.

Præt. ¿Quoties illuc itasti? *Cir.* Ter, aut quater.

Præt. ¿Quando cœpisti eo itare?

Cir. Nudius tertius, ut puto, aut quartus.

Præt. ¿Quid igitur, an non id satis est ad noscendam viam?

Cir. Non, etiam si eam centies.

Præt. Ego vero vel si semel, nunquam deinceps aberrarem. Sed tu vadis invitus, et ambulas lusitans, nec viam aspicis, nec domos, nec ulla signa, quæ te postea admoneant, qua sit flectendum, quæ via tenenda. Ego hæc omnia observo diligenter, quia lubens eo.

Cir. Puer hic habitat in proximo scholæ. ¿Heus tu Titivillitium, qua itur ad ædes tuas?

Tit. ¿Quid vis? venis a matre tua, mater mea non est domi, ac ne soror quidem: ambæ sunt profectæ ad Divæ Annæ. *Cir.* ¿Quid illic agitur?

Tit. Heri fuerunt Encænia: (1) hodie invitavit eas mulier quædam casearia ad edendum lac coagulatum.

Cir. ¿Et tu cur non es una profectus?

Tit. Relictus sum hic, ut servem domi: frater meus puerulus abductus est ab eis illuc: sed pollicitæ sunt mihi, sed de reliquiis allaturas partes in quasillo.

Cir. ¿Quin tu igitur manes domi?

Tit. Continuo revertar, nunc prodeo lusum talis cum filio hujus cerdonis: ¿vultis et vos venire? *Cir.* Eamus sodes.

Præt. Minime vero id quidem. *Cir.* ¿Quidni?

Præt. Ne vapulemus. *Cir.* Vah, non memineram.

Tit. Non vapulabitis. *Cir.* ¿Quî scis?

Tit. Quia magister vester perdidit heri ferulam.

Cir. ¿Hem quomodo nosti?

Tit. Hodie de domo nostra audiebamus ejus vociferationem quærentis ferulam. *Cir.* Amabo ludamus parumper.

Præt.

(1) *Heri fuerunt encænia.* Encænia, orum, festum, vel dedicatio cujuscunque rei, ut inquit Suidas; aut cum res, qualiscunque sit, innovatur; et usus olim habebat hoc verbum, ut si quis nova tunica indueretur, encæniare diceretur. Auctor est D. Augustinus enarrans illud Joan. *Facta sunt encænia Hierosolym.*

Praet. Tu ludito si vis: ego ibo solus.

Cir. Ne me apud præceptorem quæso deferas: dic me detineri domi a patre. *Praet*. ¿Vis mentiri me?

Cir. ¿Quidni propter sodalem?

Praet. Quia in templo audivi concionatorem affirmantem, mendaces esse filios diaboli, veraces Dei.

Cir. ¿Diaboli vero? apage. Per signum sanctæ Crucis ab inimicis nostris libera nos Deus noster.

Praet. Non potes liberari, si ludas, quum est discendum.

Cir. Eamus, tu valeto.

Tit. Hui, pueri isti non audent paulisper ludere alioqui cædendi.

Praet. Ille est puer perditus, et evadet scelerosus vir. ¿Sed quomodo elapsus est nobis? nec rogavimus qua esset via ad ludum, revocemus.

Cir. Abeat in malam rem, nolo sit mihi rursum incitamento ad lusum: percontabimur ab hac vetula. ¿Mater nostine qua itur ad scholam Philoponi?

Vet. Juxta eam scholam habitavi ego sex annis, e regione peperi filium natu maximum, et filias duas: transite plateam hanc Villæ-rasæ, inde est angiportus, tum platea Domini Veterani, hinc flectite ad dextram, tum ad sinistram; ibi percontamini, non procul abest schola.

Cir. Vah, non poterimus omnia retinere.

Vet. Theresula, deduc istos ad ludum Philoponi: nam mater hujus est, quæ dabat nobis linum pectendum et nendum.

The. ¿Quid malum Philoponi? ¿quid hominis est hic Philoponus? quasi ego norim: ¿loquerisne de illo, qui resuit calceos juxta cauponam viridem? ¿an de præcone in vico Gigantis, qui alit equos meritorios?

Vet. Sat scio, nunquam tu nosti ea quæ sunt opus, sed ea quæ ad rem nihil faciunt. Inertissima: Philoponus est ludimagister ille senex, procerus, lusciosus, e conspectu ædium, quas olim habitavimus. *The*. Ah, jam redit in memoriam.

Vet. In reditu transi per macellum, et eme acetarium, et raphanum, et cerasa: cape fiscellam.

Cir. Duc nos etiam per forum olitorium.

The. Hac ibitis brevius. *Cir*. Nolimus istac ire. *The*. ¿Quî sic?

Cir. Quia momordit me illic canis ex domo pistoris: quin et volumus te comitari ad forum.

The. Revertens faciam iter per macellum; nam procul adhuc absumus, et emam quæ sum jussa, postquam reliquero vos in ludo. *Cir*. Nos cupimus videre quanti emes cerasà.

The. Numis senis emimus in libras singulas: ¿sed quid ad te?

Cir. Quia soror jussit me hodie mane sciscitari, et est illic vetula quædam olusculariа, de qua si emeris, scio eam et vendituram minoris quàm alias, et daturam nobis vel cerasà aliqua, vel thyrsum lactucæ; nam filia ejus ministravit aliquando matri, et sorori meæ.

The. Ne dispendium hoc viæ constet vobis flagris aliquot.

Cir. Minime vero: nam satis veniemus tempori.

The. Eamus, tantulum deambulavero, quæ misera consumor sedendo domi totos dies.

Præt. ¿Quid facias? ¿An tantum sedes otiosa?

The. ¿Otiosa vero? Minime certe id quidem, neò, conglobo, glomero, texo: ¿putas vetulam nostram passuram, ut otier? Festos dies execratur, in quibus est cessandum.

Præt. ¿Festi dies num non sunt sacri? ¿Quomodo ergo execratur illa rem sacram? ¿Vult ne ipsa execrari quod est sacrum constitutum?

The. ¿Censen me didicisse Geometriam, ut hæc possim vobis edisserere? *Cir*. ¿Quid rei est Geometria?

The. Ego nescio, nos habebamus vicinam, quæ vocatur Geometra, hæc semper vel erat ipsa in Templo cum Presbyteris, vel Presbyteri domi ejus cum illa, itaque erat, ut ferebant, sapientissima: sed ventum est in forum olitorium: ¿ubi est tandem vestra vetula?

Cir. Id ego circunspiciebam: sed eme ab hac ea lege, ut aliquid det nobis corollarii. Heus amita, puella hæc emet de te cerasa, si aliquot nobis donaveris.

Olus. Nihil mihi donatur, omnia venduntur.

Cir. ¿Nec sordes istæ donantur tibi, quas habes in manibus et collo?

Olus.

Olus. Nisi procul hinc abis impudenticule, has sordes sentient genæ tuæ.

Cir. ¿Quomodo sentient meæ genæ, quum tu habeas in tuis manibus? *Olus.* Redde cerasa furuncule.

Cir. Sumo exemplum: nam volo emere. *Olus.* Eme igitur.

Cir. ¿Si placuerint, quanti? *Olus.* Numo libram.

Cir. Ah, acerba sunt: tu anus venefica, vendis hic populo cerasa strangulatoria.

The. Abeamus hinc ad ludum: nam vos argutiis vestris intrincaretis me, et detineretis diu. Jam, ut puto, mea vetula fuerit domi ob moram meam. Hoc est ostium, pulsate.

LECTIO.

Præceptor, Lucius, Æschines, Pueri, Cotta.

Præc. Cape tabellam abecedariam manu sinistra, et radium hunc quo indices singula elementa: sta rectus, pileum pone sub axilla; audi attentissime, quemadmodum ego has litteras nominabo, specta diligenter quo gestu oris; vide ut eodem prorsum modo reddas, cum reposcam. Sis mecum. Jam audisti. Sequere nunc me sigillatim præeuntem. ¿Tenes probe? *Luc.* Videor mihi sic satis.

Præc. Unaquæque istarum vocatur littera, ex his, quinque sunt vocales, *A*, *E*, *I*, *O*, *U*, quæ sunt in vocabulo Hispano *Oveja*, quæ est ovis, memineris hujus verbi. Hæc cum una qualibet, vel pluribus aliarum, syllabam efficit: sine vocali non fit syllaba. Et vocalis ipsa non raro est syllaba. Itaque aliæ omnes consonantes nominantur, quia per se nihil sonant nisi adhibita vocali, habent enim sonum quendam imperfectum, et mancum, *B*, *C*, *D*, *G*, quæ sine *E*, parum sonant. Jam ex syllabis fiunt voces, seu verba: ex his sermo quo belluæ omnes carent, nec tu a bellua differes, ni probe sermonem discas. Evigila, et nava sedulam operam. Ito, sede cum tuis condiscipulis, et edisce quæ præscripsi.

Luc. ¿Non ludimus hodie?

(o) Operarius, *quo est operandum* Cota.

ÆSCH. Non, nam dies est (*o*) operarius. Eho ¿tu venisse te huc arbitraris lusum? Non est hic ludendi locus, sed studendi. *LUC.* ¿Cur ergo ludus nominatur?

ÆSCH. Nominatur quidem ludus, sed litterarius, quia litteris est hic ludendum, alibi pila, (*p*) trocho, talis, et græce audivi appellari Scholam, quasi otium, quod verum sit otium, et animi quies ætatem in studiis agere. Sed ediscamus quæ injunxit Institutor summisso murmure, ne aliis alii simus impedimento.

(p) Trochos, græce, *id est rota, a verbo* trecho, *id est, curro, citato gradu feror, propero. Vide Lex. Corn.Scbrev.*

LUC. Avunculus meus, qui aliquando dedit operam litteris Bononiæ, docuit me melius memoriæ infigi quæ velis, si altius pronunties, idque confirmari auctoritate nescio cujus Plinii.

ÆSCH. Si quis ita velit ediscere suas formulas, in hortos secedat, aut in cœmeterium Templi; ibi clamet licet, quoad excitet mortuos.

COTT. Pueri, ¿hoccine est ediscere? ¿Garrire, jurgari? Agite, convenite ad Præceptorem omnes jussu ejus.

REDITUS DOMUM, ET LUSUS PUERILES.

MATER, TULLIOLUS, CORNELIOLA, SCIPIO, LENTULUS.

COR. PRospere redieris Tulliole, ¿libet paulisper lusitare?

TUL. Nondum, statim. *COR.* ¿Quid habes negotii?

TUL. Recolere quæ Magister ut memoriæ commendarem, mandavit. *COR.* ¿Quæ tandem? *TUL.* Aspice.

COR. Hui, ¿quæ notæ sunt istæ? Credo esse formicas depictas. Mea mater, quot formicas et culices adfert Tulliolus pictos in tabella. *TUL.* Tace insana, sunt litteræ.

COR. ¿Quæ vocatur hæc prima? *TUL.* *A.*

COR. ¿Cur prima est magis *A*, quàm hæc altera?

MAT. ¿Cur tu es magis Corneliola, quàm Tulliolus?

COR. Quia sic vocor.

MAT. Et illæ litteræ ad eundem modum. Sed ito jam lusum mi fili. *TUL.* Hic pono tabellam meam et radium: si quis attigerit, vapulabit a matre: ¿nonne mea matercula?

MAT.

Mat. Etiam mi fili. *Tul.* Scipio, Lentule, adeste lusuri.
Scip. ¿Quam lusionem?
Tul. Nucibus ludemus ad conjectum scrobiculi.
Lent. Non habeo nuces nisi paucas, et eas quassas, ac putres.
Scip. Ludamus putaminibus nucum.
Tul. ¿Quid mihi ea proderunt, etiamsi lucrer viginti? Nullus est intus nucleus quem edam.
Scip. Ego vero dum ludo, non comedo: si quid volo comedere, matrem adeo. Ista nucum putamina sunt apta ad extruendas formicis ædiculas.
Lent. Ludamus par impar aciculis. *Tul.* Adfer potius talos.
Scip. Adfer Lentule. *Lent.* Ecce vobis tali.
Tul. Quàm sunt pulverulenti et immundi, nec satis purgati a carne et politi: jacias. *Scip.* Pro (*q*) primatu ludendi.
Tul. Ego sum primus, ¿quid ludimus? *Scip.* Astrigmenta.
Lent. Ego nolo mea perdere, nam domi cæderer a Pœdagogo.
Tul. ¿Quid vis ergo perdere si vinceris? *Lent.* Talitra.
Mat. ¿Quæ est ista humi abjecto? Deteritis vestes omnes, et calceos, tum loco immundissimo, quin verritis prius pavimentum, et sedetis? Adfer scopas.
Tul. ¿Quæ erit igitur sponsio? *Scip.* Aciculæ in singula puncta.
Tul. Immo binæ.
Lent. Ego non habeo aciculas, deponam, si vultis, pedunculos cerasorum pro aciculis.
Tul. Apage, ludamus ego et tu Scipio.
Scip. Ego ausim sorti meas aciculas credere.
Tul. Da mihi talos in manum ut jaciam primus, en vici sponsionem. *Scip.* Minime vero, nam non ludebas serio.
Tul. ¿Quis unquam ludit serio? Ceu dicas album nigrum.
Scip. Cavillare quantum voles, non auferes modo aciculas.
Tul. Age, remitto tibi hanc manum, ludamus jam pro premio, adsit dextra sors. *Scip.* Victus es. *Tul.* Auferto.
Lent. Cedo talos. *Tul.* In hunc jactum omnia.
Lent. Non recuso.
Puel. Ad cœnam pueri, ¿nunquamne facturi estis ludendi finem? *Tul.* Nunc incipimus, ista jam de fine loquitur.


(q) Pro primatu *quis ludet primus.*

Cor.

Cor. Ludi hujus jam tædet, ludamus calculis discoloribus.

Tul. Pinge tu nobis (*q*) urbes in hoc latere, carbone, aut gypso.

(q) Urbes *sunt calculi duodeni albi et nigri.*



Scip. Ego malo cœnare quàm ludere, et discedo aciculis meis omnibus exutus fraude vestra.

Tul. Memineris te heri Cethegum spoliasse.

Nullus ubique potest felici ludere dextra.

Cor. Adfer quæso folia lusoria quæ invenies sub abaco ad sinistram.

Scip. Alias id quidem, nunc non vacat: nam si diutius morer, timeo ne Pœdagogus meus iratus incœnem me mittat cubitum. Tu Corneliola habe nobis parata folia isthæc in crastinum sub horam vesperam.

Cor. Si licebit nobis per matrem; satius esset nunc ludere dum sinimur.

Scip. Satius est nunc cœnare dum accersimur.

Puel. ¿Et mihi nihil datis quæ vos spectavi?

Cor. Daremus, si judicasses; da tu nobis potius quæ nostris lusionibus te delectasti.

Puel. Heus pueri, ¿quando estis venturi? Cœna est semicomessa, prope est ut sublatis carnibus apponamus caseum, et poma.

REFECTIO SCHOLASTICA.

Nepotulus, Piso, Magister, Hipodidascalus, Lamia, Architriclinus, Flobus, Antrax.

Nep. ¿Vivitis ne hic laute?

Pis. ¿Quid isthuc verbi est? ¿An lavamur? Quotidie manus, ac faciem: et quidem crebro, munditiès enim corporis, et sanitati, et ingenio confert.

Nep. Non id quæro: sed an edatis, et bibatis ex animi vestri sententia.

Pis. Nos non edimus ex animi sententia, sed ex palati sententia. *Nep.* Dico, ¿an ut vultis?

Pis. Maxime, nempe cum fame, et qui vult, edit: qui non vult,

vult, abstinet. *Nep.* ¿Surgitis a mensa famelici?

Pis. Non omnino saturi: nec expedit; belluarum est enim expleri, non hominum: (r) Regem quendam sapientissimum narrant, nunquam sine appetitu accubuisse, nunquam surrexisse saturum. *Nep.* ¿Quid editis? *Pis.* Quæ habemus.

(r) Regem *Cyrum majorem.*

Nep. Putabam vos esse quæ non habebatis. ¿Sed quæ sunt ista tandem, quæ habetis?

Pis. ¡Molestum percontatorem! Quæ dantur.

Nep. ¿At quæ dantur?

Pis. Jentamur de mane sesquihora posteaquam surreximus.

Nep. ¿Quando surgitis?

Pis. Fere cum Sole qui est dux Musarum, et aurora gratissima Musis. (s) Silatum nostrum est frustum panis autopyri, et paululum butyri, aut fructuum aliquid, quales anni tempus suppeditat. Prandium, olus coctivum, vel pultes in pultariis, aliquid pulmentarii carnium. Rapæ modo, modo brasicæ, amydum, (1) similago, oryza: tum diebus pisculentis lac serosum in (t) gabbatis, e quo fit butyrum expressum, injectis aliquot (u) turundis panis: piscis recens aliquis, si sit in foro piscario precii tolerabilis: sin secus, salsamentum probe maceratum, hinc pisa, aut cicera, aut lentes, aut fabæ, aut lupini. *Nep.* ¿Quantum cuique ex his?

(s) Silatum *jentaculum Autopyri ex tota farina confecti, sine excretione furfurum.*

(t) Gabatæ *sunt profundæ scutellæ.*

(u) Turundæ *sunt frusta parva.*

Pis. Panis quantum avemus, obsoniorum quantum est satis, non ad explendum, sed ad alendum. Amplissimas epulas alibi quærito, non in schola, ubi ad virtutem formantur animi. *Nep.* ¿Quid bibitis?

Pis. Alii frigidam et liquidam, alii cervisiam tenuem; pauci, et raro vinum, et bene dilutum. Merenda est, seu (si id mavis) antecœnium, aliquid panis, et amygdalarum, seu avellanarum, ficorum aridarum, uvarum passarum; aut si

sit

(1) *Amydum, similago.* Cruciabatur nimirum Ludimagister, quòd in Lexicis non inveniret Amydum, sed amylum, utrumque igitur idem est, quanquam magis proprie amylum ab a et mule, vel mulos, quasi sine mola. Conficitur enim ex tritico non molis, sed in aqua per aliquod dies macerato, et lacte expresso quod flagranti sole exsiccatur, vulgo, *Almydon.* In Bætica tamen, *Anaxir*, etiam dicitur, quo mulieres utuntur ad linteorum dealbationem. De amydo vide plura apud Dioscoridem, *lib.* 2. *cap.* 92. *Similago* autem, quæ eadem similia dicitur, genus item est pultis, olim ex purissima farina tritici, nunc ex tritico ipso molis parvulis contuso. A Bæticis, *Acemit*, a Valentinis, apud quos amylum, et similago plurimum sunt in usu, *Semola* appellatur. Lege *cap.* 44. tertiæ quinquagenæ Antonii Nebrisensis.

sit æstas, pirorum, aut malorum, cerasorum, aut prunorum; cum vero animi gratia rus proficiscimur, tum edimus lac vel liquidum vel coactum, caseum recentem, cremorem, lupinos lixivio maceratos, pampinos, et alia quæ villa suggerit. Cœnæ caput est, acetarium concisum sale aspersum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuso.

Nep. ¿Quid? ¿Oleo nucum, aut raparum?

Pis. Apage rem insuavem, et insalubrem; tum in lata paropside (x) aulicoctia vervecina, (y) jussulenta cum prunis passis, aut radiculis, aut herbulis, quæ sint pro intrito, interdum (z) tucetum saporis scitissimi.

(x) Aulicoctia, *cocta in olla.*
(y) Jussulenta *cum ipso jure.*
(z) Tucetum *est caro minutim concisa, et ita elixa.*

Nep. ¿Quo condimento?

Pis. Fame omnium optimo et sapidissimo; hinc certis diebus hebdomadis aliquid assi, potissimum vitulinæ, hœdinæ interdum in vere: pro secunda mensa raphani perpusillum, et casei non putris, nec veteris, sed recentis, qui est quàm vetus alibilior, pira, mala persica, cydonia. Diebus queis carne fas non est vesci, habemus pro carnibus ova assa, aut frixa, aut elixa, singula per se, aut in libum commista in sartagine, aceto, aut omphatio, non tam infuso, quàm instillato: paululum interdum piscium, et caseo succedunt nuces. *Nep.* ¿Quantum cuique?

Pis. Bina ova singulis, et binæ nuces.

Nep. ¿Quid? ¿A cœna nunquamne comessamini? *Pis.* Sæpius.

Nep. ¿Quid quæso? Nam id est suavissimum.

Pis. Convivium Syri apud Terentium, aut aliquod aliud ex illis lautissimis Athenæi, aut similium, quorum meminerunt historiæ. ¿Utrum censes nos porcos esse, an homines? ¿Qui ventriculi, quæ valetudo sufficeret post quaternas refectiones comessari? Heus tu, schola hæc est, non saginarium, dicunt etiam nihil esse perniciosius valetudini, quàm bibere, cum statim sis iturus cubitum.

Nep. ¿Licebitne cœnæ vestræ interesse?

Pis. Facile, modo venia petita a Præceptore, quam scio illum daturum non gravate, nam solet: alioqui pravæ esse educationis ingerere te convivio Magistro inscio, et qui te adduce-

ceret, nihil aliud quàm probrum, et pudorem contraheret apud condiscipulos: mane paulisper. ¿Magister, licebitne cum bona tua venia puerum quendam mihi notum, adhibere nostræ cœnæ? *PRÆC.* Maxime; non erit molestus.

PIS. Habeo gratiam. Hic quem vides gestantem mantile pro focali, est architriclinus hujus hebdomadæ, nam hebdomadarios habemus hic architriclinos, ut Reges.

ARCH. Lamia, ¿quota est hora?

LAM. Horas non audivi a tertia intentus compositioni epistolæ. Florus melius id norit, qui toto hoc pomeridiano tempore librum non vidit, neque chartam.

FLOR. ¡Amicum testimonium, et apud Magistrum iratum valde utile! ¿sed quî potuisti tu id animadvertere, immersus (ut ais) compositioni epistolari? Plane malevolentia te coegit mentiri. Gaudeo profecto inimicum meum pro mendaci haberi. Si quid me posthac voluerit calumniari, carebit fide.

ARCH. ¿Non potero alicunde cognoscere de hora? Antrax transcurre ad Divi Petri, et inspice horas.

ANT. Index signat jam sextam.

ARCH. ¿Sextam vero? Eja pueri agite, eja consurgite, abjicite libros, vel quo cervi cornua (1); parate mensas, insternite, apponite sedilia, mantilia, orbes, quadras, panem; dicto citius volate, ne tarditati nostræ Institutor succenseat. Prome tu cervisiam, tu hauri aquam de cisterna, appone scyphos; ¿quid isthuc rei est? ¿tam obnubilatos adfers? Refer in culinam, ut famula eos fricet, et extergat probe, quo sint nitidi, et fulgentes.

PIS. Nunquam tu hoc perfeceris quandiu simiam hanc habebimus ministram culinariam, nunquam audet fortiter confricare quæ mundat, ita timet suis digitis, nec abluit, nisi semel, et tepida. *ARCH.* ¿Quid admones de eo Præceptorem

PIS. Satius est queri apud famulam atriensem, nam in ejus manu est mutare famulas culinarias. Sed eccum Præceptorem. Tu ipse perluito hos calices, frica folio fici vel urticæ, are-

(1) *Vel quo cervi cornua*, id est, ut nusquam inveniantur, proverbialiter dictum. Cervi enim quotannis cornua deposituri loca invia, et inaccessa quærunt, quæ inventu sint difficiliora.

na, aqua, ne quid hodie habeat Magister jure reprehendendum. *MAG.* ¿Sunt parata omnia? ¿Est aliquid quod nos remoretur? *ARCH.* Nihil omnino.

MAG. Ne postea facturi simus intervalla magna inter missus. (1)

ARCH. ¿Missus vero? Missum potius dixeris, et eum exiguum.

MAG. ¿Quid tu mussitas?

ARCH. Dico, ut assideas, esse tempus, et propemodum corrumpi cœnam.

MAG. Pueri abluite omnes manus et os. Vah, quod mantile? ¿Qui hic se extergunt, ubi mundantur? Curre, adfer aliud purius. Sedeamus more solito. ¿Est is puer conviva noster? *PIS.* Est, here. *MAG.* ¿Cujas est? *PIS.* Flander.

MAG. ¿Ex qua urbe illius Provinciæ? *PIS.* Brugensis.

MAG. Recipe illum supra te. Expediat quisque cultellum suum, et purget quisque suum panem si quid hæret vel cineris, vel carbonum in crusta. Sacret mensam cujus est munus hac hebdomade.

FLOR. Pasce animos nostros Christe caritate tua, qui benignitate tua alis vitas omnium animantium, sancta sint Domine hæc tua munera nobis sumentibus, ut tu qui ea largiris sanctus es. Amen.

MAG. Sedete, quantum licet, laxe ne comprimatis mutuo, quandoquidem est satis loci. ¿Et tu habes cultellum Brugensis?

PIS. Prodigium, Flander sine cultello, et quidem Brugensis, ubi cuduntur optimi.

NEP. Mihi vero cultello nihil est opus, dentibus frangam mordendo, vel digitis buccellatim comminuam.

HYP. Ferunt illud de morsibus tum gingivis, tum candori dentium esse perutile.

MAG. ¿Ubi fecisti Latinæ linguæ tyrocinium? Nam non videris mihi prave institutus.

NEP. Brugis sub Joanne Theodoro Nervio.

MAG. Viro diligenti, docto, probo. Brugæ elegantissimæ: nisi quòd pereunt in dies vitio plebis profusissimæ, dolendum est:

(1) *Inter missus*, id est, inter ferculorum immissiones; dicitur enim missus, vel ludorum, vel ciborum, quoties aliis peractis, aut dimissis, alii suceedunt; immissio.

est: quàm pridem illinc venisti? *Nep.* Nudius sextus.

Mag. ¿Quàm nuper cœpisti studere? *Nep.* Abhinc annos tres.

Mag. Non potest te profectus pœnitere.

Nep. Merito, nam et habui magistrum non pœnitendum.

Mag. ¿Sed quid agit Vives noster?

Nep. Dicunt eum agere athletam, non tamen athletice.

Mag. ¿Quid isthuc rei est?

Nep. Quia luctatur semper, sed parum fortiter.

Mag. ¿Cum quo? *Nep.* Cum suo morbo articulari.

Mag. ¡O luctatorem dolosum, qui primum omnium invadit pedes!

Hyp. Immo lictorem sævum, qui totum corpus constringit. ¿Sed tu quid agis? ¿Quid cessas? Videris huc spectatum venisse, non cœnatum. Nemo vestrum attingat pileum inter cœnandum, ne quis capillus involet in patinas: ¿cur non tractatis hospitem comiter? *Mag.* Nepotule, præbibo tibi.

Nep. Præceptor, excipio animo libentissimo.

Hyp. Exinanias calicem tuum, quandoquidem exiguus haustus restat. *Nep.* Hoc esset mihi novum.

Mag. ¿Quid? ¿non exinanire? ¿Sed tu Hypodidascale quid dicis? ¿Quid adfers novi super cœnam?

Hyp. Ego vero nihil dico, sed hisce duabus horis multa cogitavi de Arte Grammatica. *Mag.* ¿Quæ tandem?

Hyp. Recondita sane, et ex penetralibus disciplinæ; primum ¿cur Grammatici posuerunt tria genera in arte, cum sint tantum duo in natura? ¿aut cur natura non producit res neutrius generis, sicut masculini et feminini? non possum causam exculpere tanti mysterii. Deinde Philosophi dicunt esse tantum tria tempora, ars nostra ponit quinque: ergo ars nostra est extra rerum naturam.

Mag. Immo tu ipse es extra rerum naturam, nam ars in rerum natura est.

Hyp. Si ego sum extra rerum naturam, ¿quomodo possum comedere hunc panem, et has carnes, quæ sunt in rerum natura?

Mag. Tanto tu deterior, qui venis ab altera rerum natura, ut comedas quæ sunt in hac nostra.

(a) Paraphthegma aprosdionyson, *id est responsum alienum a proposito.*

HYP. (*a*) Παράφθεγμα ἀπροσδιόνυσον, aliam ego vellem solutionem mearum quæstionum. Utinam haberemus nunc Palæmonem aliquem, aut Varronem, qui has quæstiones posset profligare.

MAG. ¿Quin potius Aristotelem aut Platonem? ¿Habes aliquid aliud?

HYP. Heri vidi scelus capitale admitti. Ludimagister vici recti capro olidior, qui in phrontisterio suo (1) in pædore et fœtore docet auditores diobolarios, ter aut quater pronuntiavit volucres accentu in penultima; ego vero miratus sum terram illi non dehiscere.

MAG. ¿Quid aliud decebat talem Ludimagistrum dicere? Et est alioqui in formulis grammaticis valde detritus. Sed tu in re levi nimium tumultuaris, et facis tragœdiam ex comœdia, seu Mimo verius (2).

HYP. Equidem absolvi pensum meum: nunc tuæ sunt partes, dic tu vicissim aliquid inter cœnam.

(b) Paraphtheges, *id est præter rem respondeas.*

(c) Foculus mensarius *est calefactorium mensa aptum.*

MAG. Nolo, ne tu mihi vicissim παραφθέγγῃς (*b*). Jussulenta hæc jam conglaciant, adfer (*c*) foculum mensarium, excalfacite aliquantum priusquàm panem intingatis. Raphanus hic non est esui, adeo est lentus; nec minus sunt radiculæ jussulentæ.

HYP. Lentorem profecto non a macello attulerunt, sed hic contraxerunt in nostro penore, qua cella nihil est penui incommodius. Nescio quid isthuc rei est, semper adferuntur huc ossa emedullata.

(d) Sub Lunam silentem, *prope novilunium.*

MAG. Parum habent ossa medullarum (*d*) sub Lunam silentem.

HYP. ¿Quid quum est plena? *MAG.* Plurimum.

HYP. Tum vero ossa nostra habent minimum, seu nihil verius.

MAG. Non exorbet nobis medullas Luna, sed nostra Lamia: nimis hic indidit piperis, et gingiberis; et in jure hoc, et toto acetario nimium menthæ, petroselini, salviæ, erucæ, nas-

(1) *Qui in phrontisterio suo*, a phrontizo Græce quod significat studeo, curo, meditor, inde phrontisterium, schola, et quasi curarum, exercitationum domus.

(2) *Seu mimo verius.* Qui rem levissimam nimis exaggerat: Tragœdiam ex Comœdia facere dicitur, proverbialiter, multo pejus facit, qui ex Mimo. Est enim Mimus Grammatici carminis genus, multo minus, et brevius quàm Comœdia. Ne hoc quidem exponerem, nisi aliquos hoc ipsum dubitare vidissem.

nasturtii, hyssopi, nihil puerorum, et adolescentum corporibus æque damnosum ut cibi qui interiora fervefaciunt.

ARCH. ¿Quibus igitur ex herbis velles confici?

MAG. Lactucis, buglossa hortensi (1), et portucula, et petroselini aliquid admisceri. Heus tu Gingolfe, ne extergas labra manu, aut manica, sed simul ipsa, simul manum mantili; nam ideo tibi datur. Carnes ne attingas, nisi ab ea parte, quam tibi es sumturus. ¿Tu Dromo, non animadvertis te manicas tuas inficere pingui carnium? Reduc eas, si sunt apertæ, ad humeros; si non sunt, corruga, vel complica ad cubitum, quæ si relabuntur, affige acicula, seu, quod magis te decet, spina. ¿Tu dominaster delicatule, in mensam incumbis? ¿Ubi id didicisti? In hara quapiam; heus, subjicite ejus cubito pulvillum. Architricline, vide ne (e) analecta hæc pereant, reconde in promptuarium; tolle primum omnium salinum, hinc panem, tum lances, discos, mantilia, postremo mappam: mundet quisque suum cultellum, et reponat in vaginam. Heus tu Cinciole, ne scalpas dentes scalpello, nam est noxium: conficito tibi dentiscalpium pennula, vel bacillo tenui accuminato, et scalpe modice, ne gingivas scarifices, et sanguinem elicias. Consurgite, et abluite manus priusquam recitetur gratiarum actio. Amove mensam, voca ministram ut pavimentum hoc scopis verrat. Agamus Christo gratias: præeat verba (2), qui sacravit mensam.

(e) Analecta, *reliquiæ quæ colliguntur.*

FLOR. Pro cibo temporario gratias agimus Christe Domine temporarias, fac ut pro immortalitate agamus æternas. Amen.

MAG. Ite lusum, et confabulatum, et deambulatum, quo libuerit, dum licet per lucem.

GARRIENTES.

NUGO, GRACCULUS, TURDUS, BAMBALIO.

NUG. Assideamus in hac trabe: tu Graccule, e conspectu in sa-

(1) *Buglossa hortensi*, id est, borragine: nam alteram silvestrem Hispani bovis linguam appellamus.

(2) *Præeat verba*, id est, dicat quæ nos eum sequentes proferamus. Sic *lib.* 1. *decis.* 5. Agedum Pontifex, præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Cic. tamen, et Plaut. verbis, et voce præire dicunt.

saxo illo, modo ne impedimento sis, quo minus cernamus prætereuntes, apricemus nos ad hunc parietem egregie Soli ostentum. ¿Quam grandis truncus, et cui usui?

Turd. Ut nos hic sedeamus.

Nug. Oportet fuisse procerissimam et latam arborem, unde est sumtus. *Turd.* Quales sunt in India.

Grac. ¿Quî scis? ¿Fuisti tu in India cum Hispanis?

Turd. Quasi scire aliquid de regione quapiam non possis, nisi in ea fueris, sed dabo tibi auctorem meum. Plinius scribit, in India crescere ad eam altitudinem, quæ non possit jaculo superari:

Et gens illa quidem sumtis non tarda Pharetris,

ut ait Vergilius. (*)

Nug. Scribit etiam Plinius, turmam equitum condi sub ramis.

Turd. Nemo id miretur, qui scirpos illius regionis consideret, quibus infirmi fulciunt gradum, divites dumtaxat.

Grac. Heus, ¿quota est hora?

Nug. Nulla, nam horarum tintinabulum nunc funditur: ¿adfuisti? *Gr.* Non sum ausus, nam ajunt rem esse periculosam.

Nug. Ego interfui, et vidi innumeras mulieres prægnantes transilire canalem fusionis, qui est sub terram conditus.

Turd. Audivi hoc illis esse salutare.

Grac. Ea est colus Philosophia, (1) ut dicunt, sed de hora quærebam.

Nug. ¿Quid tibi opus est hora, si quid vis agere? Dum est opportunitas, est hora. ¿Sed ubi est horologium tuum viatorium?

Grac. Excidit mihi nuper cum fugerem canem olitoris, post decerpta pruna.

Turd. Ego te currentem vidi de fenestra, sed quo te recepisses spectare non potui, quia impedimento mihi erat hortus pensilis, quem ibi mater affixit patre invito, et multum reclamante: mater vero in proposito constans obtinuit, ne tolleretur. *Nug.* ¿Quid tu? ¿tacebas?

Turd.

(*) Georg. lib. 2. vers. 125.

(1) *Ea est colus Philosophia*, id est, sapientia, ac potius superstitio muliebris. Est colus genitivi casus.

Turd. Flebam tacitus; ¿quid enim aliud agerem dissentientibus mihi carissimis capitibus? Tametsi mater jubebat me ab se stare et clamare strenue, sed mihi non erat cordi quicquam adversus patrem mutire. Ego missus sum ad scholam quatuor continuis diebus injentatus a matre irata, et dejerante me non esse ex se natum, sed commutatum a nutrice, de quo ait dicturam se nutrici diem apud Prætorem capitalem (1).

Nug. ¿Quid rei est Prætor capitalis? ¿An non Prætor omnis habet caput?

Turd. Quid ego scio; sic illa dixit.

Grac. Hem, qui sunt isti penulati, et ocreati.

Nug. Galli sunt. *Grac.* Quid, ¿estne pax?

Turd. Bellum narrabant futurum, et quidem atrox.

Grac. ¿Quid adferunt? *Turd.* Vinum.

Nug. Exhilarabunt multos.

Grac. Scilicet non solum vinum exhilarat, sed vini mentio et recordatio.

Nug. Vinosos utique; mea nihil refert, qui aquam bibo.

Grac. Nunquam facies bonum carmen.

Turd. ¿Nosti illam mulierem? *Grac.* Non, ¿quænam est?

Turd. Aures habet gossipio obturatas. *Grac.* ¿Quid ita?

Turd. Ne quid audiat, quia male audit.

Nug. ¡Quàm multæ pessime audiunt auribus patentibus, et bene perforatis!

Turd. Credo huc pertinere quod est apud Ciceronem in Tusculanis quæstionibus; Surdaster erat M. Crassus, sed illud pejus, quòd male audiebat.

Nug. Non dubium est quin hoc ad infamiam sit referendum. ¿Sed heus tu Bambalio, invenisti tuas Tusculanas quæstiones?

Bam. Etiam, apud propolam, adeo interpolatas, ut non agnoscerem. *Nug.* ¿Quis surripuerat?

Bam. Vatinius, quod illi male sit.

Grac. Vah hominem manibus aduncis, et picatissimis: ne admittas eum unquam ad tuas capsas, nec ad scrinia, si vis om-

(1) *Apud Prat. cap.* vulgo, *Alcalde del crimen.*

omnia esse salva. ¿ Nescis illum crumenisecam existimari ab hominibus, et de crumenisecio accusatum apud Gymnasiarcham? *Nug.* Soror puellæ illius enixa est heri gemellos.

Grac. ¿Quid mirum? Mulier quædam in via Salaria ad Leonem galeatum peperit nudiùs sextus ter geminos.

Nug. Plinius dicit ad septimum posse procedi.

Turd. ¿Quis vestrum audivit de uxore Comitis Bataviæ, quam ferunt uno partu tot edidisse, quot sunt in anno dies ex imprecatione mendicæ cujusdam?

Grac. ¿Quid isthuc fuit de mendica?

Turd. Mendica hæc liberis onusta petiit ab hac Comite stipem, illa ubi conspexit tot pueros, convicio illam abegit, scortum vocitans; negabat enim posse fieri ut ex uno viro tantam sobolem suscepisset. Innocens mendica precata est Divos, ut si se castam, et puram scirent, darent Comiti ex marito suo tot fœtus uno conceptu, quot sunt in anno dies, et ita contigit, ostenditurque propago numerosa illa in oppido quodam illius insulæ.

Grac. Malo credere, quàm exquirere.

Nug. Omnia sunt Deo possibilia. *Grac.* Immo vero facillima.

Nug. ¿Non nosti illum onustum retibus, comitatum canibus, cum (*f*) causia, et peronibus, vehentem canterio (1) strigosissimo? *Turd.* ¿Estne Mannius versificator?

(f) Causia *est pileus latus adversus æstum.*

Nug. Est plane. *Turd.* ¿Quænam tanta metamorphosis?

Nug. Ex Minerva transiit ad Dianam: id est ab honestissima occupatione ad inanem et stultum laborem. Pater ejus mercimoniis faciundis auxerat rem, hic paternam artem dedecori sibi esse ducit, vertit se ad alendos equos et venationem, non aliter ratus posse nobilitatem generis venari. Nam si quid ageret utile, non haberetur pro nobili. Sequitur eum venantem talis Curius, pereruditus homo, aleator famosissimus, et qui probe novit taxillos mittere (*g*) compositos, domi habet sodalem Tricongium.

(g) Composıτος, *ita ut cadant ut ipse vult.*

Turd. Immo amphoram. *Grac.* Immo spongiam.

Nug.

(1) *Vehentem canterio*, id est, qui vehitur: participium præsentis in passiva significatione. Sic. Titus Livius *lib.* 2. tertiæ Decad. Cn. Lentulus cum prætervehens equo Consulem vidisset. Unde nomen verbale vector, fere passive etiam.

Nug. Immo arenam Africæ aridissimam.
Bam. Ajunt illum semper sitire.
Nug. An sitiat nescio, semper certe paratus est potare.
Bam. Ausculta lusciniolam illam. *Grac.* ¿Ubinam est?
Bam. ¿Non vides eam in ramo illo sedentem? Vide, ut canit ardenter, nec intermittit.

Nug. Flet Philomela nefas. (*)

Grac. ¿Quid mirum dulciter eam garrire, quæ sit Attica? Ubi etiam fluctus maris non sine numero alliduntur littori.

Nug. Plinius scribit, eam præsentibus hominibus diutius et accuratius cantare. *Turd.* ¿Quid causæ est.

Nug. Ego tibi causam aperiam. Cuculus, et Philomela eodem cantant tempore, verno scilicet, ab Aprili medio ad Majum exactum, aut eo circiter. Hæ duæ aves in contentionem venerunt de suavitate concentus: quæsitus est judex; et quia de sono erat certamen, aptissimus visus est ad eam cognitionem asinus, qui præter ceteras animantes grandes haberet auriculas. Asinus repudiata luscinia, cujus se armoniam negaret intelligere, victoriam cuculo adjudicavit. Philomela ad hominem appellavit: quem ubi videt, agit statim causam suam, canit diligenter, ut se illi approbet ad vindicandam injuriam ab asino acceptam.

Grac. Habeo causam Poeta dignam.

Nug. ¿Quid ergo? ¿Expectabas Philosopho dignam? Posce a novis illis Magistris Parisiensibus.

Grac. Plerique illorum vestibus sunt Philosophi, non cerebro.

Nug. ¿Quid ita vestibus? Nam coquos potius dixeris, aut muliones.

Grac. Quia gestant eas crassas, detritas, laceras, lutulentas, immundas, pediculosas.

Nug. Erunt ergo Philosophi Cynici.

Grac. Immo cimici: non, quod videri afectant, Peripatetici; quippe Aristoteles sectæ Princeps, cultissimus fuit. Ego vero longum vale dico jam nunc Philosophiæ, si aliter non possum esse Philosophus. ¿Quid enim pulchrius, et homine dig-

(*) Ovid. Metamorph. et alibi.

dignius, quàm mundities, et civilis quidem cultus in victu, et vestitu? Ea in re antistant mea sententia Lovanienses Parisiensibus.

Turd. ¿Quid tu? ¿non putas esse impedimento studiis nimiam curam munditiæ, atque elegantiarum?

Grac. Ego quidem munditiem probo, anxiam et morosam illius curam improbo.

Nug. ¿Damnas tu elegantias, de quibus scripsit Valla tam diffuse, quasque adeo diligenter commendant nobis nostri præceptores?

Grac. Alia est verborum in loquendo elegantia, alia rerum in vestiendo.

Turd. ¿Scitis quid est mihi narratum a tabellario Lovaniensi?

Nug. ¿Quid tandem?

Turd. Clodium ardere perdite in puellam quandam, et Lusconem transtulisse se ad mercaturam a litteris, hoc est ab equis ad asinos. *Nug.* ¿Quid audio?

Turd. Clodium noratis omnes succi plenum, rubicundulum, bene habitum, hilarem, vultu renidenti, comem, festivum, confabulatorem, nunc refert ille esse exuccum, exanguem, pallido colore atque adeo lurido, imbecillum, horridum, trucem, taciturnum, fugitantem lucis, et humani consortii; nemo qui illum vidisset prius, jam agnosceret.

Nug. ¡O miserum adolescentem! ¿Unde id mali?

Turd. Ex amore. *Nug.* ¿At unde amor?

Turd. Quantum ex oratione tabellarii potui colligere, reliquerat seria et solida studia, dediderat sese cunctum Poetis lascivis, Latinis, et linguæ vulgaris: inde prima animi præparatio; ut si qua ignis scintilla in illum incideret fomitem, quantumlibet exigua, subito inflammaretur velut stupa: tradiderat se somno, et otio.

Nug. ¿Quid necesse habes plures aut majores causas amandi commemorare?

Turd. Nunc insanit, ambulat plerumque solus: semper autem vel tacitus, vel cantillans aliquid et modulans, scribit versus sermone vernaculo. *Nug.* Scilicet

Quos

Quos legat ipsa Lycoris. (*)

GRAC. O Christe averte ab animis nostris tam perniciosum morbum.

TURD. Nisi me ingenium Clodii fallit, recipiet se aliquando ille ad frugem meliorem, peregrinatur animus ejus in nequitia, non habitat.

GRAC. ¿Et ille alter quas mercaturas exercet?

TURD. Misit ad patrem epistolam flebiliter conscriptam de misera conditione studiorum, quam, quod esset (*h*) apertilis, legit ipse tabellarius. Pater homo crassæ Minervæ, transdidit eum a chartis ad lanas, pannos, glastum, piper, gingiber, cinnamum. Nunc ille succinctus braccha, mire diligens, et sedulus in aromataria taberna, vocat adventores, excipit blandus, scandit, descendit per scalas infestissimas; profert suas merces, vertit, invertit, mentitur, pejerat: omnia sunt illi leviora, quàm studere.

(h) Apertilis, *quæ aperiri possit integre.*

NUG. A puero novi illum attentum ad rem, et delectari numulis: itaque potiorem habuit numationem, quam litteraturam, et vile lucrum anteposuit excellentiæ eruditionis: aliquando pœnitebit eum. *TURD.* Sed sero.

NUG. Indubie: provideat ne accidat sibi quod suo consobrino. *TURD.* ¿Cui?

NUG. Antronio in angiportu pomorum, ad tres gracculos. ¿Non audisti illum superiore anno decoxisse?

GRAC. ¿Quid decoxit quæso? ¿Estne hoc tantum malum? ¿An non quotidie id fit in culinis omnibus?

TURD. Decoxit rem. (1) *GRAC.* ¿Quam rem?

TURD. Alienam, et (*i*) conturbavit.

GRAC. ¿Nihilne reddidit creditoribus?

TURD. Ex compactione (nam receperat se in asylum) uncias ternas ex libris singulis.

(i) Conturbavit, *rationes scilicet, nolens solvere creditoribus.*

GRAC. ¿Hoc vocas tu decoquere, cum nihil sit crudius? ¿Sed quomodo amisit?

(*) Virg. Ecclog. 10. v. 2.

(1) *Decoxit rem*, et *conturbavit rationes*, pro eodem accipiuntur, sed absolute plerumque; vulgo, *alzóse*, *ò perdióse*, unde decoctores, qui rem suam perdiderunt. Juvenal. Sic Pedo conturbat. Matho deficit.

Turd. Audivi equidem nuper de patre; non satis tamen intellexi: narrabat pater eum fecisse versuras damnosissimas, quæ degluberunt eum, et devorarunt usque ad ossa.

Grac. ¿Quid rei est versura? ¿Quid deglubere?

Turd. Ne ego quidem novi, credo esse aliquid de furibus.

Nug. ¿Vides illum obesum, quem putes vix se posse commovere? Petaurista est, et funambulus.

Grac. Ah tace, rem narras incredibilem.

Turd. Non ipse quidem suo corpore, sed calicibus.

Grac. ¿Adferebat aliquid aliud novi tabellarius de nostris sodalibus?

Turd. Etiam de Hermogene, qui in omni nostro certamine semper ferebat primas: is admirabili mutatione ex ingeniosissimo, et (ut ætas illius ferebat) doctissimo, repente factus est tardissimus et rudissimus.

Nug. Tale quidam sæpe vidi accidere in quibusdam acutulis.

Bam. Ajunt id fieri, cum ingenii acumen non est solidum: ut in scalpellis, quorum acies facile retunditur, præsertim si quid secet paulo durius.

Grac. ¿Quid? ¿Estne acies in ingenio, sicut in ferro?

Bam. Nescio: ferrum sæpe vidi, ingenium nunquam vidi.

Nug. ¿Quid factum est adolescenti illi pagano, qui superiore mense exhibuit nobis (*j*) prandium adventorium refertum deliciis rusticis, ad quem a fuga retrahendum præceptor miserat quatuor (*k*) fugitivarios? Et erat formosulus.

Turd. Venustus asinus. Puella (*l*) amanuensis amitæ meæ, quæ puella est illi soror patruelis, convenit illum nuper in pago suo nudo capite, impexum, horridum, sentum, cum gallicis, (*m*) et tunica (*n*) villosa levidensa, vendentem in trivio quodam chartaceas imagines, et tabellas elementarias, cantantem cantiones novas in circulis.

Grac. Oportet illum esse ortum claro sanguine.

Turd. ¿Quî isthuc?

Grac. Quoniam pater ejus est de genere Coclitum.

Nug. Non tam id arguit nobilem virum, quàm bonum jaculatorem: (*o*) collimabit facile.

(j) Prandium adventorium, *pro suo felici adventu.*
(k) Fugitivarios, *qui retrabunt servos a fuga.*
(l) Amanuensis, *quam bera babet semper sibi paratam ad manum.*
(m) Gallicis *socci lignei.*
(n) Villosa, levidensa, *crassa, qualis est Frisia.*
(o) Collimabit, *attinget scopum.*

Turd.

Turd. Aut fabrum tignarium, qui oculo rubricam dirigit uno.

Nug. Nunquam placuit mihi ille puer, nec dederat mihi significationem aliquam virtutis. *Grac.* ¿Quid ita?

Nug. Quia nec amabat studia, nec præceptorem reverebatur, quod est perditi animi argumentum evidentissimum; et senes irridebat, et calamitosos subsannabat. ¿Sed quis est iste sericatus, torquatus, bracteatus auro?

Grac. Ex genere clarissimo, matrem habet nobilissimam, et fœcundissimam. *Nug.* ¿Quam?

Grac. Terram; et vix credas quas semper faciat delicias, dicas puerulum in cunis adhuc, et crepundiis vagientem.

Nug. Atqui lanugo illi incipit jam per malas serpere.

Bam. Hem observator venit: expedite libros, explicate, incipite evolvere.

Grac. Nec fuit his multis hebdomadibus observator magis curiosus, et qui tam gauderet deferendis ad Magistrum criminibus.

Bam. Utinam saltem nos veræ culpæ reos ageret, sed calumniatur plerunque. *Nug.*

Hic murus aheneus esto. (1)

Nihil conscire sibi, nulla pallescere culpa. (*)

Sed quiescite, ego illum statim hinc fugabo.

Obs. ¿Quid tu dicis vacia? *Nug.* ¿Quid tu Vatrax? (2)

Obs. ¿Quid tu Vatrachomyomachia? Sed joco amoto, ¿quid hic agitur?

Nug. ¿Quid ageretur? Quod inter bonos scholasticos, et studiosos: legitur, ediscitur, disputatur. Dic sodes, capitulum lepidissimum; qui est apud Verg. (**)

¿*Transversa tuentibus hircis*?

Obs. Bene facitis: pergite studere, ut bonæ indolis adolescentes decet. Mihi aliud nunc est negotii, vos valebitis.

Nug.

(1) *Hic murus aheneus esto*, hæc sic animi nostri firma, et invincibilis sententia: ferreum, ut ita dicam, propositum. Proverbium ab Horatio sumtum.

(*) Horat. Epist. lib. 1. Epist. 1. v. 60.

(2) ¿*Quid tu Vatrax*? ¿*Quid tu Batrachomiomachia*? Batrachos rana dicitur Græce; Vatrachomyomachia, ranarum et murium pugna, quam Homerus (ut ajunt) versibus composuit. Hoc autem loco utrunque nomen pro convicio usurpatur a pueris garrientibus.

(**) Ecclog. 3. v. 8.

Nug. Satis nugatum est, revertamur ad ludum: sed prius relegamus quæ præceptor explicavit, tum ut discamus, tum ut illi placeamus, et nos approbemus: quod cuique nostrum debet esse in votis, non minus quàm patri.

ITER, ET EQUUS.

Philippus, Misipus, Misospodus, Planetes, Puer, Rusticus.

Phil. ¿Vultisne proficiscamur animi gratia Boloniam, quæ est ad Sequanam?

Misip. et *Misosp.* (1) Nihil malumus, die præsertim sereno, et a ventis silenti, tum etiam in nostro pædagogio feriato.

Phil. ¿Cur non est vobis operarius?

Misosp. Quia Pandulphus madefacturus est hodie ingenti prandio Magistros omnes in honorem laureæ suæ magistralis.

Plan. ¡Vah quantum potabitur! *Misosp.* Multo plus sitietur.

Misip. Ego habeo asturconem.

Phil. Et ego equum meritorium, conductum de lusco impostore.

Misosp. Ego et Planetes vehemur rheda: reliqui, si videtur, vel pedestres sequentur nos, vel vi brachiorum agent cymbam contra cursum amnis. *Plan.* Immo equis trahetur.

(p) Pedestre, *idem quod terrestre.*

Misip. Ut erit cordi, nam nobis (*p*) pedestre iter magis placet.

Phil. Eja puer, fræna equum meum, et insterne. ¿Quid malum, manno indis lupatum? Orna potius frænulo illo levi cum bullis.

(q) Orea, *corrigia quæ est sub ore.*

(r) Aurea, *corrigia ad aures.*

Puer. Hui, nec (*q*) oream habet, nec (*r*) aureas.

Phil. Si scirem quis fregisset, ego illi frangerem.

Misip. ¿Quid tu nunc dicis concitatus?

Phil. Panem in cœna. Accipe unde poteris, accomodato.

Puer. Scilicet in mediis pædagogiis quæris tu vel equos, vel equorum ornamenta.

Phil.

(1) *Misippus, &c.* Licuit hoc loco nomina hæc Græca Latine exponere, ita sunt apta interloquentium personis: Misippus, osor equorum. Philippus, equorum vel equitandi amicus; Misospodus, penultima longa, ignavus, et industriæ osor: Planetes, vagus, erro, viator. Sequana, fluvius est Parisios interfluens.

PHIL. Supple igitur quæ desunt ex hoc fune.

PUER. Erit deforme.

PHIL. Abi insane, ¿quis videbit extra urbem?

PUER. (s) Antilena est dissuta.

(s) Antilena, *est lorum ante pectus.*

PHIL. Sarcias ligula astrictoria aliqua.

PUER. Non habet (t) postilenam. *PHIL.* Nec est opus.

(t) Postilena, *lorum ab strato ad caudam.*

PLAN. ¡Magnum equitem, et exercitatum! delabetur ephippium ad collum, et effundet te equus supra caput.

PHIL. ¿Quid ad me? Lutosa est magis via, quàm lapidosa: inficiar cœno, non cruentabor. Sed si hæc omnia apparanda, non hinc discedemus ante vesperum, adduc equum qualicunque ornatu.

PUER. Paratus est, conscende: ¿ah quid agis? ¿Pedem dextrum ponis priorem in stapeda? *PHIL.* ¿Utrum ergo?

PUER. Sinistrum, et habenas sinistra manu rege: dextra cape hanc virgulam, quæ erit pro calcaribus.

PHIL. Non indigeo, calcanei erunt mihi vice calcarium.

PUER. Jubellium Tauream videtis (1), aut qui cum hoc est congressus, Asellam.

PHIL. Apage historias in procinctu, ¿ubi reliqui?

PUER. Ite, ego comitabor vos pedester.

MISIP. ¡O equum molestissimum succussatorem (2)! ossa mihi omnia contuderit, priusquàm perveniamus in oppidulum.

PHIL. ¿Quid malum est stratum istud tuum? Clitella est, ut puto. *MISIP.* Paulo minus. *PHIL.* ¿Quanti, quanti?

MISIP. Numis Turonensibus quatuordecim.

PHIL. Equum ipsum cum suo victu, et vestitu tanti non emerim, nec videtur mihi equus vector, nec ephippiarius, sed jumentum clitellarium, et jugale, aut dorsuale, animadverte

(1) *Jubellium Tauream*, &c. Non defuit præceptor quidam, qui cum horum verborum sensum non intelligeret, cœpit excussores in jus vocare, quod litteram corrupissent. Quare sic emendandam præcipiebat: Rubellum taurum videtis, et qui cum hoc congressus est, asellum: pugnam nescio quam inter taurum nigrum, et asellum, suaviter et cum audientium plausu confingens. Jubellius igitur cognomine Taurea, longe Campanorum fortissimus eques, Claudium Asellum civem Romanum, equestri gloria sibi parem, in singulare certamen provocavit. Quorum pugnam narrat Libius in fine fere tertii libri tertiæ Decadis; apud quem non Asellam, sed Asellum leginus.

(2) *Succusatorem.* Equus qui sic graditur, ut sessorem concutiat, Succusator, et Succusor, et Succusarius dicitur.

te quæso, ut passim cespitat; vel in chartam, aut latum culmum impingeret.

Misip. ¿Quid tu de eo dicis? Pullus est adhuc. ¿Sed garrias quæ voles, vides tu hunç equum? Is qualis qualis est, me vehet, aut ego illum. *Puer.* Ungulam habet tenerrimam miser.

Phil. ¿Quid admonuit te tam accurate unoculus, cum tibi eum insterneret?

Misip. Rogavit verbis amantissimis, ne duo insideremus equo, alter in strato, alter super clunes, et ut in equili diligenter ei (*u*) substernerem.

(u) Substernerem, *paleam ad cubandum.*

Puer. Nimirum eget missellus, qui latera habet nudata a carne.

Phil. ¿Quid agitis vos? ¿Non ascenditis in rhedam?

Plan. Probe mones, rhedarius petit nunc altero tanto plus, quàm quanti eramus pacti.

Phil. ¿Cum rhedariis est vobis res, et cum naviculatoribus? Facile conficietis omnia, et ex animi sententia. Genus hominum est mite, mansuetum, come, urbanum, pium. Rhedarii sunt fæx terræ, naviculatores fæx maris, date illi dimidium ejus, quod plus poscit.

Puer. ¿Quotam esse jam horam censetis?

Phil. Ex sole conjicio esse ultra decimam.

Puer. Appetit jam meridies.

Phil. ¿Ita ne? Heus Misippe, eamus: sequatur qui poterit. Invenient nos ad galerum purpureum, ea est taberna diversoria sita contra regiam pyramidem, non procul a domo (*x*) Curionis. *Misip.* ¿Qua egrediemur?

(x) Curio *est Sacerdos qui præest Parœciæ* Cuiatus *vulgo.*

Phil. Per portam Marcellinam, ad dextram, simplici via, et directa.

Misip. Immo teneamus hanc semitam, via jucunda et placida.

Phil. Minime vero: nihil commodius ac tutius quàm via regia, nam transversis itineribus amittemus comites: præsertim quòd trames ille, nisi me fallit memoria, est valde sinuosus, et ambagiosus.

Misip. ¿Qui sunt isti hastati? Videntur milites ex istis mercenariis. *Phil.* ¿Quid agendum?

Misip. Revertamur ne nos spolient.

Phil.

Phil. Progrediamur; nam facile evademus eos cursu equorum per campos.

Misip. ¿Quid si gestent (*y*) tormenta manuaria?

(y) Tormenta manuaria, *quas sclopetas vocant.*

Phil. Nihil tale cerno, sed solas sarissas.

Misip. Accede propius Puer. *Puer.* ¿Quid rei est?

Misip. ¿Non tu vides illos Germanos? *Puer.* ¿Quos?

Misip. Illos huc venientes adversum nos.

Puer. Plane non sunt Germani, sed Parisienses, rustici duo cum suis baculis.

Misip. Profecto ita est: bene sit tibi, animam mihi et vitam reddidisti. ¿Sed ubi Misospodus et Planetes?

Puer. Rhedarius iratus, quòd non quantum postulaverit accipiat, duxit eos via salebrosa: equi dum magna enituntur vi rotas in alto cœno hærentes extrahere, temonem et helcia (1) confregerunt; tum canthi revulsi sunt cum clavis, et ipse rotam sufflaminaverat imprudens, bili excæcatus: nunc ea reficit stomachabundus, et convicians divis omnibus, vectores quoque diris devovens atrocissimis.

Phil. Quæ capiti illius sint.

Puer. Puto eos rheda relicta transituros in sarracum, quod sine onere habet iter Boloniam. Glaucus et Diomedes ingressi erant in scapham quandam, sed nautæ negant se hoc vento posse remis aut contis agere navigium: (*z*) equos helciarios narrant omnes esse occupatos, nescio qua materia vehenda; ita nondum religarant (*a*) prymnesium.

(z) Equi helciarii, *qui trahunt navigium, aut similia.*

(a) Prymnesium, *funis est, quo navicula terræ alligantur.*

Phil. ¿De naulo nihil novi? *Plan.* Nihil prorsum.

Phil. Mirum est, sed conjicio quid futurum sit, non pervenient illi Boloniam ante serum diei.

Misip. ¿Quid tum? Sumemus diem crastinum totum ad reficiendum animum. Aspice ut fluviolus ille leniter labitur; aquæ plane crystallinæ inter scrupos aureos: ¿quàm jucundum murmur? ¿Audis lusciniolam, et carduelem? Profecto territorium hoc Parisiense amœnissimum est.

(1) *Helcia*: pro loris, seu capistris accipias licet. Apulejus helcium sparteum, et teniam sparteam pro eodem posuit; nempe pro eo vinculi nexusque genere, quo jumenta capistrata machinas, molasque trahunt; a verbo Græco *elco*, quod est traho, unde equi, servique helciarii apud Mart. et Sidonium.

Phil. ¿Quod spectaculum potest esse huic par? ¿Quàm placido agmine fluit Sequana? ¿Ut fertur navicula illa plenis sinibus, et secundo vento? Mirifice his omnibus redintegrantur animi. ¡O pratum miro artificio vestitum!

Misip. Nempe ab admirabili artifice.

Phil. ¿Quàm suavem odorem eructat?

Misip. Hac, hac ad sinistram flectito, ut vites cœnum tenacissimum, in quo gradarius tuus statim unguem amitteret. ¿Quàm contrarius hic campus suo vicino, obsitus situ, squallidus, cariosus, horrens petris, et spinis armatus?

Puer. ¿Non vides esse agrum ruderatum ex villæ ruinis? Et alioqui frumentarius est. *Hiberno pulvere, verno luto, magna farra Camille metes.* (1)

Phil. Quæso cantilla versus aliquot, ut soles. *Misip.* Placet.

Felix ille animus divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco.
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ. (*)

Phil. Versus facetissimos et gravissimos, ¿cujus quæso sunt?

Misip. ¿Non agnosti? *Phil.* Non. *Misip.* Angeli Politiani.

Phil. Vetustiores putavi, et habent gratiam antiquitatis. Suspicor nos deerrasse.

Misip. ¿Heus bone vir, qua itur Boloniam?

Rust. Aberrastis: obvertite canteria vestra ad bivium illud, et tenete viam quam rodit flumen, ea vos non sinet falli, recta est et simplex usque ad vetustam quercum, inde ad manum hanc vos præcipitatote. *Misip.* Habemus gratiam.

Rust. Ducat vos Deus.

Misip. Mallem currere, quàm sic ab equo isto concuti.

Phil. Tanto cœnabis avidius.

Misip. Immo non potero cœnare delassatus, et confractus toto corpore: citius quæram de lecto quàm de mensa.

Phil.

(1) *Hiberno pulvere, &c.* In libro vetustissimorum carminum, qui ante omnia, quæ a Latinis scripta sunt, compositus ferebatur; inventum est hoc rusticum vetus canticum: *Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.* Unde Virgil. illud sumsit: Hiberno lætissima pulvere farra. Auctor est Macrobius *lib.* 5. Satur.

(*) Angel. Polit. Sylv. cui titul. *Rusticus.*

Phil. Sede conjunctis cruribus, non divaricatis: minus senties laborem.

Misip. Hoc est feminarum, et facerem, nisi metuerem derisus, et sannas prætereuntium.

Puer. Siste parumper Philippe, dum hic faber ferrarius calciarit asturconem tuum, cui excussa est solea dextri pedis.

Misip. Quin potius moremur hic, ut clauso diversorio sub dio dormiamus.

Phil. ¿Quid tum? ¿In aperto mundo, an non id præstabilius, quàm in clauso? Gravius esset quòd incœnes.

SCRIPTIO.

Manricus, Mendoza, Puer, et Magister.

Man. ¿Adfuistin hodie, quum ille haberet orationem de utilitatibus scribendi? *Men.* ¿Ubinam?

Man. In auditorio Antonii Nebrissensis. (1)

Men. Minime vero, sed tu recense, si qua hæserunt memoriæ.

Man. ¿Quid ego recenseam? Dixit tam multa, ut omnia prope exciderint.

Men. Ergo contigit tibi, quod de vasis angusti orificii Quintilianus dicit, quòd superfusam humoris copiam respuunt; sensim si instilles, recipiunt; ¿sed nihil retinuisti penitus?

Man. Propemodum nihil.

Men. Aliquid igitur. *Man.* Perpusillum.

Men. Isthuc ipsum perpusillum fac mihi etiam commune.

Man. Primum omnium ajebat esse perquam admirabile, tantam varietatem humanarum vocum paucis potuisse litteris comprehendi: deinde amicos absentes posse inter se beneficio litterarum colloqui. Addebat, nihil esse visum mirabilius

(1) *In auditorio Antonii Nebrissensis.* Non possum, quanlibet spatiorum angustiis premar, dulcissimi Præceptoris mentioni vel paulisper non inhærere. Hic est ille Ælius Antonius Nebrissensis bonarum litterarum et Latinæ linguæ primus apud Hispanos assertor, omnimoda disciplinarum eruditione refertus, qui extremo fere senectæ suæ tempore Compluti doctissimos auditores docens, diem suum obiit; e cujus auditorio plurimi eruditissimique viri prodierunt, quorum scriptis (ut Socrati contigit) nomen ejus æternæ memoriæ mandabitur; tametsi ex iis, quæ ipse scripta reliquit, morietur nunquam: de cujus laudibus alibi fortasse, et copiosius, et liberius.

lius apud insulas istas a Regibus nostris recens inventas, unde aurum adfertur, quàm posse inter se homines aperire quæ sentiant, tanto intervallo regionum missa chartula aliqua, maculis nigris distincta. Rogabant enim, an papyrus sciret loqui. Hæc ille, et alia permulta quæ sum oblitus.

Men. ¿Quamdiu dixit? *Man.* Horas duas.

Men. ¿Ex tam longa oratione tam paucula mandasti memoriæ?

Man. Mandavi quidem memoriæ, sed ea noluit retinere.

Men. Plane dolium habes filiarum Danai.

Man. Immo excepi cribro, non dolio.

Men. Accersamus aliquem, qui tibi ea quæ ille dixit, redigat in memoriam.

Man. Mane tamen, nam aliud quiddam cogitatione quæro, teneo.

Men. Eloquere tandem; ¿cur non excipiebas penna?

Man. Non erat ad manum. *Men.* ¿Ne pugillares quidem?

Man. Ne pugilles quidem. *Men.* Exprime hoc tandem.

Man. Aufugit jam; tu excussisti menti, tam odiose interpellando. *Men.* ¿Hui tam cito?

Man. Rediit in memoriam. Ex auctoritate nescio cujus scriptoris affirmabat, nihil esse ad magnam eruditionem compendiosius, quàm probe ac celeriter pingere.

Men. ¿Quis est auctor?

Man. Nomen sæpe audivi, sed memoria effluxit.

Men. Ut alia; sed huic præcepto non paret vulgus nostræ nobilitatis, quæ pulchrum et decorum sibi esse ducit nescire litteras formare: dicas scarificationem esse gallinarum, et nisi præmonitus sis cujus sit manus, nunquam divinaris.

Man. Et ea de causa vides quàm crassi sint homines, quàm amentes, et opinionibus corruptissimis.

Men. ¿Quomodo sunt vulgus, si nobiles? ¿An non hæc multum inter se distant?

Man. Quia vulgus non vestibus et possessionibus distinguitur, sed vita et judicio de rebus integro.

Men. ¿Vin ergo ut nos a vulgari ista inscientia vindicemus? Tradamus nos huic exercitamento.

Man.

Man. Nescio quo pacto naturale est mihi distorte, inæqualiter, perturbate exarare litteras.

Men. Hoc habes nobilitatis, exerceas te: nam assuefactio mutabit quod naturale esse ducis. *Man*. ¿Sed ubi is habet?

Men. ¿Ex me tu id quæris? Qui nec audivi hominem, nec vidi, quum ipse eum audieris, tu, quantum intelligo, velles omnia ingeri tibi præmansa in os.

Man. Nunc commemini: ajebat sibi domum conductam juxta ædem Divorum Justi, et Pastoris.

Men. Est ergo vicinus vester, eamus.

Man. ¿Heus Puer, ubi est Magister? *Puer*. In illo conclavi.

Man. ¿Quid agit? *Puer*. Docet quosdam.

Man. Significa illi stare hic pro foribus qui huc etiam veniunt, ut ab eo doceantur.

Mag. ¿Qui sunt pueri isti? ¿Quid petunt?

Puer. Te cupiunt conventum.

Mag. Admitte eos ad me recta.

Man. et *Men*. Optamus tibi salutem, et omnia prospera, Magister.

Mag. Et ego vicissim vobis felicem huc ingressum: sospitet vos Christus, ¿Quid est? ¿Quid vultis?

Man. Doceri abs te artem istam quam profitere, si modo vacat, et si vis.

Mag. Profecto oportet vos esse pueros honestissime educatos, qui et sic loquamini, et tam modesto sitis ore. Nunc vero magis, quum tota facie suffundit se vobis rubor: confidite filii, nam iste est color virtutis. ¿Quî vocamini?

Man. Manricus, et Mendoza.

Mag. Nomina ipsa testantur ingenuam educationem, et generosos animos. Ita demum eritis vere nobiles, si iis artibus excolatis animos, quæ maxime sunt dignissimæ claris natalibus. Quanto magis sapitis vos, quàm multitudo ista nobilitatis, qui eo se habiturum iri generosiores sperant, quo imperitius pingant litteras. Sed minime est hoc mirandum, quandoquidem persuasio hæc dementiam nobilitatis jam pridem invasit, nihil esse abjectius aut vilius, quàm aliquid scire. Ergo vide-

dere est, illos epistolis a librariis suis compositis subscribentes id, quod legi nullo pacto potest, nec scias a quo tibi epistola mittatur, nisi sit a tabellario prædictum, aut signum agnoscas.

Man. Id modo ego et Mendoza quærebamur.

Mag. ¿Sed venitis huc armati?

Man. Minime vero, bone Præceptor, vapularemus a nostris Pœdagogiis, si ausi essemus arma hac ætate vel aspicere, nedum tangere.

Mag. Ah ah, non loquor de armis crudelitatis, sed de istis scriptoriis quæ ad præsentem rem faciunt. ¿Habetis thecam pennariam cum pennis?

Men. ¿Quid rei est theca pennaria? ¿An ea, quam nos calamariam nominamus?

Mag. Ea ipsa, nam antiquissimi homines solebant stylis scribere, quibus successerunt calami, et potissimum Nilotici. Agareni, si quos vidisti, arundinibus scribunt a dextra in sinistram, sicut omnes pene ab Oriente nationes: Europa Græcos secuta, contra a sinistra in dextram.

Men. ¿Etiam Latini?

Man. Latini quoque, fili: sed hi a Græcis habent originem, et olim veteres Latini scribebant in membrana deletili, quæ vocabatur palimpsestos; tum una tantum facie, nam qui utrinque erant libri conscripti, opistographi dicebantur, qualis fuit Orestes ille Juvenalis: *Scriptus, et in tergo, nec dum finitus*. Sed hæc alias, nunc ea quæ instant. Anserinis pennis scribimus, aliqui gallinaceis. Vestræ istæ sunt egregie habiles, nam sunt caule ampla, et nitida, et firma: detrahite plumulas scalpello, et detruncate aliquid e cauda: tum eradite, si quam habent scabriciem, nam levigatæ fiunt aptiores.

Man. Nunquam ego gero nisi deplumatas et nitidas, sed Institutor meus docuit me eas leves facere saliva, et affricatione ad aversam tunicam, vel feminicruralia.

Mag. Præsens consilium. *Men.* Doce nos aptare pennas.

Mag. Primum omnium rescindetis utrinque caput, ut fiat bifurcata: tum in superiore parte incisuram facite scalpello

sen-

sensim ducto, quæ crena vocatur: hinc æquate duos illos pedumculos, seu mavultis nominare cruscula; ita tamen, ut altius sit dextrum, in quod penna scribendo incumbit; id tamen discrimen vix perceptibile oportet esse. Pennam si firmius vis chartæ imprimere, tribus digitis teneto: sin celerius, duobus, police et indice, more Italico; nam medius inhibet magis cursum, et moderatur, ne se immodice effundat, quàm adjubat. *MAG*. Profer atramentarium.

MEN. Hem, cornu atramentarium elapsum est mihi venienti huc.

MAG. Puer profer ampullam illam atramentariam, ex ea effundemus in hoc mortariolum plumbeum.

MEN. ¿Sine peniculo?

MAG. Ita haurias penna liquidius et commodius; nam in gossipio, vel filo bombycini, aut lini, quum pennam intingis, adhæret semper crenæ fibra aliqua vel floculus, in quo detrahendo fit mora scriptioni: aut si non detrahas, lituras verius effingas, quàm litteras.

MEN. Ego ex sodalium consilio linteolum Melitense indo, aut (*b*) bombycinum leve ac tenue.

(b) Bombycinum, *tafetanum vulgo*.

MAG. Istud vero est satius. Ceterum multo præstat solum atramentum infundere in mortariolo quidem fixo; nam quod circumgestandum est, huic omnino opus est peniculo. ¿Ceterum habetis chartam? *MEN*. Hanc.

MAG. Asperam admodum, et quæ pennam remoretur ne inoffense decurrat, quod est studiis noxium. Nam dum luctaris cum scabricie chartæ, elabuntur multa ex iis, quæ scribenda cogitaveras. Hoc genus chartæ amplæ, densæ, duræ, scabræ, librariis relinquite quæ ideo libraria nuncupatur: quòd ex eis fiant ad diuturnitatem libri, nec illam quotidiano usui paraveris grandem, augustanam sive imperialem, quæ de rebus sacris hieratica nominatur: quales videtis in libris sacrarum ædium. Acquirite vobis chartam epistolarem, quæ ex Italia adfertur optima, tenuissima, et firma: vel vulgarem illam quam ex Gallia important, quam passim invenietis venalem in singulos codices numis octonis plus minus: dabitur vobis pro corollario philura una aut altera chartæ em-

emporeticæ, quam bibulam dicimus.

Men. ¿Quæ est horum nominum ratio? Nam sæpe dubitavi.

Mag. Emporetica de Græco venit, ab involvendis mercibus; et bibula, quòd atramentum absorbeat. Ita non erit vobis opus furfuribus, aut sabulo, vel pulvere de pariete eraso. Sed omnium optimum est quum per se litteræ exsiccantur: eo enim modo diuturniores fiunt. Proderit tamen emporetica, quam sub manum extendatis, ne sudore aut sordibus maculetis papyri candorem.

Man. Cedo jam nobis, si videtur, exemplar.

Mag. Primum abecedarium, deinde syllabatim, tum verba conjuncta, ad hunc modum. Disce Puer, quibus fias sapientior, et proinde melior. Voces sunt animorum signa inter præsentes, litteræ inter absentes. Hæc effingite, et redite huc a prandio, vel cras, ut scripturam vestram emendem.

Man. Faciemus, interea commendamus te Christo.

Mag. Et ego vos eidem.

Men. Secedamus, ut absque interventu sodalium, et interpellatione meditemur quæ a Magistro hoc accepimus.

Man. Placet mihi, ita fiat.

Men. Ventum est quo volebamus: assideamus in his saxis.

Man. Etiam, sed adversi a sole.

Men. Mutua mihi dimidium chartæ folium, quod reddam cras.

Man. ¿Sufficit tibi hoc frustulum?

Men. Hui, non capiet sex versus, ex meis præsertim.

Man. Scribe in utraque facie, et duc versus densiores: ¿quid necesse habes tam magna interstitia relinquere?

Men. ¿Ego ne? Vix intervallum est ullum, nam litteræ sese utrinque attingunt, præsertim quæ longos habent apices, aut pedes, ut *b*, et *p*. ¿Sed quid tu? ¿Jam ne duos versus exarasti? Et quidem eleganter, nisi quòd sunt pravi.

Man. Scribe tu seorsum et tace.

Men. Enimvero penna et atramento hoc scribi nullo pacto potest. *Man.* ¿Quid ita?

Men. ¿Non cernis, ut penna respergit chartam atramento extra litteras?

Man.

Man. At atramentum meum adeo est crassum, ut limum esse credas, aspice amabo, ut hæret in summa crena, nec ad characteres formandos defluit. ¿Quin igitur utrique incommodo medemur? Tu de cuspidibus pennæ rescinde scalpello, quoad atramentum commode colligat in litteras, ego in atramentarium, quo sit atramentum liquidius, instillabo guttas aquæ aliquot. *Men*. Immeito potius.

Man. Oh, ne lotium fœtebit atramentum ipsum, et quicquid scripseris; nec facile deinceps odorem hunc elueris e peniculo. Optimum esset acetum si haberes ad manum; nam hoc vi sua statim disrarat densum atramentum.

Men. Verum, sed periculum est ne acrimonia sua chartam penetret.

Man. Nihil tale metuas, hæc charta maxime omnium continet atramentum, ne effluat.

Men. Extremæ hujus tuæ chartæ oræ inæquales sunt, rugatæ et asperæ.

Man. Demarginato chartam aliquantum forficibus; nam hoc est etiam elegantius, aut citra eam asperitatem scribendo subsiste. Tibi semper levissimæ offensiones satis magno impedimento sunt, ne pergas: sed quicquid est in manibus abjicias illico. *Men*. Redeamus jam ad Præceptorem.

Man. ¿Videtur tibi tempus?

Men. Metuo ne præterierit jam tempus, nam solet mature cœnare.

Man. Eamus: ingredere tu prior qui habes minus cordis.

Men. Immo tu potius qui minus frontis.

Man. Vide ne quis ab illo exeat qui deprehendat hic nos jocantes, et lascivientes. Pulsemus fores annulo, etsi patentes, nam hoc fuerit urbanius. At at.

Puer. ¿Quis isthic? Recta introeas quisquis es.

Man. Nos sumus; ¿ubi est Institutor? *Puer*. In conclavi.

Men. Omnia sint tibi fausta Præceptor.

Mag. Feliciter veneritis.

Men. Effinximus quinquies, aut sexies tuum exemplar in eadem charta: referimus hoc opus nostrum ad te emendandum.

MAG. Recte facitis: ostendite. Post hac relinquite majorem intercapedinem versuum, ut sit ubi ego possim corrigere vestra errata ad emendationem. Hæ litteræ sunt admodum inæquales, quod est in scribendo fœdum. Animadvertite, quanto *m* majus est quàm *e*; et *o* quàm orbis hujus *p*; nam litterarum corpora omnia oportet esse æqualia.

MEN. ¿Quid quæso vocas corpora?

MAG. Media in litteris, præter apiculos et pedunculos si quos habent; apices habent *b*, et *l*; pedes *p*, et *q*. Jam in eodem *m*, crura sunt imparia, primum brevius est medio, et nimis magnam caudam trahit, sicuti et illud *a*, nec satis imprimitis pennam chartæ, vix hæret atramentum, nec dignoscas quæ sint elementa. Quòd litteras has transformare tentaris in alias, erasis particulis cuspide scalpelli, magis deturpasti scripturam, satius fuisset tenuem lituram inducere: tum et quod superest verbi in fine versus transferre in caput sequentis, modo integræ sint semper syllabæ, quas secari non patitur lex latinæ scriptionis. Augustum Cæsarem produnt memoriæ, non solitum verba dividere, nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transferre, sed ibidem statim subjicere et circumducere.

MAN. Nos id libenter imitabimur, quoniam exemplum est Regis.

MAG. ¿Recte facitis: quomodo enim aliter approbaretis vos ex illius esse satos sanguine? Sed ne conjungatis omnes litteras, nec omnes separetis. Sunt quæ vinciri inter se postulent, ut caudatæ cum aliis, velut *a*, *l*, *u*, item hastatæ, ut *f*, et *t*. Sunt quæ recusent, nempe orbiculatæ, *p*, *o*, *b*. Quantum poteritis recto capite scribite; nam inflexo atque incumbenti, defluunt humores ad frontem et oculos: unde morbi nascuntur multi, et videndi imbecillitas. Accipite alterum exemplar, quod exprimatis cras Deo propitio.

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minus aptus erit. (*)

Et aliud.

Cur-

(*) Ovid. de remedio amoris, v. 93.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus. (*)

Men. ¿Visne etiam ut lituram hanc reddamus?
Mag. Lituram sane, modo, et alia probe exarata.
Men. Interea optamus te bellissime valere.

VESTITUS, ET DEAMBULATIO MATUTINA.

Bellinus, Malluenda, Joannius, Gomezulus.

Mal. ¿Nempe hoc assidue? Jam clarum mane fenestras intrat.
Stertimus indomitum quod despumare falernum
Sufficiat. (**)

Bel. Apparet profecto insanire te, nam alioqui nec tam multo mane esses experrectus, nec versus funderes, et quidem satyricos, quo manifestius rabiem tuam patefacias.

Mal. Accipe ergo epigrammatarios, edentulos, et salsos.
Surgite, jam pueris vendit jentacula pistor,
Christatæque sonant undique lucis aves. (***)

Bel. Istud de jentaculo citius mihi somnum excuteret, quàm clamores tui.

Mal. Festivissime nugator, precor tibi felicem hunc diem.

Bel. Et ego tibi faustam noctem, et bonum cerebrum, ut simul et dormire possis, et soluta oratione loqui.

Mal. Quæso te serio responde, si modo serio potes unquam loqui: ¿quam horam censes nunc esse?

Bel. Medium noctis, vel plus paululum.

Mal. ¿In quo horologio? *Bel.* In meo domestico.

Mal. ¿Ubi tandem est tuum horologium domesticum? Tu ut horologium unquam habueris, aut inspexeris, cui omnis hora est semper dormiendi, edendi, ludendi; studendi vero nunquam. *Bel.* Atqui hic ego habeo horologium mecum.

Mal. ¿Ubi? Ostende.

Bel. In meis oculis: vide ut nulla vi aperiri possint, obdor-

(*) Mart. lib. 14. Epigram. 208. (**) Persius Satyr. 3, v. 3.
(***) Mart. lib. 14. Epigram, ult.

mi rursus obsecro, aut certe tace.

Mal. ¿Quid malum est carosis hæc, seu verius lethargus, et mors quædam? ¿Quamdiu putas nos jam dormisse?

Bel. Horas duas, vel àd summum tres.

Mal. Ter ternas. *Bel.* ¿Quî fieri isthuc potest?

Mal. Gomezule, i currito ad solarium Franciscanorum, et contemplare quota sit hora.

Bel. Apage solarium, quum sol nondum sit ortus.

Mal. ¿Ortus vero? Aperi fenestram istam vitream heus tu Puer, ut verberet sol hujus oculos suis radiis: plena sunt jam sole omnia, et umbræ minores.

Bel. ¿Quid tibi est rei cum ortu solis, et occasu? Sine illum priorem te surgere, cui majus est conficiundum iter diurnum. Gomezule, cursim contendito ad D. Petri, ibi aspicito et in horologio machinali (1) quæ sit hora, et in gnomone.

Gom. Utrunque sum intuitus, in solario parum abest umbra a secunda linea, in horologio digitus indicat horam paulo plus quintam.

Bel. ¿Quid narras? Aliud ergo agendum restat tibi, ut hic sistas mihi fabrum ferrarium ex vico lapideo, qui forcipe disjungat has palpebras tam affixas: dic ei revellendam esse e foribus seram aliquam, cujus sit amissa clavis.

Gom. ¿Ubinam habet?

Mal. Iste vero serio accerseret. Desine jam nugari, et surge.

Bel. Surgamus tandem, quando ita obstinasti animo. Vah, quàm es odiosus sodalis. Exuscita me Christe, ex somno peccati ad vigiliam justitiæ, transfer me ex nocte mortis ad lucem vitæ. Amen.

Mal. Feliciter tibi procedat hæc lux.

Bel. Et tibi hæc eadem, et aliæ quamplurimæ lætæ ac faustæ, hoc est ut eam ita transigas, ne cujus virtutem lædas, neu quis tuam. Puer adferto subuculam mundam; nam hanc

jam

(1) *In Horologio machinali, et in Gnomone.* Machinale horologium est, quod machinalibus ferreis movetur, pulsuque malleoli in tintinabulo hora dignoscitur. Porro Gnomon, gnomonis, cremento brevi, stylus est, sive manus horas indicans. Item ferrum prominens in umbilico linearum, aut filum transversum in solari horologiolo, cujus umbra internoscuntur horæ. Sunt Gnomones etiam dentes jumentorum, ex quibus eorum ætas dignoscitur.

jam totos sex dies gestavi; hem arripe pulicem illum saltitantem.

Gom. Omitte nunc venationem pulicarem: ¿quantulum erit pulicem unum in cubili hoc extinxisse?

Mal. Quantum guttam unam aquæ (*c*) Diliæ huic adimere.

Bel. Immo vero mari ipsi Oceano. Nolo hanc subuculam collari rugato, sed alteram illam plano: ¿nam rugæ hæ quid aliud sunt hoc tempore quàm nidi aut receptacula pediculorum et pulicum?

Mal. Inepte, existes repente dives: habebis pecus album, et pecus nigrum.

Bel. Peculium numerosum magis quàm quæstuosum: et comites, quos malim semper videre in vicinia, quàm domi meæ. Jube famulam resuere latera hujus subuculæ, et quidem filo serico. *Gom.* Non habet.

Bel. Lineo igitur aut laneo, aut etiam si ita lubet ei, sparteo; nunquam famula hæc habet quod est opus, quod vero non est opus, affatim: te vero Gomezule nolo ego esse divinatorem, exequere mandatum meum, et renuntia: ne arioleris quid sit futurum. Excute pulverem e feminicruralibus concussu: hinc purga diligenter (*d*) muscario illo setaceo. (*e*) Udones dato itidem mundos; nam hi sunt jam exsudati, et pædore olidi: φεῦ, amove eos isthinc continuo, offendit me fœtor gravissime. *Gom.* ¿Vis (*f*) interluam?

Bel. Non, nam ex luce solis colligo diem fore calidam, sed cedo mihi thoracem illum dimidiis manicis (*g*) serici gausapini, et tunicam simplicem (*h*) fustadicam, cum (*i*) vinculis vestiariis oblongis.

Mal. Immo (*j*) fustanicam. ¿Quid isthuc rei est? ¿quonam ire cogitas, ut tam ornes te præter morem tuum, præsertim quum sit dies profestus? ¿et poscis ligulas devinctorias castrenses?

Bel. ¿Et tu cur induisti bombycinam levem, recentem ab officina, quum habeas (*k*) capripiliam, et damascenam detritam?

Mal. Dedi hæc resarcienda.

Bel. Ego vero in hisce meis magis commoditatem specto vestitus, quàm ornatum; (*l*) uncinuli isti et (*m*) orbiculi sunt la-

(c) Dilia, *fluvius est Lovanii.*

(d) Muscarium setaceum, *scopula vocatur vulgo.*

(e) Udones, *sunt calceoli lintei.*

(f) Interula, *est indusium subuculæ proximum, quod per hyemem gestatur.*

(g) Sericum gausapinum, *vulgo vellutum.*

(h) Fustadica, *pannus levis, qui in Britannia texitur.*

(i) Vincula vestiaria, *sunt adstrigmenta.*

(j) Fustanica, *pannus est gossipio, qui texitur in Germania.*

(k) Capripilia, *quæ vulgo undulata.*

(l) Uncinuli.

(m) Orbiculi.

laxati, tu improbe inconsiderate semper dissolvis.

(n) Globuli. (o) Ocelli, *hæc omnia sunt, quibus ad pectus, et manicas vestes adstringuntur.*

Mal. Ego potius utor (*n*) globulis, et (*o*) ocellis, quod est decentius, et minus in induendo et exuendo molestum.

Bel. Non est idem omnium judicium in his, ut in reliquis omnibus. Pectorale hoc tunicæ condito in arcam, nec proferas tota æstate; astrigmenta hæc strenue sunt exarmata suis ferris; limbus hic est dissutus et discerptus; cura resarciendum: sed vide ne assuantur deformes commissuræ.

Gom. Non poterit id perfici ante sesquihoram.

Bel. Affige ergo acicula ne pendeat, dato periscelides. (1)

Gom. Adsunt. Calceolos cum crepidis longi obstraguli paravi tibi, pulvere bene excusso.

Bel. Calceos potius exterge situ, ac nitida.

Mal. ¿Quid est ligula in calceo? ¿De qua inter Grammaticos fuit controversia peracerba, ut solet de omnibus, dicendum esset ligula, an lingula?

Bel. Illa assuitur calceis Hispanicis in summa planta, hic non habent.

Mal. Et in Hispania jam desuescunt apponere calceatu Gallico.

Bel. Accommoda mihi tuum pectinem eburneum.

Mal. ¿Ubi est tuus ligneus, et quidem Parisiensis?

Bel. ¿Non audisti me heri objurgantem Gomezulum?

Mal. ¿Objurgare vocas tu ferire?

Bel. Hoc illud erat: fregerat quinque aut sex radios pectinis ex densis, ex raris pene omnes.

Mal. Legi nuper scriptorem quendam præcipere ut eburneo pectine pectamus caput quadragies ducto a brechmate ad verticem, et inde ad occipitium. ¿Quid agis? Hoc non est pectere, sed mulcere: cedo pectinem.

Bel. Neque isthuc est pectere, sed radere, aut verrere: credo habere te caput testaceum.

Mal. Et ego te butyraceum: adeo non audes attingere.

Bel. ¿Vin tu igitur ut mutuo arietemus capita?

Mal. Nolo tecum contendere insania, nec committam bonam men-

(1) *Periscelides*: nomen hoc pro Armillis a nonnullis usurpatur, hic tamen, ut apud alios auctores, pro seminalibus, seu bracchis accipe, auctore Hieronymo. Cœlius Rhodiginus adnotat, Periscelides etiam esse, quæ vulgo gremialia vocant.

mentem meam cum tua dementia. Ablue jam tandem manus et faciem; sed os potissimum, ut mundius loquaris.

Bel. Utinam adeo cito animum perpurgarem, ut manus, dato malluvium.

Mal. Confrica paulo diligentius nodos istos manus, quibus hærent sordes densissimæ.

Bel. Falleris; nam puto esse potius decoloratam pellem et rugatam. Abjice has malluvias Gomezule in cloacam illam, et cedo mihi reticulum, et (*p*) pileum clavatum: affer jam ocreas. *Gom.* ¿Itinerariasne? *Bel.* Non, sed urbanas.

Gom. ¿Vis (*q*) cucullionem, an (*r*) pallam?

Bel. ¿Sumus foras prodituri? *Mal.* ¿Quid ni?

Bel. Adfer igitur (*s*) lacernam.

Mal. Prodeamus jam tandem, ne amittamus e manibus deambulandi tempus.

Bel. Duc nos Christe per vias tibi gratas, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. ¡O quàm formosa aurora! ¡vere rosea, et (ut Poetæ vocant) aurea, quàm gaudeo surrexisse! Exeamus Urbe.

Mal. Exeamus: nam ego hac tota hebdomade pedem porta non extuli; ¿sed quo ibimus primum? ¿Inde qua?

Bel. ¿Ad arcem, an ad mœnia Cartusiana?

Mal. ¿An potius ad prata Divi Jacobi?

Bel. Minime illuc de mane, ad serum potius.

Mal. Ad Cartusianos ergo per Franciscanos et Bisthum, inde per portam Bruxellensem: tum redidimus per Cartusianos ad rem divinam. Ecce tibi Joannium. Sis salvus Joanni.

Joan. Et vos plurimum. ¿Quid isthuc est insolitum? ¿Tam bene mane surrexistis?

Bel. Ego vero arctissimo somno eram consopitus: sed Maluenda hic clamando et tundendo, avellit me e lectulo.

Joan. Recte fecit; nam totum te reficiet, ac recreabit hæc deambulatio. Eamus ad pomœrium. ¡O admirabilem et adorandum Artificem tantæ pulchritudinis! Non immerito vocatur opus hoc Mundus, et a Græcis κόσμος, quasi ornatus, et elegans.

(p) Pileum clavatum *Clavis, vel aureis, vel ejusmodi effixis.*

(q) Cucullionem, *Pallium Hispanicum*

(r) Pallam, *Vestis est longa et lata.*

(s) Lacernam, *Pallium itinerarium.*

Mal.

MAL. Ne contente deambulemus, sed lente ac moliter. Conficiamus quæso in hac mœniali ambulatione duo aut tria spatia, ut otiosius et liberius tam decoram speciem contemplemur.

JOAN. Attende: nullus est sensus, qui non egregia aliqua voluptate perfundatur, oculi primum: ¿quæ varietas colorum, qui vestitus terræ et arborum, qui tapetes, quæ picturæ comparari huic possunt? Hæc sunt naturalia et vera, illa altera ficta et falsa. Non injuria (*t*) vates ille Hispanus Majum appellavit pictorem mundi. Jam aures: ¿qui concentus avium, et potissimum lusciniæ? Ausculta eam e salice, a qua (ut Plinius inquit) perfectæ musicæ scientiæ modulatus editur sonus. Animadverte accurate, et annotabis varietates omnium sonorum: nunc non interquiescit, sed continuo spiritu in longum æquabiliter sine mutatione: nunc inflectitur: jam minutius et concisius canit: nunc intorquet, et quasi crispat vocem: nunc extendit, jam revocat: alias longos concinit versus, quasi heroicos: alias breves, ut saphicos: interdum brevissimos, ut adonicos. Quin etiam quasi musicæ ludos, et scholas habent. Meditantur aliæ juniores, versusque quos imitentur accipiunt. Audit discipula intentione magna (utinam nos præceptores nostros pari) et reddit, vicibusque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, et in docente quædam reprehensio. Sed illas ducit natura recta, nos voluntas prava. Adde his, qui odor spirans undique, sive ex pratis, sive ex segetibus, sive ex arboribus, etiam ex ipsis agris cessantibus et squalidis. Sapor, quicquid ori admoveas, vel ex ipso aere, qualis primi et tenerrimi mellis.

(t) Vates Hispanus *Joannes Mena.*

MAL. Hoc puto esse quod a nonnullis audivi, apes consuesse mel suum colligere mense Majo ex cœlesti rore.

JOAN. Ea fuit multorum opinio. Si aliquid vis dari tactui, ¿quid mollius aut salubrius hac aura, ubique spirante, quæ salutari spiritu per venas, et universum corpus sese insinuat? Venit mihi nunc in mentem versuum aliquor Vergilii de Vere, quos utique cantillabo, si me potestis ferre voce mea non olorina, sed anserina: tametsi hanc malo, si non alias cyg-

cygnus canit dulce, nisi fato suo proximus.

Bel. Ego quidem ut pro me respondeam, vehementer eos versus aveo audire, qualicunque voce modo etiam exponas nobis. *Mal.* Nec ego ab hoc dissentio. *Joan.*

Non alios prima crescentis origine mundi (*)
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri;
Quum primum lucem pecudes hausere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immissæque feræ silvis, et sidera cœlo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem:
Si non tanta quies iret, frigusque caloremque
Inter; et exciperet cœli indulgentia terras.

Bel. Non satis intellexi. *Mal.* Ego ut reor multo minus.

Joan. Ediscite nunc eos, alias intelligetis: sunt enim desumti ex intima Philosophia, ut alia vatis illius permulta.

Mal. Quæramus ab Orbilio litteratore, quem habemus obvium.

Joan. Immo est homo non admodum obvius: salutemus modo, et sinamus abire hominem rabiosum et plagosum, ingentis supercilii, (*u*) imbutum magis litteris, quàm eruditum: tametsi persuasit sibi serio, se esse litteratorum alpha. Ceterum diximus de corpore; ¿quid porro animum et mentem? ¿quantopere exhilarat et excitat hujusmodi aurora? Nullum est tempus ad ediscendum æque idoneum, nullum ad percipiendum, continendumque quæ audias, quæque legas; nec aliud ad meditandum et excogitandum, quocunque applicaris animum: non immerito quidam dixit: *Aurora gratissima Musis.*

(u) Imbutum magis litteris, *id est instinctum, perfusum.*

Bel. Sed ego jam extimulor appetentia: redeamus domum jentatum. *Mal.* ¿Quid tandem?

Bel. Panem, butyrum, cerasa, pruna cereola, quæ tantopere videntur nostris Hispanis placuisse, ut illarum nomine pruna omnia nuncupent: vel si hæc non sint domi, decerpemus

(*) Virg. lib. 2. Georg. v. 336.

mus folia aliquot buglossæ, et salviæ, quæ addamus butyro.

MAL. ¿Bibemus vinum?

BEL. Minime vero, sed cervisiam, et quidem tenuissimam ex flava ista Lovaniensi, vel aquam puram et liquidam, haustam e fonte Latino aut Græco.

MAL. ¿Quem tu fontem Latinum vocas? ¿Quem Græcum?

BEL. Illum qui juxta portam est, Græcum solet nominare Vives: ulteriorem illum, Latinum: causas ipse reddet tibi quum illum convenies.

DOMUS.

Jocundus, Leo, Vitruvius.

JOC. ¿Est tibi notitia cum Insulario amplæ, atque elegantis hujus insulæ?

LEO. In primis, et est asseclæ patris mei admodum propinquus.

JOC Rogemus eum, ut nobis eam omnem patefaciat: nam ferunt nihil fieri posse amœnius, nec delectabilius.

LEO. Adeamus, pulsemus fores tintinabulo, ne irrumpamus inexpectati. At at.

VITR. INSUL. ¿Quis isthic? *LEO.* Ego sum.

VITR. ¿O salve multum, pusio dulcissime; unde tu nunc?

LEO. E ludo. *VITR.* ¿Qua igitur gratia huc?

LEO. Sodalis hic meus et ego vehementer cupimus hasce ædes visere. *VITR.* ¿Nunquam spectasti? *LEO.* Non totas.

VITR. Ingredimini. Heus Puer adfer mihi claves ostiorum domus. Primum hoc est vestibulum: patet semper interdiu absque janitore, quod nec intra domum est: nec tamen extra, noctu clauditur. Contemplamini portam magnificam, valvas e robore munitas ære, utrunque limen et infernum et supernum ex marmore alabastrite. Olim Hercules solebat præfigi ostio domus, ille Ἀλεξίκακος (1), hic est Christus, verus Deus; nam Hercules erat crudelis homo, et male-

(1) *Alexicacos*, Herculis epithetum, necnon Appollinis, quo significatur in malis adjutor, hominum defensor, ac malorum depulsor. ¿Quanto igitur verius congruit Christo Domino, agno videlicet illi, qui abstulit peccatum mundi? Et *U den o despotes autos*, id est, ne Dominus quidem ipse.

leficus: hoc custode nihil mali ingredietur in ædes.

Joc. ὑλὲν ὁ δεσπότης αὐτός. *Vitr.* ¿Quid dixit Græce?

Joc. ¿Quod cur tam multi ingrediuntur mali?

Vitr. Etiamsi mali ingrediantur, nihil tamen inferunt mali.

Leo. ¿Non utimini cardinibus?

Vitr. Desiit esse mos apud quasdam nationes. Sequitur ostium atrii, quod atriensis servus custodit, præcipuus in familia, ut mediastinus extremus. Tum atrium spatiosum ad deambulandum, multæque ac variæ in eo picturæ.

Joc. ¿Quænam quæso?

Vitr. Illa est cœli facies ichnographica (1): illa terræ et maris orthographica: illa orbis nuper Hispanis navigationibus aperti sciographica: in tabella illa est Lucretia se interficiens.

Joc. ¿Quid quæso dicit? Nam moriens ut videtur, loquitur.

Vitr. Multæ hoc mirantur, quia non cuique tantum dolet.

Joc. Intelligo quid dicat.

Leo. ¿Quid sibi vult tabella illa tam varie delineata?

Vitr. Ea est graphis hujus edificii: reduc a tabula hac velum.

Joc. ¿Quid hoc est rei? Vetulus suggens papillam feminæ.

Vitr. ¿Non legisti exemplum hoc apud Valerium Maximum, titulo de pietate? *Joc.* Legi, ¿quid dicit illa?

Vitr. Nondum tantum rependo, quantum accepi.

Joc. ¿Quid ille?

Vitr. Juvat genuisse. Ascendamus has scalas coclides (2): singuli gradus lati ut cernitis, ex singulis sunt saxis marmoris Basaltis. (3) Hæc prima contignatio habitatio est domini: cœnaculum superius hospitale est, non quod herus meus (x) faciat cœnaculariam, quod absit: sed paratum est hospitibus, amicis, ornatum, semper instructum et vacuum, nisi

(x) Facere cœnaculariam, *locare cœnacula, et inde quæstum facere.*

quum

(1) *Cœli facies ichnographica*, omnium operum, quæ vel facienda sunt, vel facta imaginantur, descriptio, et pictura, in ichnographiam, orthographiam, et sciographiam dividitur. Ichnographia, est operisque descriptio lineis dumtaxat in plano positis, per quas, seu per vestigia, (hoc enim significat *ichnon*) imma et suprema imaginamur, vulgo, *la traza*. Orthographia, est rectà et solida operis imago, lineis sursum erectis, quibus, et frontem, et superiora non imaginamur, sed videmus. Sciographia, cum ejusdem operis umbræ, loca, habitacula, tractus tamquam suis coloribus pinguntur, ut in iis, quas Mappas mundi appellamus. Est igitur Cœli facies ichnographica, lineis dumtaxat in plano depicta. Terræ et maris orthographia, descripta in solido globo. Novi orbis sciographica, suis locis, fluviis, urbibus, tractibus distincta.

(2) *Cochlides*, vulgo, *escaleras de caracol*, a cochleis quarum figuram imitantur.

(3) *Marmoris Basaltis*, Basaltes lapis est (inquit Plinius) colore, et duritie ferri.

quum adsunt hospites, hoc est triclinium.

Joc. Bone Christe, ¿quæ fenestræ speculares, quàm scite depictæ pictura sciographica? ¿Qui colores, quàm vividi? ¿Quæ tabulæ, quæ signa, quæ coassatio? ¿Quænam est historia vitrearum?

Vitr. Fabella Griselidis, quam apte et ingeniose confinxit Joannes Boccatius: sed herus meus decrevit addere rei fictæ rem veram, de Godelina Flandrensi, et Catharina Angliæ Regina, quæ superat inventum Griselidis. Signa sunt, primum illud Pauli Apostoli. (*y*)

(y) 1. Cor. 15.

Joc. ¿Quod est lemma?

Vitr. ¡*O quantum tibi nos debemus, tu Christo*!

Joc. ¿Quid ipse loquitur?

Vitr. *Gratia Dei sum, id quod sum: et gratia Dei in me vacua non fuit.* Alterum illud est Mutii Scævolæ.

Joc. Nec is est mutus, etiamsi Mutius: ¿quid mutit?

Vitr. *Non incendet*, inquit, *me hic ignis, quoniam alius major ardet intus.* Tertium signum est Helenæ, titulus est: *Utinam fuissem semper talis, minus nocuissem.*

Joc. ¿Quid signat cæcus ille seniculus recalvaster, indice ad Helenam verso?

Vitr. Homerus est, dicit Helenæ: *Quæ male tu fecisti, ego bene cantavi.*

Joc. En lacunar est deauratum, admixtis margaritis.

Vitr. Margaritæ quidem sunt, sed precii exigui.

Joc. ¿Quo spectant fenestræ?

Vitr. Hæ in hortis, illæ in impluvium: hæc est diæta, seu æstiva cœnatio: en vobis cubiculum et conclave. Cubiculum ornatum est tapetibus, pavimento contabulato, storiis tecto: en imagines aliquot Divæ Virginis, Christi Servatoris. Illæ alteræ sunt Narcissi, Euryali, Adonidis, Polyxenæ, qui dicuntur fuisse formosissimi.

Joc. ¿Quid scriptum est in limine superiore ostii?

Vitr. *Recipe te in portum tranquillitatis affectuum.*

Joc. ¿Quid in interiore poste forium?

Vitr. *Ne induxeris in portum tempestatem.* In conclavi illo clauso ad-

adservantur fere (z) privata utensilia. Hoc alterum membrum est hibernum: (1) vides omnia obscuriora et magis tecta: tum hypocaustum.

(z) Privata utensilia, *qua parata servantur cum usus poscat.*

Joc. Amplius mea sententia, quàm pro cœnatione.

VITR. ¿Non animadvertis etiam cubiculum interius eodem vaporario excalfieri?

Joc. Dicunt cubicula esse calidiora, ubi nullum sit fumale.

VITR. Non solent esse in æstuariis.

Joc. ¿Quæ est illa camera tam eleganter fornicata?

VITR. Lararium, seu sacellum, ibi agitur res divina.

Joc. ¿Ubi latrina?

VITR. Superne in granario habemus foricam, ne oleat; in cubiculis enim scaphiis utitur herus meus, et trullis, et matulis.

Joc. Turriculæ illæ, et pyramides, et pilæ, et indices ventorum, omnia qua venustate, ¡quàm admirabili arte!

VITR. Descendamus: hæc est culina, hoc promptuarium, hæc cella vinaria, illa penuaria in qua mire infestamur rapacitate furum.

Joc. ¿Qua tandem est huc furibus ingressus? Omnia video probe clausa, et fenestras cum clathris ferreis.

VITR. Per rimulas et foramina.

LEO. Mures ergo sunt et mustelæ, quæ vobis universam penum diripiunt.

VITR. Illud est posticum domus clausum semper duabus seris, affixa et pensili, nisi quum adest dominus.

LEO. ¿Cur fenestræ hæ non habent cancellos?

VITR. Quoniam raro aperiuntur; spectant enim ad angustum angiportum, ut cernis, et obscurum: raro quisquam hic assidet aut profert caput; ideo et clathrare eas statuit herus meus. *LEO.* ¿Quibus clathris?

VITR. Fortasse ligneis, nondum est certum; interea repagulum hoc sufficit.

Joc. ¡Quàm amplæ columnæ et porticus plena majestatis! Vide

(1) *Hoc alterum membrum est hibernum*, membrum pars domus dicitur: Hispane, *Quarto de casa.* Plinius junior: Ad hæret dormitorium membrum. Utuntur voce hac in hoc significato Collumella, Vitruvius, Ulpianus.

de ut Atlantes illi et Caryatides, (1) speciem præferunt enitentium ut fulciant ædificium ne ruat, quum nihil agant.

Leo. Tales sunt multi qui magna videntur præstare, quum otiosi et segnes vivant: fuci fruentes alienis laboribus. ¿Sed quænam est domus illa inferior, huic adjuncta, tam male materiata, et rimosa?

Vitr. Est vetus ædificium, quod quia ducebat rimas, et vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram a fundamentis erigere: illa nunc nidulatio est avium, et habitatio murium; sed breviter eam demoliemur.

SCHOLA.

Tiro, Spudæus. (2)

Tir. ¿Quàm elegans gymnasium, et magnificum? Haud esse in Academia hac reor ullum præstantius.

Spud. Rectissime judicas: adde etiam, quod magis ad rem facit, nec alibi esse eruditiores magistros, aut prudentiores, quique majore dexteritate tradant doctrinam.

Tir. Oportet igitur magna hic fieri disciplinarum operæ pretia.

Spud. Et quidem magnis compendiis discendi.

Tir. ¿Quanti docent?

Spud. Amove te hinc ocyus cum interrogatione ista tam prava, tamque importuna; ¿in re tanti momenti inquirendum est de mercede? Nec ipsi qui docent, paciscuntur; nec discipulos convenit id vel cogitare: ¿ecquod precium potest esse par? ¿Nunquam ne Aristotelicum illud fando audivisti: Diis, Parentibus, et Magistris, parem gratiam non posse rependi? Deus creavit totum hominem, Parens genuit corpus, Magister format animum. *Tir.*

(1) *Athlantes, et charyatides*, sunt sustentacula illa, quæ trabibus transversis in contignatione supponuntur. Athlantes quidem ab Athlante dicti, qui Cœlum humeris fulcire dictus est: quos ad similitudinem vel hominum, vel variorum animalium, artifices exculpunt Caryatides vero muliebri figura, sic dictæ a mulieribus, quas Græci ex Caria Peloponensi Civitate captivas abduxerunt, quòd mariti earum cum Persis consensissent, quarum imagines, artifices in Caryatarum ignominiam super columnas mutulis, et coronis sustinendis supposuerunt. Vide Vitruuium *lib. 5.* Vulgo *canes*, *captas*, *cratones*.

(2) *Tiro, Spudæus.* Jam ab Auctore paulo superius expositum est, quia dicatur Tiro; Spudæus, industrius, et studiosus.

Tir. ¿Quid docent isti et quamdiu?

Spud. Habent sua singuli auditoria separata, et sunt Doctores varii. Alii prima elementa artis Grammaticæ laboriose, atque ærumnose pueris toto die ingeminant; alii penitiora tradunt artis; alii Rhetoricem, Dialecticem, et reliquas disciplinas enarrant, quæ liberales seu ingenuæ dicuntur.

Tir. ¿Cur eo nomine?

Spud. Quia illis decet unumquenque ingenuum imbui; contra, quæ sunt illiberales, circumforaneæ, sordidæ, quæ vel labore corporum vel manibus exercentur, servis potius congruunt, et hominibus qui ingenio parum valent. In istis sunt alii tyrones, alii batallarii.

Tir. ¿Quid isthuc verbi est?

Spud. Et tyrones et batallarii ex militia sunt nomina desumta. Tyro vetus est verbum, de eo qui in militia exerceri incipit: batallarius Gallico nomine dicitur is miles, qui jam semel prælio (quod illi batallam vocant) interfuit collatis signis, et manum conseruit cum hoste: ita in palæstra litteraria batallarius cœpit nuncupari Lutetiæ is qui publice de arte quapiam disputasset. Hinc designantur Doctores, quos a licentia Licentiatos appellant, melius Designati dicerentur. Postremo docturam adipiscuntur imposito in celebritate Academiæ pileo; ut quasi donetur libertate, et fiat emeritus. Is est hic supremus honor, et summus dignitatis gradus.

Tir. ¿Quis est ille in tanto comitatu, quem clavarii præcedunt cum clavis argenteis?

Spud. Is est Rector Academiæ: multi eum sectantur officii gratia. *Tir.* ¿Quoties in die docentur pueri?

Spud. Aliquot horis, una pene antelucana, duabus matutinis, et duabus pomeridianis. *Tir.* ¿Tandiu?

Spud. Ita fert mos et vetus Academiæ institutum; quin et discipuli duabus horis, quæ a Magistris acceperunt, retractant et recolunt, et quasi mansum cibum ruminant.

Tir. ¿Tantis clamoribus? *Spud.* Nunc se exercent.

Tir. ¿Ad quidnam? *Spud.* Ad discendum.

Tir. Immo vero ad clamandum: videntur enim non disciplinam

nam meditari, sed præconium. Et ille alter plane furit; nam si haberet sanum cerebrum, nec ita vociferaretur, nec gesticularetur, nec se torqueret.

SPUD. Hispani sunt et Galli, paulo ferventiores: et ut sunt diversorum dogmatum, tanto ardentius concertant, quasi pro aris et focis, ut dicitur.

TIR. ¿Quid? ¿Doctores hic sequuntur diversa scita?

SPUD. Interdum tradunt placita contraria.

TIR. ¿Quos Auctores interpretantur?

SPUD. Non eosdem omnes; sed ut quisque est peritia et ingenio præditus, eruditissimos et acerrimo judicio scriptores sibi sumunt, optimos quosque, et eos quos classicos vos Grammatici appellatis. Sunt qui ex ignorantia meliorum ad proletarios (1) descendunt, atque etiam capite censos. Ingrediamur; ostendam vobis publicam gymnasii hujus bibliothecam. Hæc est bibliotheca, quæ ex magnorum virorum præcepto ad ortum æstivum spectat.

TIR. ¡Papæ! quantum librorum, quantum bonorum Auctorum, Græci, Latini, Oratores, Poetæ, Historici, Philosophi, Theologi, et imagines Auctorum.

SPUD. Et quidem quantum effici potuit, ad vivum expressæ, atque eo preciosiores; foruli omnes et plutei querni aut cupressini, cum suis catenulis: libri ipsi plerique omnes membranacei et variis coloribus miniati.

TIR. ¿Quis est primus ille rusticano ore, naso repando?

SPUD. Lege titulos.

TIR. Socrates est, et dicit: ¿Cur in bibliotheca collocor qui nihil scripsi?

SPUD. Respondent sequentes, Plato et Xenophon. Quia quod alii scriberent, dixisti. Longum esset persequi singulos.

TIR. ¿Hem, qui sunt illi abjecti in grandi illa strue?

SPUD. Catholicon, Alexander, Hugotio, Papias, Sermonaria, Dialecticæ et Physicæ sophisticæ: hi sunt quos capite censos

(1) *Ad proletarios, et capite censos.* Proletarii, et capite censi Romanis dicebantur, qui cum propter tenuitatem rei familiaris, sumptus militiæ ferre non possent, militia immunes erant. Proletarii quidem, quasi sufficiendæ proli in urbe relicti. Capite autem censi, tenuiores erant, qui parum pecuniæ habentes, non pecunia, sed capite suo censebantur: inde ad homines abjectæ, et infimæ conditionis duo hæc transferuntur.

sos nominabam. *Tir.* Immo capite diminutos. (1)

Spud. Soluta sunt omnia, tollat qui volet, molesto nos liberabit onere.

Tir. Vah, ¿quot asinis esset opus ad istos asportandos? Miror non esse ablatos, quum tanta sit ubique asinorum frequentia.

Spud. Aliquando in eundem cumulum conjicientur Bartholi et Baldi, et hujus farinæ homines. *Tir.* Immo furfuris.

Spud. Non id esset humanæ tranquillitati damnosum.

Tir. Heus ¿quid rei sunt illi in tam fluxis cuculionibus?

Spud. Descendamus. Batallarii sunt qui in palæstram ingrediuntur altercatoriam. *Tir.* Quæso introduc nos illuc.

Spud. Ingredere, sed tacite ac reverenter. Aperi caput, et specta attentus singula; nam magnis de rebus disseritur, et quas plurimum conducat cognoscere. Ille quem sedentem aspicis sublimem solum, et Præses est certaminis, et contentionum Decretor, quasique Agonotheta. (2) Primum ejus munus est loca concertantium designare, ne ulla sit confusio aut perturbatio præire volentium.

Tir. ¿Quid sibi vult pellitum epitogium?

Spud. Ea est ephestris doctoralis, (3) insigne ordinis ac dignitatis illius. Homo est in paucis eruditus, quique et in lectione candidatorum Theologiæ primas tulit, et ad eum doctissimus quisque primas defert ex hoc ordine.

Tir. Et Baldum ajunt lectum esse primum suo anno.

Spud. Is vero vicit competitores omnes ambitu et astu, non scientia.

Tir. ¿Quis est macilentus ille et pallidus, quem reliqui impetunt?

Spud. Is est propugnator qui impetum omnium sustinet, et ex immodicis vigiliis maciem ac pallorem contraxit; magnos is habet in re Philosophica et Theologica progressus.

(1) *Capite diminutos*, id est, infames, et sine honore, quos vulgus *amenguados* appellat. Sic nominant Jureconsulti eos, qui ex animadversione judicum, honoris damnum fecerunt, non tamen omnes.

(2) *Agonotheta munerarius*, id est, qui ludos exhibet populo, præfectus ludorum, certaminum præses et judex.

(3) *Ea est ephestris doctoralis*, Ephestris vestis erat exterior, quæ vel armis vel vestibus superimponebatur; nunc nostris Doctoribus holoserica pro insigni geritur a collo usque ad cubitum protenta: a nostris *muceta*, aut *capirote*; a Parisiensibus *chaperon* dicitur.

Hau tace jam et ausculta; nam qui nunc oppugnat, acutissime ac subtilissime solet excogitare argumenta, et acerrime urget propugnatorem, omniumque sententia cum summis in hac disciplina comparatur, et sæpe adigit concertatorem ad recantandum. Perpende quomodo ille conatus est eludere, quomodo alter confutavit valide ratione inconfutabili, et quam ille diluere non poterit, jam et jaculum hoc est inevitabile, argumentum hoc est plane Achilles invincibilis, jugulum petit, non poterit propugnator se tueri, statim dabit manus, nisi subterfugium aliquot mittat ei Divus aliquis in mentem. Hem profligata est quæstio solertia Decretoris. Jam solvo tuam linguam, loquere quantum voles; nam iste qui nunc impugnat, vappa est, pugione pugnat plumbeo, et altius tamen clamat quàm ceteri. Observa, videbis eum a pugna raucum discedere, hoc est ei perpetuum, et quantuncunque repulsa sint ejus tela, urget nihilo secius pertinaciter quidem, sed inefficaciter: nec unquam vult habere argumentum suum pro derelicto, nec acquiescere vel defendentis responsione vel decreto Præsidis. Is qui nunc certamen ingreditur delicatule petit veniam a Decretore, comiter præfatur, argumentatur invalide, discedit semper fessus, etiam anhelans tamquam arduo munere fortiter perfunctus: discedamus.

CUBICULUM, ET LUCUBRATIO.

Plinius, Epictetus, Celsus, Didymus.

Plin. Hora est a meridie quinta: heus Epictete claude mihi fenestras istas, et infer huc lumina ad lucubrandum.

Epic. ¿Quæ lumina?

Plin. Interea dum hi adsunt, candelas sebaceas (1) aut cereas: ubi recesserint tolletis eas, et statuetis hic mihi lychnuchum. (2) *Cel.* ¿Quorsum id? *Plin.* Ad lucubrandum.

Cel.

(1) *Sepaceas.* Hac voce usus est Apulejus: neque te decipiat litteræ permutatio: idem enim est sepum quod sevum.

(2) *Licbnucum.* Candelabrum hoc loco. Solet etiam plerumque pro eo, qui lucernam portat, et pro lucerna ipsa ac facula usurpari.

Cel. ¿Quin studes potius de mane? Tum enim videtur, et temporis ratio et qualitas corporis invitare, quum est minimum vaporum in cerebro peracta concoctione illa evaporatoria. (1)

Plin. Etiam hæc hora tranquillissima est, quum quiescunt et silent omnia, atque iis qui prandent et cœnant, non incommoda. Nam sunt qui cœnant tantum more prisco, alii prandent solum ex placitis recentium Medicorum, alii et prandent et cœnant more Gotthico.

Cel. ¿An non ante Gotthos erant prandia?

Plin. Erant, sed levia: Gotthi morem invexerunt bis in die saturum fieri.

Cel. ¿Qua de causa Plato mensas Syracusanas damnat, in quibus quotidie exaturentur bis?

Plin. Ex eo colligas fuisse rarissimas.

Cel. Sed missa isthæc faciamus. ¿Cur lucubras ad lychnum potius quàm ad candelam?

Plin. Propter flammam æquabilem, quæ minus lædit oculos, illa enim crispatio myxi (2) officit oculis, et sevi odor inamœnus est.

Cel.. Utere cereis, quorum odor non est ingratus.

Plin. Myxus est in his magis tremulus, nec vapor salubris, et in sebaceis ellychnium (3) est lineum plerunque, non xylineum (4): ut propolæ isti ex rebus omnibus quærunt compendium cum fraude. Infunde oleum in lucernam hanc; profer acu mixum et exfunga.

Epic. ¿Quàm hæret fungus acui? Signum dicunt esse pluviæ; quemadmodum est apud Vergilium: (*)

Scintillare oleum, et putres concrescere fungos.

Plin. Adfer etiam furcinulam, et emunge candelam hanc: ne projicias fungum in pavimentum ne fumiget; sed opprime in-

(1) *Concoctione evaporatoria.* Peracta illa digestione, cum vapores ex stomacho in cerebrum exhalantur.

(2) *Crispatio mixi.* Myxus, Hispane *mecha torcida, pavilo.*

(3) *Ellychnium* idem quod myxus.

(4) *Xylineum* Plin. *lib.* 19. Xylinum fruticem esse dicit in Ægypti parte superiore Arabiam versus nascens, quem aliqui Gossipion vocant: parvulus est, similemque barbatæ nucis defert fructum; ex quo xylina ligna.

(*) Lib. 1. Georg. v. 392.

intra furcinulam, quando est contecta. Profer mihi pallam lucubratoriam, prælongam illam pellitam.

Cel. Ego te tuis libris commendabo. Minervam tibi opto propitiam.

Plin. Paulum malim: vel quod dicere debui, Christum Jesum, Dei sapientiam.

Cel. Fortasse Christus Minervæ fabula adumbratur, quæ ex Jovis cerebro sit nata.

Plin. Statue mensam super tibicines in cubiculo.

Epic. ¿Mavis mensam quàm pluteum?

Plin. Etiam, hoc quidem tempore: sed pone supra mensam pluteolum. *Epic.* ¿Stabilem an volubilem?

Plin. Quem males. ¿Ubi est Didymus meus ab studiis?

Epic. Eo illum accersitum.

Plin. Et huc adducito puerum exceptorem (1): nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos, et pennas duas aut tres cannæ amplæ, et thecam pulverariam; profer mihi ex armario Ciceronem et Demosthenem, tum ex pluteo codicem excerptorium, (2) et regesta majuscula: ¿audin? Et mea schedia in quibus libet nonnulla expolire.

Did. Non arbitror esse schedas tuas in pluteo, sed in scrinio conclavis.

Plin. Id vero ipse scrutator. Adfer mihi Nazianzenum.

Did. Non nosco.

Plin. Liber est minime spissus, consutus, et tectus membrana ruditer. Adfer quoque codicem quintum a primo.

Did. ¿Quod est lemma illius?

Plin. *Xenophontis commentarii*: liber est expolitus, tectus corio cum uncinulis et umbicilis cupreis. *Did.* Non invenio.

Plin. Nunc memini; in quarto loculamento eum reposui, illinc prome. In eo loculamento non sunt nisi libri soluti, et ru-

(1) *Puerum exceptorem*, id est, qui scribat quod ego protulerim. Qui profert, dictare; qui scribit, excipere dicitur.

(2) *Codicem exceptorium, et regesta.* Plinius senior, ut ait junior, nihil legebat quod non excerperet: librum igitur album, ubi vocabula, sententiæ, loquendi formulæ, et reliqua, quæ optimæ videntur, ex auctoribus collecta reponuntur, exceptorium appellat. Qui autem rerum et dictionum, index est ordine abecedario distinctus, apud quem auctorem, et quoto folio quæ notata sunt inveniantur, regestum dicitur, vulgo *registro*.

rudes, quales recens adferuntur ab officina.

Did. ¿Ecquot corpus Ciceronis poscis? Nam sunt quatuor.

Plin. Secundum.

Epic. Nondum est relatum a librario glutinatore, cui dedimus nudius, ut puto, quintus.

Did. ¿Quàm placet tibi hæc penna?

Plin. Non sum in eo valde sollicitus, quæcunque in manus venit, ea sic utor tamquam bona.

Did. Hoc habes Ciceronis.

Plin. Conquiesce, reclude mihi Ciceronem: aperi, evolve adhuc tria aut quatuor folia ad quartum Tusculanarum quæstionum, quære ibi de mansuetudine, et lætitia.

Epic. ¿Cujus sunt hi versus?

Did. Ejus ipsius, quos de Sophocle vertit: quod facit sane lubens, ac proinde sæpe.

Epic. Erat credo ad carmen componendum satis aptus.

Did. Aptissimus ac facillimus: nec, ut illo seculo infelix, contra quam existimant plurimi.

Epic. ¿Sed tu quomodo intermisisti studium Poetices?

Plin. Aliquando repetemus succisivis horis, ut spero, nam habet multum levamenti ab studiis gravioribus. Defessus sum jam studendo, meditando, scribendo, sterne mihi lectum.

Epic. ¿In quo cubiculo?

Plin. In lato illo et quadrato, et tolle ex angulo anaclinterium, (1) transfer in cœnationem, pone super culcitram plumeam alteram tomenti lanei, vide ut fulcera lecti sint satis firma.

Epic. ¿Quid refert tua, qui non cubas in alterutra spondarum, sed in medio? Sed salubris foret si lectus esset durior, et qui corpori resisteret.

Plin. Tolle cervical, et pro eo repone pulvinos duos, et in hoc æstu malo plagam illam, quàm arcta isthæc lintea.

Epic. ¿Sine lodice? *Plin.* Etiam.

Epic. Algebis, nam surgis ab studiis extenuato corpore.

Plin.

(1) *Anaclinterium*, ab Anaclinomar græce, quod est discumbo, inde Anaclinterium, locus ubi interdiu cubatur. Lamprid. in Heliog. vulgo *estrado*, dicitur etiam stibadium. Tranq. in Aug. lectulum lucubratorium vocat.

Plin. Injice ergo peristroma aliquod leve.

Epic. ¿Istud? ¿nullum aliud stragulum?

Plin. Nullum, si sentiam frigus in lecto, poscam plus vestium, (1) aufer illa peripetasmata; nam ad culices excludendos malo conopæum.

Epic. Culices paucos hic sensi, pulices, et pediculos satis multos.

Plin. Ego vero miror te aliquid sentire, qui sic dormias et stertas.

Epic. Nemo dormit melius, quàm qui non sentit quàm male dormit.

Plin. Nihil horum animalculorum, quibus per æstatem in cubiculis infestamur, tam movet nauseam, quàm cimices odore illo teterrimo.

Epic. Satis bonus proventus est eorum Lutetiæ, ac Lovanii.

Plin. Est genus ligni, quod illos creat Lutetiæ, et argilla Lovanii. Colloca hic mihi horologium excitatorium, et obicem infigito ad horam quartam matutinam, neque enim volo diutius dormire. Excalcia me, pone hic sellam plicatilem in qua sedeam; matula in scabello sit mihi juxta lectulum parata; nescio quid hic olet male: suffias paulum thuris, aut juniperi. Cane hic mihi lyra aliquid lectum ingredienti, more Pythagorico, ut citius obdormiam, et somnia sint placidiora. *Epic.*

Somne, quies rerum, placidissime somne deorum, (*)
Pax animi, quem cura fugit, qui pectora longis
Fessa ministeriis, fulcis, reparasque labori.

CULINA.

Lucullus, Apitius, Pistillarius, Abligurinus.

Luc. ¿Es tu popino? *Apit.* Sum. *Luc.* ¿Ubinam agis?

Apit. In popina galli gallinacei: ¿num eges me?

Luc. Etiam, ad nuptias.

Apit.

(1) *Posca plus vestium*, vestes non modo sunt, quibus induimur, sed quibus inter dormiendum tegimur, sicut Hispane, *ropa*.

(*) Ovid. Metam. lib. 11. v. 623.

Apit. Sine me domum transcurrere, ut præcipiam uxori quemadmodum sint tractandi ganeones, quos scio non solere in hac civitate deesse, tum etiam adventores.

Luc. ¿Audin tu? Reperies me in vico lapideo, in ædibus sutorum. *Apit.* Continuo adero.

Luc. Bene est, ingredere culinam.

Apit. Heus Pistillarie, et tu Abligurine, ignem in lare extruite sub fumali grandibus lignis, et quantum fieri poterit acapnis.

Pistil. ¿Putas te esse Romæ? Hic tabernas coctilitias non habemus, e quibus ligna coctilitia promuntur, habebis bene arida.

Apit. Ni ita sit, tu Abligurine suffitor perdes oculos sufflando.

Abl. Immo bibam largius: væ vino,

Apit. Væ aquæ, nam vinum hodie non attinges, si sim sanus, nolo mihi evertas ollas, et auxillas confringas, et cibos corrumpas. *Abl.* Non vult ardere hic ignis.

Apit. Injice fasciculum aliquem sulphuratarum, et fomitum frustula aliquot cum his assulis. *Abl.* Extinctus est prorsum.

Apit. Transcurre ad ædes proximas cum batillo, et adfer nobis torrem aliquem prægrandem, et prunas bene incensas.

Abl. (*a*) ¿Metallarius est illic dominus? Nec sinet carbonem unum sub fornacibus sibi detrahi, citius oculum.

(a) Metallarius, *qui vulgo* Alquimista.

Apit. Non est metallarius, sed metallicida: ito ergo ad furnum. ¿Quid adfers? ¿Titionem magis quàm torrem?

Abl. ¿Non habebant prunas carbonis?

Apit. ¿Quid malum carbonis? Cespitum hic dixeris. Tu furcilla hac move ligna, et agita fomitem ut ignem concipiat: sume pyrolabem (1) asine.

Abl. ¿Quid rei est isthuc verbum?

Apit. Forfex ignaria, pruniceps.

Abl. ¿Quid mihi cum verbis Græcanicis? Quasi desint Latina.

Apit. ¿Etiamne asini sunt Grammatici?

Abl. ¿Quid mirum, quum et Grammatici sint asini?

Apit. Fac finem altercandi: volo carbones aliquot, aut cespi-

(1) *Pyrolabem* novum vocabulum, sed accommodatum satis, et venustum, ut quod ex græco fonte cadat, à *Pur* quod est ignis, et *Lambanos* capio.

pites accendas mihi in hoc foco, ad testuacia lente incoquenda; suspende ahenum ad ignem, ne desit aqua calida: tum in cacabum injice armum illum vervecinæ, cum bubula salita, cucumam igni admove cum vitulina, et agnina: in chytropode (1) elixabimus oryzam. *Abl.* ¿Quid pulli?

Apit. Coquentur in auxilla ærea quæ stanno est illita, quo sapor sit gratior; sed non tam mature. Verua proferes sub nonam, et (*b*) pinguaria. Lucium hunc sines in aqua lusitare paulisper, tum exenterabis.

(b) Pinguaria, *in qua decidit pingue carnium, cum assantur.*

Abl. ¿Carnes et pisces in eadem mensa?

Apit. Maxime, more Germanico.

Abl. Atqui hoc non placet Medicis.

Abl. Medicinæ non placet Medicis placet. Ego stipitem hunc Grammaticum tantum esse existimabam, Medicus etiam est.

Abl. ¿Nunquamne de quæstione illa audivisti, utrum sint in civitate plures Medici, an stulti?

Apit. ¿Quis te detrusit in culinam cum sis tam (*c*) saperda?

(c) Saperda, *vox Varronis: Et non sapientem, et venustum per metaphoram significat.*

Abl. Adversa mea sors.

Apit. Immo, quod manifestum est, segnities tua, et socordia, et gula, et lurcacitas, et ingluvies, et animus degener, ac abjectus; ideo ambulas nudis pedibus, semiamictus veste obsoleta, et natibus breviore.

Abl. ¿Quid tibi cum mea paupertate?

Apit. Nihil omnino, nec velim esse. Sed ad rem, ne præter rem plura quàm oportet: ¿satisne sunt hæc jussa, superque infixa et inculcata? *Abl.* Scilicet vobis nunquam satis.

Apit. Da mihi meam braccam, nam foras lubet prodire, continuo adero, cedo tudiculam (2) insigne artis nostræ: hoc est meum fulmen, et tridens.

Pist. Heus Abligurine statue hydrias illas in urnario, et hanc bubulam abluito diligenter, et confricato in labro.

Abl. ¿Etiamne tu hic quoque imperas? Unus Imperator unis castris sufficit; ¿non sufficiet culinæ uni? facito ipse: tu es acrior

(1) *In chytropode.* Chytropus, olla est cum pedibus. Sunt etiam chytropodes, ollarum sustentacula.

(2) *Cedo tudiculam.* Hispane *el cazo*, quod insigne est coquorum, sicut fulmen Jovis, et tridens Neptuni.

acrior exactor operæ, quàm ipse magister culinæ: non vocabo te posthac Pistillarium, sed stimulum acutum.

Pist. Immo voca me (*d*) Onocentron. Frange tu ergo vitulinam hanc in epixenio (1). Comminue paulum hujus casei ut spargamus super hanc offam. *Abl.* ¿Quomodo? ¿manu?

(d) Onocentron, *asini stimulum*.

Pist. Non, sed tyrocnesti (2). Instilla huc guttas aliquot olei ex lecytho. *Abl.* ¿Dicisne ex hoc capsace?

Pist. Statue hic mortarium. *Abl.* ¿Quod istorum?

Pist. Illud æneum cum pistillo ejusdem metalli.

Abl. ¿Qua gratia? *Pist.* Ad terendum petroselinum hoc.

Abl. Satius est in pila id fieri marmorea pistillo ligneo.

Pist. Quæso cantilla sicut consuevisti. *Abl.*

Ego nolo Cæsar esse, (*)
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.
Ut sapiant fatuæ Fabiorum prandia betæ, (**)
¡O quàm sæpe petet vina piperque coquus!

Pist. ¿Fabiorum, an Fabrorum?

Abl. Quære a Ludimagistro loripede, et pro Fabris et Fabiis referes egregium colaphum in gena vel in bucca.

Pist. ¿Sic est homo?

Abl. Vir strenuus et fortis, et manu promtus; celeritate manuum compensat linguæ tarditatem.

Pist. Cedo urnulam cervisiariam, exiccatum habeo palatum, gutur, fauces. *Abl.*

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa. (***)
Claudere quæ cœnam lactuca solebat avorum, (****)
Dic mihi ¿cur nostras inchoat illa dapes?
Filia Picenæ venio Lucanica porcæ, (*****)
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Apit. ¿Unde tu didicisti adeo ῥαψῳδεῖν? (3)

(1) *In epixenio* truncus est, in quo coqui carnes secant: alii epixenum dicunt. Suidas masculine posuit.

(2) *Tyrocnesti.* Tyrocnestis, Hispane *rallo.* Est etiam gladiolus militaris.

(*) Flor. Poetat. apud Spartianum in Hadrian.

(**) Mart. lib. 13. Epig. 13. (***) Virgil. Eclog. 6. v. 17.

(****) Mart. lib. 13. Epig. 14. (*****) Idem ibid. Epig. 35.

(3) *Rapsodin.* aut si mavis rhapsodizare, est carmina pangere, centones recitare, versus hinc inde contexere, et consarcinare, ut hoc loco.

Abl. Inservivi nuper in Calabria Ludimagistro cuidam poetastro, qui sæpenumero cœnam aliam non dabat mihi quàm cantillationem centum versuum, quibus mirificum ajebat saporem inesse: ego vero paulum panis et casei maluissem, aquæ erat satis domi, et licebat nobis de puteo bibere ex animi sententia; inde ego quum esuriens concessissem cubitum, pro epulis versus illos ruminabam et concoquebam: nec mihi aliud visum est remedium ad bulimiam (1) illam depellendam quàm culinariam arripere.

Apit. ¿Quæ illi præbebas ministeria?

Abl. Quæ Cæsar Reipublicæ. Ego eram illi omnia, eram illi a consiliis, etsi nihil unquam ageret consilio: a secretis, cum nihil haberet secreti ne latrinam quidem: ego fundebam ei aquam lavandis manibus, quas nunquam abluebat: ego servabam ejus thesaurum. *Apit.* ¿Quem thesaurum?

Abl. Schedas aliquot pessimarum cantillenarum, quas tineæ exedebant, et opici mures arrodebant.

Apit. Immo docti mures qui malis poematis dentem infigebant.

TRICLINIUM.

Aristippus, *Lurco*.

Arist. ¿Quid tu tam sero surgis et quidem semisomnis?

Lur. Mirum est me esse toto hoc die experrectum, adeo heri edimus et bibimus.

Arist. Immo ut apparet devorasti, ingurgitasti, obruisti te epulis et vino. ¿Sed ubinam onerasti celocem?

Lur. Apud Scopam in convivio.

Arist. ¿Quin potius more Græco συμπόσιον (2) vocaris, quàm Latino verbo convivium?

Lur. Bucca buccam impellebat, intrituræ et condimenta velli-

(1) *Bulimiam depellendam.* Quidam caninum appetitum interpretantur. Certe magna est fames et morbus, quo laborantes etiam post cibum esuriunt, cum ob famem stomachus deficit.

(2) *More Græco Symposion*, id est, compotatio: Latini convivium nominarunt, quia vitæ conjunctionem habeat, ut ait Cato major apud Ciceronem.

licabant atque instigabant desidentem stomachum, et appetentiam non patiebantur delassari.

Arist. Refer quæso ordine omnia ut vel auditione ipsa videar mihi interesse, et quasi vobiscum potare: ut ille qui in caupona Hispaniæ duos grandes panes comedit ad nidorem perdicis assæ, quo nidore utebatur pro obsonio.

Lur. ¿Quis enarrarit omnia? Majus negotium id fuerit, quàm vel emisse vel apparasse, vel quod omnia superat, comedisse.

Arist. Assideamus in hoc saliceto ad crepidinem hujus ripulæ; et quando sumus otiosi, pro collocutione aliis de rebus utemur hac ipsa; gramen erit nobis vice pulvinorum, innitere hac ulmo. *Lur.* ¿In herba? ¿An non humor nocebit?

Arist. ¿Quid? insanis. ¿Humor in ortu caniculæ?

Lur. Antea recusabam, nunc animus prurit mihi recensere tibi plus quàm postulas: de convivio solum quærebas, accipies etiam de domino et de triclinio: rogabas ut loquerer, efficiam ut mox paulo silentium roges, indicas, imperes: ut Arabius tibicen qui ad canendum obolo conducitur, ad tacendum tribus.

Arist. Tu vero quantum libuerit, non eris molestus; quandoquidem in opaco loco consedimus, et orationem tuam carduelis illa vel adjuvabit, vel ad harmoniam moderabitur: ut orationem C. Gracchi servus fistulator.

Lur. ¿Quid isthuc est rei?

Arist. Postquam tu feceris narrandi finem, audies de Gracchis et Gracculis, et de Græculis.

Lur. Deambulamus forte transverso foro ego et Trasybulus, nacti plusculum otii quàm solemus, adjunxit se nobis Scopas. Is a nobis post primas salutationes et blandum congressum cœpit vehementer contendere, ut postero die qui hesternus fuit, apud se essemus: excusare nos primum, alius alia: ego autem vadimonium grave, et apud Prætorem valde irritabilem. Sed ille ut libenter ostentat suam magnificentiam, quasi de capite ageretur, orsus est accuratum sermonem; ¿quid multa? Addiximus, ne molestus esse pergeret.

Arist. ¿Scin, quænam fuerit causa convivii?

LUR. ¿Quæ tandem quæso?

ASIST. Est quidem ipse homo locuples, ornatus argento, veste, supellectile: sed emerat phialas argenteas tres deauratas, et pateras sex; periisset precium, ni aliquos invitasset, quibus ostentaret; et alioqui eum ille existimat esse divitiarum fructum, habetque uxorem, a qua extimulatur ad profusionem quam illa magnificentiam nuncupat.

LUR. Heri ergo sub meridiem convenimus in ejus triclinium.

ARIST. ¿Qualis erat cœnatio?

LUR. Hypæthra (1) in opaco frigore; omnia sane apparata, ornata, exculta: nihil deerat ad elegantiam, splendorem, et lautitias. Plane primo ingressu exhilarati sunt omnium oculi et animi, aspectu illo pulcherrimo atque amœnissimo. Erat abacus ingens plenus bonis vasis materiæ omnis, ex auro, argento, cristallo, vitro, ebore, murrha (2): alia etiam vilioris materiæ, stannea, cornea, ossea, lignea, testacea seu figlina, in quibus ars commendabat vilitatem substantiæ; nam erant toreumata permulta, omnia expoliata, extersa; fulgor pene perstringebat oculos. Illic vidisses duo magna malluvia argentea oris deauratis: umbilicus erat aureus cum insignibus illius. Habebat utrunque malluvium suum gutturnium (3), quorum epistomium erat deauratum; stabat et alterum aquiminarium vitreum fistula deaurata cum pollubro figlino, operis (*e*) Malacensis probe sandaracato. (4) Phialæ omnis generis, et argenteæ duæ ad vinum generosissimum.

(e) Malacensis *Civitas est in Hispania.*

ARIST. Ad usum meum ampullas vitreas malim, aut etiam testaceas, ex iis quæ lapideæ dicuntur.

LUR. ¿Quid facias? Ita est hominum ingenium: non tam in his quæritur commoditas, quàm opinio divitiarum.

ARIST. Isti opulentissimi sæpius videntur aliis tales, sibi inopes: ideo

(1) *Hypæthra*, id est, sub dio posita in medio areæ, aut impluvii. Dicuntur hypæthræ ambulationes, auctore Vitrubio, quæ Latini Xysta appellant. Denique ædificia hypæthra, non contecta, sed sub dio.

(2) *Murrha.* Plinius ait liquorem esse, qui sub terra calore densatur, vulgo *Agata*, ut ait Nebrissensis, Lucanus. Non auro murrave bibunt. Unde vasa murrhina.

(3) *Suum gutturnium*, hic pro canaliculo unde aqua manibus descendit, alii pro ipso vase accipiunt. Malluvium igitur, sive malluvia, Hispane *fuentes*.

(4) *Probe sandaracato.* Hispane *bien embarnizado*. De sandaracha vide plene in Lexicis.

ideo nullus finis proferendi et ingerendi oculis; præsertim qui nullam habent aliam bonam artem qua fidant. Sed perge.

Lur. Erat cymatium abaci (1) tapete villoso tectum, ex turcica usque allato; positæ erant duæ mensulæ procul ab abaco cum quadris et orbibus argenteis, unicuique additum erat suum salinulum, cultellus, panis, et mantile: sub abaco refrigeratorium et œnophora grandia: tum sedilia varia, sellæ, bisellia, subsellia, et dominæ sella plicatilis parata, visendi operis, cum pulvino serico et suppedaneo.

Arist. Pone tandem mensam, et explica mappam; nam mihi intestina præ fame rugiunt.

Lur. Erat mensa cibila (2), ingens, segmentata, operis tessellati antiqui, quæ fuerat Principis Dicæarchi.

Arist. ¡O mensa antiqua, quàm dispari dominaris domino!

Lur. Illam ipse emit in auctione satis magno solum quòd illius fuisset, ut aliquid haberet Principis: datur aqua lavandis manibus; primum magnis recusationibus et invitationibus mutuis, et cedendo invicem.

Arist. Idem factum est in consessu, quum quisque se inferiorem altero faceret, illum extolleret comitate arrogantissima, quum unusquilibet potiorem se reliquis omnibus censeret.

Lur. Sed dominus jure suo distribuit loca; sacrata est mensa a puerulo breviter et perfunctorie, et non sine rhytmo. *Quod appositum est et apponetur, Christus benedicere dignetur.* Explicat quisque suum chiromactrum (3), et injicit super humerum sinistrum, hinc cultello repurgat panem si quid non satis putabat a ministro purgatum, nam decrustatus erat appositus. *Arist.* ¿Sedebatis commode?

Lur. Nunquam commodius.

Arist. Non potuistis male prandere, nam reliqua sat scio suppeditatum iri redundanter, si qua modo fuerant in macello.

Lur.

(1) *Cymatium abaci.* Pars illa abaci prominens, nam a Græcis labra extantia et prominentia ita dicuntur.

(2) *Mensa cibila segmentata.* Solitos esse Romanos mensis quadratis in castris uti, rotundis vero domi, quas a cibis cibilas vocabant, auctores sunt Varro, et Festus. Nunc pro qualibet mensa, cui prandentes accumbimus. Segmentata, Hispane, *de pieza.* Operis tessellati, *de ataraceo.*

(3) *Chiromactrum.* Rectius Chiromactron, quod est mantile. Hispane *pañisuelo de mesa.*

Lur. Nusquam uberius copiaque ipsa nocet. Astat mensæ structor cultellos et furcinulas componens; ingreditur magna pompa architriclinus cum longo agmine puerorum et exoletorum, qui gestabant fercula primi missus.

CONVIVIUM.

Scopas, Simonides, Crito, Democritus, Polæmon.

Scop. ¿Ubi nobis Simonides?

Crit. Illico dixerat se venturum, simul ac convenisset debitorem apud forum.

Scop. Recte habet; a debitore facilius se extricavit quàm a creditore. *Crit.* ¿Quî isthuc?

Scop. Sicut in victoria belli conditiones fert victor, non victus; nam a debitore, quum ipse idem volet, a creditore, quum alter. ¿Sed convenistisne omnes ut erat condictum, relicta domi severitate afferentes vobiscum hilaritatem, lepores, venustates, gratias?

Crit. Plane ita spero, et erimus, sicut monet M. Varro, belli homines. *Scop.* Reliqua meæ curæ sunto.

Crit. Ecce tibi Simonides. *Scop.* Feliciter.

Sim. Et vobis fauste. *Scop.* Expectatissime.

Sim. Plane rusticane; nam ad prandendum eram invitatus, non ad expectandum: sed quæso, ¿fui vobis diu in mora?

Scop. Non valde.

Sim. ¿Cur non accumbebatis sine me? Essetis saltem proœmiati de fructibus quibus ego non admodum capior.

Scop. Bona verba, ¿te absente assedissemus?

Crit. Satis comitatum; exordiamur jam opus. Optimum panem et levissimum, non plus habet ponderis quàm si esset spongia; siligineus est setanius: industrium habetis pollinctorem.

Scop. Roscius est pistrini curator.

Sim. ¿Nunquamne in id conjicitur?

Scop. Absit, ¿tam frugi servus? *Dem.* Adfer mihi autopyrum.

Sim. Mihi vero secundarium aut typhaceum. *Scop.* ¿Cur talem?

Sim.

Sim. Quoniam audivi, et ita sum expertus, minus me esse, quum panis non est sciti saporis.

Scop. Heus puer adferto ei panem cibarium (1) et vulgarem etiam ex atro, si ita mavult: ita demum jucundissime convivabimur, si quisque quod maxime collubitum erit, sumserit.

Pol. Panis hic, quem tu tantopere probas spongiosus; aquaticus est, malo densiorem.

Crit. Mihi vero non displicet spongiosus, modo ne sit speusitius (2): hic vero etiam hectas attollit (3), quod focacei solent facere; quum sit, uti satis apparet, fornaceus.

Pol. Cibarius hic panis et acerosus est et acetosus, typhaceum dicas.

Scop. Sic consueverunt nostri agricolæ triticum omne quod huc important, acerare prius in villa, et miscere multis generibus seminum; sapor autem ex fermento est nimio.

Pol. Nullum hominum genus est hoc fraudulentius; non male faciunt, nisi quum nesciunt.

Crit. Panis hic non est satis fermentatus.

Dem. Puta te hodie Judæum, qui azymo vescebantur jussu Dei.

Crit. Id quidem quòd homines essent pessimi, ut interdicta est illis suilla, qua nihil palato gratius, nec si moderate sumas, salubrius. Et quidem azyma jussi sunt comedere cum lactucis agrestibus, quæ sunt perquam amaræ.

Pol. Illa omnia sensus habent altiores, omittamus hæc.

Scop. Et quidem disputationem de pane. Si de obsoniis fuerit tanta controversia, magna erit in toto convivio discordia.

Crit. Accidet nimirum quod Horatius inquit.

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur, (*)
Poscentes vario multum diversa palato.

Scop. Appone lances illas et tympana cum cerasis et prunis, et malis granatis, et persicis pomis, et persicis præcocibus.

Pol.

(1) *Adferto ei panem cibarium*, panes cibarios vocat Plin. *lib.* 18. qui pastoribus, et vulgo dantur.

(2) *Speusitius.* In Plinianis codicibus Speusitios panes a festinatione dictos invenies: sicut dicoquendi ratione furnaceos, et artoptesios.

(3) *Hectas attollit.* Hispane *crestas, o vexigas*, quasi bietæ ab hiando dictæ Festus.

(*) Horat. lib. 2. Epist. 2. v. 61.

Pol. ¿Cur M. Varro dixit convivas non debere excedere numerum Musarum, quum de eo numero non constet? Alii enim ponunt tres, alii sex, alii novem.

Crit. Dixit tamquam si constaret esse novem, et ita erat vulgo receptum: unde Diogenis jocus in Ludimagistrum qui paucos haberet discipulos, depictas autem Musas in ludo; Præceptor, inquit, σὺν ταῖς πᾶσαις (1) multos habet discipulos.

Dem. ¿Sed est ne verum, Persas pomum hoc quod apud ipsos esset lethale, invexisse in Græciam ad pestem eorum quibuscum bellum gerebant? *Crit.* Sic accepi.

Dem. Admirabilis est in ingeniis terrarum varietas. *Crit.*

India mittit ebur, (inquit Vergil.) *molles sua thura Sabæi.* (*)

Hem cydonipersica. (2)

Sim. Novum insitionis inventum priscis incognitum; cedo nobis pateram illam cum ficis duricoriis (3) qui sunt (ut nostis) prodromi.

Scop. Satis est fructuum: expleamus nos rebus aliis salubrioribus corpori. *Crit.* ¿Quid his salubrius?

Scop. Nihil, si salubre et sapidum idem sunt, sicut in meridiano somno.

Crit. Ego condono illis nocumentum propter oblectamentum.

Scop. ¿Non meministi versiculum Catonis?

Pauca voluptati debentur, plura saluti.

Dato singulis singulas gabatas cum jure carnium ut sorbeant; id vero et calefaciet intestina, et blande abluet ad molliendum ventrem.

Sim. Profecto puer amo te de suilla hac salita. ¡O pernam sapidissimam! majalis est. Brassicas illas cum larido, si vis mihi auscultare, redde coquo per hoc quidem temporis, aut serva in brumam. Lucanicæ hujus scinde mihi buccean unam aut alteram, quo suavius ebibam primum cyathum.

Crit. Pareamus Medicorum consilio, admonentium, ut porcinæ addatur merum; funde vinum.

Scop.

(1) *Cum Musis, et cum* Diis. Boni hominis voces sunt; id est, Diis, Musisque faventibus, et propitiis. Ille autem intellexit, Musis enumeratis una cum discipulis.

(*) Georg. 1. vers. 57.

(2) *Cydonia Persica*, vulgo *melocotones*: ex insitione male Cydonia, et Persica.

(3) *Ficis duricoriis.* Hos prod romos esse dicit, hoc est præcoces.

Scop. Sequitur actus fabulæ, fortassis hoc anni tempore præcipuus. Spectate hujus actus apparatum, primum omnium a caliculis custos abaci scyphos exposuit vitreos cristallini vitri cum vino albo purissimo, aquam putes solo aspectu. (*e*) SanMartinium est, et partim Rhenense, non infectum ut solent in Belgia, sed quale in media Germania bibitur. Oenophorus relevit hodie serias duas, alteram vini heluelli seu flavi ex agro Parisiensi, alteram sanguinei Burdegalensis: habetis in apyroto (1) alia parata, fuscum, Aquitanicum, et nigrum e Sagunto: petat quisque ex sententia palati sui.

(e) Sanmartinium, *ex illo Hispaniæ oppido.*

Crit. ¿Quid potest nuntiari lætius? ut nihil est durius quàm perire siti. Ego vero mallem optimam nobis aquam prospexisses; hunc nuntium audivissem libentius quàm de vino.

Scop. Nec ea deerit.

Sim. Nuper quum essem in urbe Roma, bibi apud Cardinalem quendam vina generosissima omnifariam saporis (nam eram Præfecto cellæ vinariæ perquam familiaris) vinum dulce, acutum, lene, suave, austerum.

Dem. Mihi vehementer placet aiglauces. (2)

Pol. Sic fere Belgicis feminis.

Scop. In pagis quibusdam Galliæ floces apponuntur, secundarium autem vinum et tertiarium habent in deliciis; sed ea villa sunt magis quàm vina, et alioqui vinum Gallicum toto genere nec aquam, nec ætatem fert: itaque paulo post quàm est diffusum, bibitur; quippe post annum inclinat illico, et fit dubium, tum fugiens, et acuit; quod si manserit diutius, emucet, et in vappam vertitur. Hispanum vinum et Italicum bene fert et aquam, et ætatem.

Dem. ¿Quid rei est vinum fugiens? Vientur probe dolia (3), et obseretur cella, immo et domus claudatur si sit opus.

Pol. Ut poma fugientia quæ ætati cedunt, nec servantur, et discedere vulgo dicimus; cujus contrarium est vinum consistens.

Dem. Funde mihi prius aquam ad dimidium calicem, super hanc infundes vinum more veteri.

(1) *In apyroto*, apyrotum penultima longa, vas frigidarium.
(2) *Aiglauces*, vinum fortasse dulce, quod vulgo vinum muliebre dicunt.
(3) *Vientur dolia*, hoc est, vinciantur, id enim est viere.

Crit. Immo et hodierno multarum gentium. Galli et Germani contra faciunt.

Dem. Quæ nationes volunt bibere aquam vinatam, aquæ addunt vinum: quæ vinum aquatum, vino superinfundunt aquam.

Crit. Quæ vero vino aquam non adfundunt, ¿quid bibunt?

Dem. Vinum purum putum.

Crit. Etiam, nisi prius sit a vinario irrigatum.

Pol. Baptizare id vocant ut vinum sit Christianum: ea erat meo tempore elegantia philosophica.

Dem. Illi baptizant vinum, et se ipsos exbaptizant.

Pol. Pejus agunt qui injiciunt calcem, sulphur, mel, alumen, et alia dictu tetriora quibus nihil est corporibus perniciosius, in quos publice deberet animadverti, ut in latrones aut sicarios; inde sunt enim incredibilia morborum genera, et potissimum arthretica. (1)

Crit. Ex conspiratione cum Medicis id agunt, ut utrique rem augeant.

Dem. Nimis mihi porrigis plenum calicem: deple quæso te aliquantum ut sit locus aquæ infundendæ.

Crit. Funde mihi in scyphum illum coloris castanei. ¿Quid rei est?

Scop. Nux prægrandis Indica ab labris argento circumclusa. (2) ¿Visne in culullo illo ligni hebeni, quod ferunt esse saluberrimum? Ne addas tantum aquæ: ¿nescis vetus verbum: Perdis vinum infusa aqua?

Dem. Immo perdis utrunque, aquam et vinum.

Pol. Malo utrunque perdere quàm ab alterutro perdi.

Scop. ¿Lubetne potare more Græco ex illis pateris et capacioribus poculis?

Crit. Minime vero. Admonebas nos modo antiqui proverbii, vicissim admoneo te præcepti Paulini: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: et Servatoris nostri: *Videte ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate.* ¿Unde est hæc frigida, tam pu-

(1) *Arthetrica*, morbus articularis, Hispane *gota de pies, o manos*, sæpius *artetis* a Græcis.
(2) *Argento circumclusa*. Hispane *engastada*.

pura et pellucida? *Scop.* E fonte proximo.

Crit. Ad vinum diluendum malim cisternam, modo defæcatissimam. *Dem.* ¿Quid putealem?

Crit. Usibus lavandi aptior est quàm bibendo.

Pol. Fluviatilem commendant plurimi.

Crit. Recte, si fluant amnes per venas auri, ut fere in Hispania, et sit quieta et liquida.

Sim. Mihi vero in phiala illa Samia adfer aliquantum cervisiæ, quam puto refrigerando corpori hoc æstu utilissimam.

Scop. ¿Ex qua tandem cervisia?

Sim. Ex tenuissima; nam aliæ nimium incrassant spiritus, et reddunt obesum corpus.

Pol. Mihi item dato, sed in vitro illo terete.

Scop. Curre ad culinam; ¿quid illi cessant? ¿Quin mittunt missum alium? ¿Vides jam hinc neminem attingere? Adfer pullos gallinaceos elixos cum lactucis, buglossa hortensi, et intybo, vervecinam quoque et vitulinam.

Crit. Adde etiam in scutulis paulum sinapis aut petroselinati.

Dem. Violenta res videtur sinapis.

Crit. Non admodum congruit biliosis; iis tamen qui crassis et frigidis humoribus redundant haud inutilis.

Pol. Idcirco sapiunt populi septentrionales, quibus illa est magno usui, præcipue cibis crassis et duris addita, ut bubulæ et salsamentis.

Scop. Hoc loco existimo pultes et ptisanas (1) venturas in tempore, leucophagum (2), similaginem, amilum, oryzam, vermiculos; edat quisque ex quibus volet.

Dem. Vidi qui (*f*) a vermiculis hujusmodi vehementer aborreret, quòd autumaret collectos fuisse ex terra aut cœno, et vixisse aliquando.

(f) Vermiculi, *vulgo* fideos.

Crit. Scilicet metuebat, ne in aqualiculo suo reviviscerent. Oryzam ferunt nasci in aqua, mori in vino: cedo igitur vinum.

(1) *Ptisanas.* Nonnunquam cremorem ex hordeo, aliisve frugibus expressum significat: imperiti pro aqua cum hordeo fervefacta accipiunt, cum sit pultis genus, ut Plinius ait, ex hordeo, cujus laudibus Hyppocr. unum volumen dicavit.

(2) *Leucophagum.* Hispane *manjar blanco.* Hermolaus dixit Leucophæum jus, si modo liber mendo caret.

Dem. Ne bibe statim a cibo calido, intermisce prius frigidi aliquid et solidi. *Crit*. ¿Quid?

Dem. Crustam panis aliquam, vel turundam unam aut alteram carnium.

Sim. ¿Vah, pisces cum carnibus in eadem mensa? mare miscetur terræ: hoc vetant Medici.

Scop. Immo hoc placet Medicis.

Sim. Credo, quia illis utile. *Scop*. ¿Cur ergo vetant Medici?

Sim. Erravi, a Medicina prohiberi dictum oportuit, non a Medicis. ¿Sed qui sunt pisces isti?

Scop. Appone ordine, primum lupum (1) illum assum cum aceto et capparibus, tum passeres elixos cum succo lapathi acuti, soleas frixas (2), lucium recentem, et capitonem (3); lucium salitum serva tibi, thynnum assum recentem, et thynnum in salsamento, menas recentes frixas, (*g*) crustulata in quibus insunt mulli barbati, murenæ, et truttæ multis conditæ aromatis, gobios (4) frixos, cammaros et crancos elixos. Admisce scutellas cum intritis alliato, piperato, erucato.

(g) Crustulata, *quæ vulgo* pastilli.

Sim. Ego vero de piscibus loquar, non edam.

Crit. Si Philologus cœperit de piscibus movere controversiam, hoc est de re incertissima et controversissima, incipite nobis lectulos insternere, hic erit cubandum.

Scop. Nemo dignatur vel gustare; tolle hæc.

Sim. Atqui convivia olim Romæ lautissima, et ut ipsi soliti erant dicere, pollucibilia (5) ex piscibus constabant.

Crit. Ita sunt mutata tempora, etsi hoc etiamnum durat apud quosdam.

Scop. Importate assa, pullos, perdices, turdos, anaticulas, quer-que-

(1) *Lupum*. Lupus piscis a voracitate dictus est, et fluviatilis: capitur sub hostia fluviorum; Sturionem vulgo appellatum esse Raphael Volaterr. refert.

(2) *Soleas frixas*. Hispane *lenguados*, a similitudine soleæ: eas esse crediderim, quas Varro et Plautus Lingulacas appellant.

(3) *Lucium recentem, et capitonem*. Athenæus Leuciscum piscem commemorat: et Ælianus Cephalum, quem Athenæus ait a gravitate capitis dictum, ejusdemque generis esse cum Leucisco.

(4) *Gobios*. Et Gobiones legimus, quos præstantis saporis, sed parvi nutrimenti esse. Athenæus asserit, retinetque nomen apud Hispanos.

(5) *Pollucibilia*, id est qualia fiebant, quum in honorem cujuspiam Dei aliquid dedicabatur. Pollucere enim est sacrificale verbum, et reddentium libamenta diis. Plaut. Ut decimam partem Herculi polluceam. Inde pollucibiliter, salariter, opipare, et splendide.

quedulas, palumbulos, cuniculos, lepusculos, vitulinam et hædinam, et intinctus seu embammata (1), acetum, omphacium, oxypora, mala etiam medica, et cytronia, et olivas Balearicas condititias quassas, et in muria asservatas.

Dem. ¿Non adsunt Bethicæ?

Scop. Magis sunt saporis sciti Balearicæ.

Crit. ¿Quid fiet grandibus illis belluis anseri, cygno, pavoni?

Scop. Ostende tantum et refer in culinam.

Pol. Hem pavonem. ¿Ubi est Q. Hortensius (2) cui erat in deliciis? *Sim.* Tolle agninam. *Scop.* ¿Cur tolletur?

Sim. Quia est insalubris: ferunt eam non alia exire, quàm qua intrarit.

Crit. Vidi quendam devorare ossa olivarum struthionice.

Scop. ¿Ex quibus carnibus sunt (*h*) artocreæ istæ?

(h) Artocreæ, *pastilli ex carne.*

Crit. Hæc est ex cervina.

Scop. Hæc ex damica; illa est ut puto, aprugna.

Crit. Condituras ipsas malim quàm carnes.

Sim. Plane ita est, etiam res amaras condimentum reddit suavissimas. *Crit.* ¿Ecquod est vitæ totius condimentum?

Dem. Æquus animus.

Crit. Aliud quiddam ego proferam amplius et augustius.

Dem. ¿Quid tandem hoc meo?

Crit. Pietas, sub qua et animi æquitas comprehenditur, et ad res universas asperas, faciles, medias, condimentum aptissimum et jucundissimum.

Scop. Infunde vinum album Hispanicum in carchesium illud, et circumfer per convivas.

Dem. ¿Quid paras agere? ¿sub prandii finem propinas nobis vinum forte ac generosum? dilutius erit posthac bibendum si consultum cupimus valetudini.

Sim. Recte mihi videris admonere: frigida enim oportet esse in convivio postrema, quæ pondere suo cibos ad imum ventriculum detrudant, et vapores caput impetentes cohibeant.

Scop.

(1) *Embammata*, id est liquamina vel intinctus, a verbo Græco *embrapto*, quod est intingo, quibus panem vel obsonium intingimus.

(2) *Ubi est Q. Hortensius.* Is enim, ut ait Varro, primus in augulari cœna pavones apposuit.

Scop. Tolle ista, muta orbes et quadras, da secundam mensam (1); nam nemo extendit usquam manum.

Crit. Adeo voravi initio avide ut statim amisserim appetitum.

Dem. Ego item non appetitione, sed impetu feror ad primas dapes, inde me expleo.

Pol. Nescio quid edi de piscibus; id gustum meum prorsus retudit.

Sim. ¿Tantumne bellariorum apparatum et cupedines, quum nihil superest amplius cupediæ? Pyra, mala, caseus multiplex, sed palato meo congruentissimus est hippax. (2)

Crit. Non reor hippacem esse hunc, sed Phrygium ex lacte asini, qualis e Sicilia usque advehitur columellari forma et quadrata, qui quum frangitur, in laminulas funditur sive phyluras.

Dem. Caseus hic etsi Britannicus, fistulosus est; non erit mea utique sententia vobis gratus.

Crit. Sed neque hic spongiosus Hollandicus. Parmensis hic est bene compactus, et satis (ut videtur) recens, et ille (*i*) Peñafellius facile cum Parmensi certarit.

(i) Peñafellius, *ex illo oppido Hispaniæ.*

Dem. Non est Parmensis, sed Placentinus.

Crit. Etiam, si placet: vulgo Germanorum suavissimus est caseus vetus, putris, confricatus, et vermiculosus.

Sim. Qui talem edit caseum, sitim venatur, et edit ut bibat.

Scop. Pistor dulciarius nimium moratur, quin adfer stribilitas, (3) et artolagana testuacia et sartaginea conspersione in cacabum injecta olei ferventis, melle superinfuso.

Crit. Caryotas da mihi aliquot et ad edendum, et ad servandum; fortasse nocte hac nihil edam aliud.

Scop. Cape igitur spatalium hoc integrum: ¿vin ex malogranatis?

Pol. Heus Puer spolia nobis hanc palmam agrestem, et da quod est esui.

Scop.

(1) *Da secundam mensam.* Prima mensa est epularum, secunda pomorum, ut Servius ait, ubi mellita, et saccharea, reliquaque, quæ Latini bellaria, Græci *tragemata* dicunt, apponebantur, et vino latius indulgebatur.

(2) *Hippax* caseus est equinus, vel coagulum equinum, aut id quod in lacte equino sedit postquam agitatum est, a Diosc. hippace femineo genere ponitur.

(3) *Stribilitas*, et *artolagana*, artolaganos panes, a deliciis nominatos, ait Plin. stribilitæ, et artolagana. Forte, *bojuelas*, *y buñuelos*.

Scop. Potionis vos admoneo: scitis Aristotelis esse opinionem, tragemata esse inventa ut ea nos ad bibendum invitent, ne cibus in arido coquatur.

Crit. Oportet ergo inventorem fuisse vel nautam, vel piscem, qui adeo timeret ariditatem.

Scop. Adfer ea quæ solent vocari sigillum stomachi, post quæ nihil est nec edendum, nec bibendum: buccellatum, cydoniatum, coriandrum saccaro contectum; hoc vero manducandum est, non edendum; sed quod ex manso reliquum est aridum, expuendum. Collige frusta et reliquias in canistris: adfer aquas odoriferas, rosaceam, floris mali medici, moscatam. *Pol.* Agamus Christo gratias.

Puer. Agimus tibi gratias Pater, qui tam multa ad hominum usus condidisti: annue ut tuo favore ad cœnam illam veniamus tuæ beatitudinis.

Pol. Agamus nunc domino gratias. *Crit.* Age tu.

Pol. Immo agat Democritus qui in hisce rebus multum valet.

Dem. Gratias tibi agere non possem pro merito hoc statu Reipublicæ: vides enim omnia a Baccho perturbata; sed recitabo quas Dionysio egit Diogenes, nam mandavi memoriæ: tu labenti memoriæ, et linguæ titubanti, in tanta eluvione habebis veniam.

Scop. Dic quicquid libuerit scribetur in vino.

Dem. Defatigasti te ipsum Scopa, uxorem, famulos, famulas, vicinos, coquos, pistores, ut nos magis comedendo et bibendo delassares. Socrates sapienter qui in mercatum celeberrimum ingressus exclamarit: ¡O dii immortales, quàm multis ego non indigeo! tu contra posses dicere: ¿Hæc omnia quotula portio sunt eorum quibus ego indigeo? Naturæ placent modica, et illis ea sustentatur ac fulcitur; hæc tam multa, tam varia obruunt naturam: merito Plinius: Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum: referimus hinc domum gravata corpora, referimus animos obrutos ac demersos cibis et potionibus, ut nullo hominis officio rite possimus fungi. Tu ipse judicato ecquam tibi gratiam debemus.

Scop.

Scop. ¿Hæccine est gratia quam habetis? ¿Sic rependitis prandium tam opiparum?

Pol. Ita plane: ¿quod enim majus beneficium quàm ut fias sapientior? Tu nos domum remittis plane bruta; nos te domi tuæ volumus hominem relinquere, ut scias consulere tuæ ac alienæ valetudini, et secundum naturæ desideria vivere, non juxta corruptas ab stultitia opiniones. Vale, et sape.

EBRIETAS.

Asotus (1), *Tricongius*, *Abstemius*, *Glaucia*.

Asot. ¿Quid tu dicis Tricongi? ¡Quàm laute nos heri accepit Brabantus ille!

Tric. Male sit illi, non potui tota nocte quiescere. Vomui (sit habitus honos vestris auribus) convolvi me subinde toto lecto, modo ad spondam interiorem, modo ad exteriorem; fauces et stomachum videbar mihi rejecturus: nunc præ dolore capitis nec oculorum officio possum fungi nec aurium: lamina ponderosa plumbi videtur mihi in frontem et oculos incumbere.

Asot. Frontem et tempora fortiter astringe fascia, et Rex videberis.

Tric. Seu ipse potius Bacchus, a quo institutum manavit diadematum in Reges.

Asot. Recipe te domum et edormi crapulam.

Tric. ¿Domum vero? nihil æque fugio et aversor, ut domum et uxorem clamosissimam; ea si me nunc aspiceret, longiores haberet homilias quàm Chrysostomus.

Abst. ¿Hoccine appellas tu laute tractari?

Glauc. Plane ita est, nam laverunt probe guttur et fauces.

Abst. ¿Manus vero? *Glauc.* Ne semel quidem.

Asot. Immo sæpe vino et lacte, dum alii in aliorum pateras immittebamus manus.

Glauc.

(1) *Asotus*, penult. longa, significat hominem gulæ luxuque deditum, decoctorem, nepotem a populo Asotorum, qui erant luxu, deliciisque perditi, et qui in mensam vomebant, ut ait Cicero.

Glauc. ¿Quid potest dici lautius? Et quidem digitos pingui carnium et embammatis inviscatos.

Abst. Tace per Divos: ¿quis posset absque nausea rem adeo audire obscœnam? ¿quanto minus videre, aut de ejusmodi vino aut lacte gustare?

Asot. ¡Divi vestram fidem! ¿adeone es Abstemi delicatus ut hæc ne auribus quidem possis devorare? ¿quid faceres palato, ut nos? Sed heus tu Tricongi compotator suavissime, ¿mittamus puerum aliquem qui nobis in illa phiala fictili adferat ex eodem vino? nulla est certior huic veneno theriaca. *Tric.* ¿Estne hoc exploratum?

Asot. ¿Quid ni esset? Memineris (*k*) versus quos cantat Colax: *Ad sanandum morsum canis nocturni, sume ex pilis ejusdem canis.* *Glauc.* Narra quæso de convivio.

(k) *Allusio ad locum Plautinum.*

Abst. Ne narres, nisi velis me revomere quicquid habeo in ventriculo, cum ipsis vitalibus.

Glauc. Facesse igitur paulisper.

Asot. Ego narrabo quàm commodissime, ut nusquam sit honos præfandus.

Glauc. Incipe obsecro, adverte animum Abstemi.

Asot. O Glaucia mi, ante omnia istud ex me habe, nullum esse hominum genus quod comparari possit cum festivo et largo convivatore. Quidam ostentant eruditionem rerum variarum, id est mera nugamenta, alii jactant experientiam, et usu collectam prudentiam; ¿quorsum id? Sunt qui habent quidem opes, sed non audent expendere; ¡miseri! ¿quid eos juvat asservare? Benignus convivator ubique prodest, ubique est gratus, vel solus illius aspectus exhilarat tristitiam animi, et discutit, si qua est in eo miseria, sive recordatione convivii, sive spe atque expectatione. Alia omnia quæ dicuntur bona animi, nec ego video, et sunt jejuna atque infrugifera.

Abst. Rogo te Asote, ¿quis est auctor tam bonæ sententiæ?

Asot. Ego, et omnes mei similes, id est, plerique ex Gallia Belgica a Sequana ad Rhenum flumen. Tantum dissentiunt inter nos homuli quidam, vel miseri et præparci, qui Abstemio suum invident cognomen, frugi volunt appellari, vel qui-

quidam magna sapientiæ opinione suffarcinati, id est inani nomine, quos etiam nos (id est maxima pars hominum et præcipua) ridemus. *Abst.* ¿Quid audio?

Glauc. In hoc iste non fallitur, etsi ebriosus: nam nusquam eruditio minus habet pretii, quàm in Belgica; non aliud esse rentur virum eruditione præstantem, quàm sutura vel textura.

Abst. Atqui student hic multi, et non infelici profectu.

Glauc. Deducuntur a parentibus parvi filii ad scholas tamquam ad opificium, quo parent sibi deinceps victum. Ipsi etiam scholastici, dictu incredibile, quàm parvi institutores suos faciant, quàm prosequantur honore exiguo, et præmiis adeo tenuibus, ut Doctores insignes ac primi nominis tolerare sese vix possint.

Abst. Ista sunt ab instituto sermone aliena; revertamur ad convivium.

Glauc. Hoc malim audire, et missos faciamus jam tandem sermones istos studiosos, qui sunt profecto infrugiferi. Nescio quemadmodum vos Itali de eruditione statuatis: mihi certe res videtur non solum inutilissima, sed etiam damnosa.

Abst. Idem videtur bovi et sui, quod tibi; et nobis quoque videretur, si non plus haberemus mentis quàm tu.

Asot. Non esset finis; itaque audi jam. Primum omnium accubuimus severi et tristes, sacrata est mensa, silentium ubique et quies, cœpimus expedire cultellum quisque suum, speciem præbebamus non invitatorum, sed invitorum: adeo id diceres facere nos coactos, et faciebamus revera admodum segniter; nondum enim incaluerat animus ardore illo libero: aptat quisque mantile suum humeris, nonnulli etiam pectori, alii de mappa extendunt super gremium: sumit panem, aspicit, volvit, purgat, si quid esset carbonis aut cinerum, decorticat, et hæc omnia lente et cunctabunde. Quidam auspicati sunt cœnam a potione; alii priusquam biberent, paululum sumserunt acetarii, et bubulæ salitæ ad excitandum dormiens palatum, et stimulandum languidulum: primus scyphus fuit cervisiæ, ut frigidum cæmentum

tum substerneretur ardori vini. Allatus est sacer ille liquor, primum poculis angustis et exiguis, quæ magis sitim irritarent quàm restinguerent. Dominus homo festivissimus qui potiorem in hac tota regione nullum habet, ac ne parem quidem, mea utique sententia (quod sit dictum sine cujusdam injuria) jubet adferri pocula capacissima, et cœptum est largiter potari more Græco, ut dicebat illic Philogræcus (*l*) quidam, qui Lovanii olim studuerat. Ibi cepimus loqui, tum incalescere, hilaritas ubique et risus diffusissimus. ¡O cœnæ noctesque deorum! Alii aliis præbibimus, et magna æquitate faciebamus paria; nefas erat sodalem fraudare tali præsertim tempore.

(l) Philogræcus, *Varronis vocabulum.*

Abst. Merito, quum agitur non de calice vini, sed de sensu et mente, rebus in homine præcipuis. Sed ut hac de re tam læta, tam festiva, tu et ego colloquamur, primum rogandus es, an sis ebrius.

Asot. Non revera, et facile est cognoscere ex ordine orationis meæ; nam si essem, ¿putas me hæc referre potuisse adeo composite?

Abst. Recte est, alioqui juxta Mimi versiculum cum absente litigarem. Principio ¿cur non extruitis templum aliquod in hac regione Baccho, cœlestis hujus liquoris repertori?

Asot. Hoc vestrum est, qui ædem habetis Romæ Sergii et Bacchi; nobis satis est quotidie illi passim sacra facere. Et fortasse erigeremus templum, si constaret fuisse illum inventorem; nam ea de re audivi disputari inter studiosos quosdam. Sunt qui putent primum fuisse Noam qui vinum biberit, quique sit inebriatus.

Abst. Dimittamus ista. Cedo, ¿quod vinum bibebatis?

Asot. ¿Quid nostra refert, quod sit vinum, aut cujas? Habeat modo nomen et colorem vini, id satis est nobis; delicias illas quærat Gallus aut Italus.

Abst. ¿Quæ ergo potest esse delectatio, quum id non gustas, quod in corpus ingeris?

Tric. Fortasse nonnulli initio aliquid gustant, integro palato: mox vero depravato ex tanta humoris redundantia, gustum omnem amittunt.

Abst. Siti jam extincta, nulla superest voluptas, quæ tota sita est in satisfaciendo desideriis naturalibus: ita ut tormenti sit genus sine siti bibere, aut sine fame edere.

Tric. ¿Putas nos Abstemi, ad voluptatem potare, aut quod sit jucundum?

Abst. Tanto ergo estis pejores bestiis, quæ aviditatibus naturalibus aguntur: vos neque illuc ducit ratio, et retrahit natura.

Tric. Ducit nos eo sodalitas, et paulatim inebriamur imprudentes.

Abst. ¿Quoties estis inebriati? ¿quoties alios ebrios vidistis?

Tric. Quotidie plurimos.

Abst. ¿Non sufficiunt ergo tam multa experimenta ad devitandum rem tam fœdam? atqui bellua vel uno experimento fieret cautior.

Glauc. ¿At sodales istos, in quorum gratiam transeunt ex hominibus in bestias, scis quàm habent caros? dum potant, darent illis præcordia: digressi illinc, vix agnoscunt; vitam et animam cujusvis illorum nollent redemptam sibi nummo sestertio.

Abst. ¿Quibus ex poculis hauriebatis vinum, et quomodo?

Asot. Primum allata sunt vitrea, paulo post ob periculum, sublatis illis, exhibita argentea. In vinum injiciebamus a primo herbulas, quòd id suaderet anni tempus: paulo post jus carnium, lac, butyrum, cremorem.

Abst. ¡O spurciciem, ne belluis quidem tolerabilem!

Tric. ¿Quanto tu tragicoteron exclames, si scias alios in aliorum pocula manus sordentes immittere? ¿Conjicere ovorum et pomorum et nucum putamina et olivarum, ac prunorum ossa?

Abst. Abstine ab hisce narrandis, si vis ne me hinc in silvas aliquas fuga abripiam.

Tric. Audi tu in aurem Glaucia. Quidam horum gestant in faciendo itinere cornu venatorium plenum, ut necesse est, pulvere, et stipulis, et floccis, et sordibus aliis; ex hoc bibimus. *Glauc.* ¿Quid? *Tric.* ¿Quid vero? vinum.

Glauc.

Glauc. Immo vero mentem.

Tric. Plane ita est, et post epotam mentem, matulis non admodum mundis sumtis de scanno lecticari, usi sumus pro calicibus. *Abst.* ¿Quis fuit convivii exitus tamquam fabulæ?

Asot. Natant vino pavimenta, inebriati sumus omnes: hospes in primis homo strenuus, dejectis sub mensam magna victoria duobus aut tribus.

Abst. ¡O præclaram victoriam, et de re pulcherrima ac prædicanda! ¿Sed omnes tamen vinum vicit? *Asot.* Etiam.

Abst. Miserum te, ¿quid putas esse ebrium?

Asot. Probe et ex animi sententia indulsisse genio.

Abst. ¿Cui genio? ¿bono an malo?

Glauc. Si recte omnia scruteris, nusquam invenies cui indulgeant, neque enim animo, nec voluptati, nec ulli rei alteri cui alii indulgent, qui vitiis obtemperant, et pravis animi cupiditatibus. Sed inebriari est sensuum facultates amittere, exire de potestate rationis, judicii, mentis: plane ex homine fieri vel pecus, vel saxum. Quæ deinceps sequantur (etsi nunquam ebrios vidi) tamen facillimum est conjectare, loqui, et nescire quid loquaris: si quid commissum est tibi arcanum maxime celandum, effutire, atque ea dicere, propter quæ te, et tuos et sæpe Patriam, ac Provinciam universam in grave discrimen adducas; nulla distinctio amici et inimici, uxoris et matris: rixæ, jurgia, inimicitiæ, plagæ, vulnera, mutilatio, occisio.

Tric. Etiam sine ferro et sanguine; nam non pauci continuant ebrietatem cum morte.

Glauc. ¿Quis non malit domi se cum cane aliquo aut fele includere, quàm cum ebrio? Plus enim mentis est in illis animantibus.

Abst. Post ebrietatem vero cruditas, debilitatio nervorum, paralyses, arthretici cruciatus, gravedo capitis et corporis totius, hebetatio sensuum omnium; memoria extinguitur, ingenii acies retunditur: unde stupor in tota mente, et ad intelligendum sapiendumque, et ad eloquendum.

Asot. Jam incipio intelligere, magnum esse malum ebrietatem:

tem: posthac dabo sedulam operam ut bibam ad hilaritatem, non ad ebrietatem.

Glauc. Hilaritas est janua ebrietatis, nemo venit ad bibendum eo animo ut inebrietur, sed bibendo exhilaretur; continuo post sequitur ebrietas: difficile est enim signare hilaritatis metam, atque in ea sistere. Lubricus est gradus ab hilaritate ad ebrietatem.

Abst. Dum vinum habes in scypho, illud est in tua potestate, dum in corpore, tu es in illius: haberis, jam non habes; quum bibis, tu tractas vinum pro tuo libito: postquam biberis, illud te tractabit pro suo.

Asot. ¿Quid ergo? ¿nunquamne est bibendum?

Abst. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Bibendum quidem, non potandum: natura sola in hoc docet bruta, ¿hominem non docebit eadem natura ratione adjuta? Edes quum esuries, bibes quum sities: fames et sitis admonebunt quantum, quando, quatenus edendum et bibendum.

Asot. ¿Quid si semper sitiam, nec sitim possim mitigare, quin fiam ebrius? *Abst.* Bibe quod inebriare non possit.

Asot. Non fert constitutio mei corporis.

Abst. ¿Quid si tantum esurires, ut exatiari nullo cibo posses, nisi disrumpereris?

Asot. Ea vero non esset fames, sed morbus.

Abst. Nimirum opus esset medicina ad eam famem tollendam, non dapibus: ¿nonne? *Asot.* ¿Quidni?

Abst. Eodem prorsum modo, Medico tibi esset opus ad eam sitim, non caupone; et potione de pharmacopolio petita, non de œnopolio: non est ea sitis, sed morbus, et quidem perniciosus.

REGIA.

Agrius, Sophronius, Holocolax. (1)

Agr. ¿Quid est quòd tam multi Regem comitantur, tam vario cultu? *Sophr.*

(1) *Agrius*, *Sophronius*, *Holocolax*, nomina item personis satis scite accommodata. *Agrius*, agrestis, ferox. *Sophronius*, prudens, modestus, frugi. *Holocolax*, penitus adulator, et qui imperavit sibi omnia assentari, ut ait Terentius.

Sophr. ¿Quin tu potius vultus contemplaris, quàm cultus? Magis sunt enim vùltus varii ac diversi, quàm cultus et vestitus.

Agr. ¿Istud quoque de vultibus quamnam habet causam?

Sophr. Vestiuntur quidem alias pro facultatibus, alias pro ratione dignitatis aut generis, sæpe etiam ut cujusque est vel ambitio, vel vanitas: multi quoque vestimentorum elegantia utuntur pro hamo et reti ad favorem captandum, vel Regis, vel Procerum, animos puellarum non raro. Vultus autem affectus animi sequitur: talis est fere, qualis interior animi habitus. *Agr.* ¿Sed cur tam multi huc conveniunt?

Hol. ¿An non decet ut plurimi sint, ubi est caput et regimen Provinciæ totius?

Sophr. Optime, sed plerique non adeo rem publicam spectant, ut privatam: et sequuntur eum in cujus manu est regimen non tam patriæ, quàm fortunarum.

Hol. ¿Quid ni? quandoquidem omnia sunt pecuniæ venalia.

Sophr. Sic judicant illi, quibus animus et mens nihil omnino est: valetudo autem, et dotes corporis viles.

Agr. ¿Quid opus est in hoc tumultu aulico tanta philosophiæ speculatione? Ego vero malim de vobis intelligere, ¿quinam sint isti tanto numero, tam varia specie ac forma?

Hol. Ego tibi omnes percensebo ordine: nam Sophronius hic, quantum intelligo, non est admodum in regiis versatus: ego vero comitatus omnes regios adii, penetravi, perscrutatus sum, perspexi, gratus semper omnibus et jucundus.

Sophr. Inde credo parasti tibi cognomen illud Holocolacis.

Hol. Rem tenes, sed tu Agri ausculta. Ille, in quem aures, oculi, mens omnium intenta est ac defixa, est Rex, caput Reipublicæ.

Sophr. Vere caput, et ideo salus, quum est sapiens ac probus: pernicies autem quum malus aut demens.

Hol. Ille qui pone sequitur puellus, est filius ejus heres, quem in aula Græca vocabant δέσποταν, hoc est dominum: in Hispania vocant Principem, in Gallia Delphinum. Torquati illi in vestibus holosericis et holobryzis, Proceres sunt Regni, in-

insignes dignitatum militarium nominibus, Principes, Duces, Præsides Limitanei, quos Marchiones nominant, Comites, Viri qui Barones voce barbara nominantur, Equites. Ille est magister equitum, quem vulgo Comitem stabilem appellant, nomine ex aula Græca sumto, ubi magnus Connestabulus (1) cognominabatur, sicut Præfectus maris Admiralus. Est et Prætorio Præfectus, qui non solum palatio præerat, sed etiam satellitio, quem Romuli tempore Præfectum Celerum nominabant, et satellites ipsos Celeres.

Agr. ¿Quinam sunt illi in vestibus talaribus magna severitate vultus? *Hol.* Sunt Regii Consultores.

Sophr. Istos quos in consilium adhibet Princeps, prudentissimos esse oportet, magni rerum usus, et in decernendo gravitatis ac moderationis summæ. *Agr.* ¿Quî isthuc?

Sophr. Quia sunt oculi et aures Principis, atque adeo Regni universi, et eo magis si cæcus aut surdus sit Rex, captus suis sensibus, vel ab ignorantia, vel a deliciis.

Agr. ¿Etiamne luscus ille, et ille alter surdaster oculi atque aures sunt Regis?

Sophr. Pejor est cordis cæcitas et surditas.

Hol. Eos qui sunt a consiliis sequuntur Scribæ, nec ii pauci vel unius ordinis: tum qui pecuniam principalem tractant vel procurant, Coactores, Tribuni ærarii, Præfectus fisci, Procurator fisci, et fisci Advocatus.

Agr. ¿Qui sunt juvenes illi comptuli et festivi, qui semper Regem sectantur, et astant illi, alii arridentes, alii ore aperto velut admirabundi?

Hol. Hæc est cohors intimorum amicorum, deliciæ atque oblectamenta Regis.

Agr. ¿Duos illos ingredientes cur assectantur tam multi vultuosi?

Hol. Quia iis est apud Regem fides præcipua: alter est Præfectus sacris scriniis (2), sive Princeps scribarum, alter a se-

(1) *Magnus connestabulus*, sicut a Romanis Magister equitum creabatur, qui comes esset Dictatori: ita apud Hispanos, qui secundus a Rege est, cui vexillum Regni maximum committitur Comes stabilis appellatur: cujus veluti cum Rege societas in edictis publicis atque solemnibus declaratur his verbis: Jubet Rex, atque ejus Connestabulus: elegantiori nomine quem apud Græcos, Comes stabilis, quem Raph. Volat. ait caput esse Togatorum Francorum.

(2) *Præfectus sacris scriniis*, vulgo Magnus Cancellarius.

secretis arcanis, apud quem est Regni breviarium. Idem est Principi a memoria; eaque de causa offerunt se illi quotidie tam multi, ut memoriam illius de se refricent ac renovent, quandoquidem is est Principis memoria. Illi autem qui ducunt vultus, (1) sunt litigatores, quique res suas persequuntur: nec eorum unquam negotia finem inveniunt, longa contexta serie procrastinationum. Duo illi qui deambulant in porticu Præfecti sunt, alter Cubiculo, alter Regio Equili; habent hi sub se alios permultos Cubicularios et Equisones: sed ingrediamur regiam cœnationem.

Agr. ¡Ah quanta turba, qui apparatus tam anxius et morosus!

Sophr. Id vero majore cum admiratione fueris intuitus, si scias quàm levem ad rem pertinet; nempe ut sorbeat ovum unum, et pauxillum vini bibat nauseabundus.

Hol. Ille est hebdomadæ hujus Architriclinus cum scirpo Indico: Pocillator est adolescens ille: Structor nondum est ingressus.

Agr. ¿Qui sunt cum Rege pransuri?

Hol. ¿Quisnam esset tam beatus qui posset epulis accumbere divum?

Sophr. Atqui olim Regiæ mensæ adhibebantur convivæ, modo duces exercitati, modo viri claro genere, alias insignes vel usu rerum, vel eruditione, quorum sermone Rex fieret melior ac sapientior: sed Gotthica et aliorum Barbarorum superbia morem hunc nostrum invexit.

Hol. Habent Proceres asseclas suos armigeros, exoletos, pueros pedissequos, pueros a pedibus, sive a calcari. Sunt inter eos divites magnificentissimi, qui plerosque excipiunt cœna recta (2): alii, quibus hoc molestum videtur, mittunt amicis sportulas; idque est amicis tenuioribus utilius: sed recta convivari plus habet splendoris.

(1) *Qui ducunt vultus.* Qui contrahunt frontem, qui obducunt supercilia. Sic Mart. Qui ducis vultus, et non legis ista libenter.

(2) *Exipiunt cœna recta*, cœna recta excipere, aut convivari quis dicitur, cum ad eandem mensam omnes invitati discumbunt, eisdemque epulis cum Rege utuntur, ut omnia omnibus sint communia, quod in August. et Vespas. laudat Sueton. cui objicitur sportularum missio, quod Hispane dicitur, *dar*, o *embiar racion.* Utrunque hoc uno et eodem versu conclusit Martial. Promissa est nobis sportula, recta data est.

Agr. Aliud hominum genus videre mihi videor in illo cœnaculo.

Hol. Illud est gynæcium, ibi Regina habitat cum matronis suis et puellis; aspice ut ingrediuntur et egrediuntur ex Parthenone (1), tamquam apes ex alveario, juvenes amatores, mancipia Cupidinis.

Sophr. Sæpe et senes, bis pueri.

Hol. Nihil est majoris voluptatis, quàm audire illorum acute excogitata dicta vel poemata, cantiunculas, melodias antelucanas, confabulationes cum puellis: videre saltationes, obambulationes, varietates colorum in cultu, habitus et formas vestimentorum; habent pueros amanuenses, per quos mittuntur et remittuntur mandata: hi vero nuntiant et renuntiant ultro et citro mandata, qua solertia, diligentia, educatione, ¡Divi vestram fidem! nudis capitibus, flexo poplite, atque etiam positis genibus. Audire est quotidie et videre aliquid novi, inopinati, acute et subtiliter excogitati vel dicti, animose aut dextere aut solute facti.

Sophr. Immo dissolute.

Hol. ¿Quæ felicitas major? ¿Quis possit ab hujusmodi suavitate divelli?

Sophr. ¿Colax Colax, et tu sine amore insanis, et sine vino ebrius es; quæ ineptia potest esse major, quàm ista abs te descripta?

Hol. Nescio quî fiat, ut ex scholis videas plerosque discedere, qui ingressi semel aulam in ea consenescant.

Sophr. Tamquam qui de Circes poculo biberant amissa mente, et in belluarum ingenium degenerantes, nolebant inde egredi, et ad hominum naturam ac conditionem redire.

Agr. ¿At hi omnes, quum se ad suam quisque domum receperunt, quid agunt? ¿quibus se actionibus occupant, ut saltem fallant tempus?

Sophr. Plerique omnes nihil magis addunt serium, quàm quod cernis; atque adeo otium illis multorum vitiorum parens est ac nutricula. Ludunt quidam taxillis, chartis, alveolo, aciebus: alii per occultam detractionem, et artificiosam male-

di-

(1) *Ex parthenone*, locus est ubi habitant virgines.

dicentiam horas pomeridianas transmittunt, hoc est quibus domi desident; aliqui mirifice capiuntur scurris et planis, in quos sunt profusissimi, in cætera præparci et sordidi. Sed præcipua aulæ corruptela est assentatio uniuscujusque erga alios omnes, quodque pejus est, erga semetipsum; ea efficit, ut nullus unquam nec a se, nec a socio veritatem conducibilem audiat, nisi forte in jurgio: quam is tum parum pro veritate accipit, sed pro contumelia.

Hol. Hic quæstus est nunc multo uberrimus, tu cum tua veriloquentia esuries strenue: ego arridendo, ac blandiendo, omnia approbando, et laudando, evasi locuples.

Agr. ¿Non possent hæc incommoda Reges corrigerte?

Sophr. Perfacile, vellent modo. Sed aliis hi mores placent, quia suorum similes: alii ipsi sibi eas occupationes accersunt, per quas nunquam vacet recti aliquid aut sani cogitare, non desunt qui remissis animis, et dissoluti, non arbitrantur illius domus ac familiæ mores ad curam suam pertinere: quæ non pertinent profecto minus, quàm ad unumquenque nostrum sua domus privata.

PRINCEPS PUER.

Morobulus, Philippus, (1) *Sophobulus.*

Mor. ¿Quid agit tua celsitudo, Philippe?

Phil. Lego, et edisco, ut ipse intueris.

Mor. Intueor sane et cum dolore, defatigas te, et maceras generosissimum istud corpusculum.

Phil. ¿Quid ergo agerem?

Mor. Quod alii Proceres, Principes, viri nobiles, et opulenti, equitare, confabulari cum puellis Augustæ matris tuæ, saltare, discere artem tractandi arma, lusitare foliis aut pila, salire, currere: hæc vides esse studia nobilitatis jucundissima. Quòd si tantis oblectationibus fruuntur, qui vix digni sunt, ut

(1) *Morobulus, Sophobulus*, penult. producta alter stultus, et fatuus; alter sapiens consiliarius.

ut in familiam tuam admittantur: ¿quid te facere convenit tanti Principis filium, et heredem?

Phil. ¿Quid? ¿studium litterarum nihilne prodest?

Mor. Prodest quidem, sed iis qui sunt initiandi sacris, aut qui ea arte victum sunt sibi comparaturi, quemadmodum aliis sutoria, aliis textoria, et artes ceteræ quæstuariæ. Surge quæso te, pone libros de manibus, eamus deambulatum, certe ut respires aliquantisper.

Phil. Non licet mihi nunc per Stunicam, et Siliceum.

Mor. ¿Qui sunt hi Stunica et Siliceus? ¿An non subditi tui, in quos tu habes imperium, non illi in te?

Phil. Stunica est Educator meus, Siliceus autem Institutor litterarius: subditi sunt illi quidem mei, seu verius patris, sed pater, cui ego sum subditus, præfecit illos mihi, et me illis subjecit.

Mor. ¿Quid ergo? ¿Dedit Pater celsitudinem tuam in servitutem illis hominibus?

Phil. Nescio. *Mor.* Ah facinus indignissimum.

Soph. Minime vero, o fili, immo illos fecit servos tuos, quos voluit tibi semper adhærere, oculos, aures, animum, mentem in te unum defixa gerere semper, et relictis suis quenque negotiis, tuum unius negotium agere; non ut te imperiose vexent, sed ut rudes tuos mores boni illi et sapientes viri ad virtutem, decus, atque excellentiam forment: non quo te reddant mancipium, sed ut vere liberum, et vere Principem, quibus si non obtemperaveris, tum demum servus eris extremæ conditionis, pejor iis qui hic inter nos versantur, empti, et venditi ex Ætiopia vel Africa.

Mor. ¿Cujus tandem esset mancipium, si illis educatoribus morem non gereret?

Soph. Non certe hominum, sed vitiorum, qui domini sunt importuniores, atque intolerabiliores quovis homine improbo et sceleroso. *Phil.* Non satis ista intelligo quæ dicis.

Soph. ¿At intellexisti, quæ Morobulus?

Phil. Planissime omnia.

Soph. ¡O quàm essent homines felices, si quàm cito habent sen-

sensum atque intelligentiam rerum levium et malarum, haberent etiam bonarum et conducibilium! Nunc vero contra evenit, ætate ista nugas, ineptias, immo insanias, ad quas te Morobulus est adhortatus, facile intelligis: quæ ego de virtute, de dignitate, de omni laudis genere dicerem, tam caperes, quàm si Arabice loquerer, aut Getice.

Phil. ¿Quid ergo faciendum consuleres?

Soph. Ut saltem sustineres assensionem, nec hujus suasibus nec meis acquiesceres, quoad de utrisque posses judicare.

Phil. ¿Quis dabit hoc judicium?

Soph. Ætas, institutio, experimenta.

Mor. ¡Hui quàm esset longum ista expectare!

Soph. Bene monet Morobulus, abjice libros, eamus lusitatum, et ludemus ludum, in quo unus eligitur Rex; is præscribit aliis quæ sint agenda, parent ceteri juxta leges lusionis: tu eris Rex.

Phil. ¿Ut erit ludus? ¿nam si eum ignorem, quomodo potero Regem in illo agere?

Soph. ¿Quid dicis Philippule dulcissime, deliciæ Hispaniarum? ¿In ludo et rebus levissimis, in quibus error nihil adfert periculi, non auderes regnum suscipere, ludi nescius, et vis tot et tanta regna serio capessere ac regere, ignarus conditionum populorum, legum, administrationis? ¿Denique rudis totius prudentiæ, instructus solum ridiculis ineptiis, quas tibi Morobulus hic in animum instillat? Heus puer, dic Præfecto equili, ut proferat huc equum illum Neapolitanum, ferocissimum, calcitronem et sternacem, in quo Philippus sedeat.

Phil. Minime illum vero, sed alium cicuratiorem: nam regendi equi tam refractarii nondum artem habeo, nec vires.

Soph. Quæso Philippe, ¿et putas tu leonem ullum esse æque ferocem, aut equum adeo calcitronem, et refractarium, (1) et minus parentem frenis, quàm gentes, ac cœtus hominum? ¿qui conveniunt, et congregantur ex omni vitiorum, flagitiorum, scelerum et facinorum genere, ex animi perturba-

(1) *Refractarium*, qui sessori refragatur.

bationibus concitatis, incensis, inflammatis, ardentibus? ¿Equum non audes attingere, populum poscis quovis equo ad regendum tractandumque difficiliorem? Sed missa isthæc faciamus. ¿Vides in hoc flumine illam cymbulam? navigatio est jucundissima atque amœnissima inter prata et salicta, quæso descendamus in eam: tu sedebis ad clavum, et ages cymbam.

Phil. Ita plane, ut vos subvertam, et demergam; quemadmodum nuper fecit Pimentellulus.

Soph. ¿Ne cymbam quidem gubernare vis, in amne tam modico et tam placido, quia rudis; et committis te mari illi, undis, fluctibus, tempestati populorum inscius et inexpertus? Plane usu tibi venit, quod Phaethonti, qui aurigandi nescius, ardore juvenili currum patris gubernandum sibi depoposcit: notam esse tibi fabulam reor. Præclare Isocrates, duas res maximas in hominum vita dicebat esse, Principatum et Sacerdotium; quas tamen nemo non expeteret tamquam dignus, nemo non crederet se recte posse gubernare tamquam prudentissimus.

Phil. Intelligo nihil esse conditioni ac personæ meæ perinde necessarium, ut artem ac peritiam regendi Regni.

Soph. Probe rem tenes.

Phil. ¿Quomodo eam assequar?

Soph. ¿Eduxisti tu illam tecum ex matris utero?

Phil. Nihil minus.

Soph. ¿Quomodo igitur scies, nisi discas?

Phil. Nullo modo.

Soph. ¿Qua igitur fronte audet Morobulus hic esse tibi auctor, ut ea studia rejicias, quibus et artis hujus peritia, et aliarum rerum maximarum ac pulcherrimarum cognitio paratur? *Phil.* ¿A quibus ergo sunt hæc haurienda?

Soph. Ab iis, qui ea maximis ingeniis animadverterunt atque observarunt, quorum alii sunt mortui, alii vivi.

Phil. ¿E mortuis quomodo discendum? ¿possunt ne mortui loqui?

Soph. ¿Nunquamne fando audivisti nominari Platonem, Aristo-

to-

totelem, Ciceronem, Senecam, Livium, Plutarchum?

Phil. Magna nomina, sæpe, et cum ingenti admiratione ac laude.

Soph. Illi ipsi, et alii permulti eorum similes, jam olim vita functi, confabulabuntur tecum, quoties et quamdiu libuerit. *Phil.* ¿Quomodo?

Soph. Libris, quos ad docendam posteritatem reliquerunt.

Phil. ¿Quin dantur mihi illi jam in manus?

Soph. Dabuntur brevi, posteaquam didiceris eum sermonem, quo possis loquentes illos intelligere. Sustine paulisper, atque hanc brevem molestiam perfer, quæ devoranda est in accipiendis principiis; illico post incredibiles sequentur delectationes, quas qui nondum degustarunt, mirandum non est a litterato studio abhorrere: nam qui sunt experti, eos citius a vita quàm a libris et rebus cognoscendis avelleris.

Phil. Cedo vero, ¿qui sunt vivi, a quibus sapientia hæc discenda est, et mens bona?

Soph. ¿Si iter esses quodpiam initurus, a quibus tandem de itinere percontareris? ¿utrum ab iis qui iter illud nunquam vidissent, an qui aliquando confecissent?

Phil. Ab iis scilicet qui confecissent.

Soph. ¿Vita hæc nonne est velut iter quoddam, et profectio perpetua? *Phil.* Sic videtur.

Soph. ¿Qui ergo iter hoc perambularunt? ¿senes an juvenes?

Phil. Senes. *Soph.* Senes igitur auscultandi.

Phil. ¿Omnes indifferenter?

Soph. Acute rogas, non omnes promiscue; sed quemadmodum de via, sic de vita: utri norunt viam, qui eam peregerunt nihil anima dvertentes, aliud agentes, animo non minus peregrinante quàm corpore: ¿an qui annotarunt diligenter et attente singula, et memoriæ mandarunt?

Phil. Nimirum hi posteriores.

Soph. Ergo in consilio de vitæ ratione capiendo, non audiendi juvenes, qui iter hoc nunquam sunt ingressi, quanto minus adolescentes, ¿et quod stultissimum est atque indignissimum, pueri? Neque ad id admittendi senes imprudentes,

las-

lascivi, dementes, deteriores pueris, quos divina oracula execrantur, quòd sint pueri centum annorum: solis præbendæ aures senibus magni judicii, usus rerum et prudentiæ.

Phil. ¿Quo signo eos dignoscam?

Soph. Nimirum ætate ista, fili, nullo adhuc: sed ubi majus et firmius accesserit judicium, facile id cognosces ex verbis et factis, tamquam nota certissima. Interea vero, dum ea ingenii facultate non vales, crede te cunctum et comitte patri tuo, et iis quos tibi pater adjunxit Institutores ac Magistros, infirmæque istius ætatis gubernatores, et quasi manuductores per eam viam, quam tu nunquam iniisti. Nam patri, cui carior es, quàm ipsemet tibi, major est de te cura, quàm tibi ipsi: atque ad eam rem non solum suo usus est consilio, sed hominum sapientum.

Mor. Nimis diu tacui.

Soph. Ita plane, præter morem tuum: eamque rem ego jam dudum vehementer demirabar.

Mor. ¿An non pater tuus, Philippe, et Rex Galliæ, et alii magni Reges ac Principes, sine litteris et labore isto tam molesto, quem hic teneris tuis humeris inclementer imponit, Regna et Ditiones suas regunt, et in officio continent?

Soph. Nulla res tam facilis est, quæ non fiat difficilis, si invitus facias. Non est opera litteris impensa laboriosa ei qui libens eam subit; qui autem invitus, ei vero vel lusitare, et in locis deambulare amœnissimis grave, ac intollerandum est: tibi Morobule, nugandi avidissimo, et nugis semper assueto, serium aliquid vel agere, vel audire, instar est mortis; vicissim alii complures vitam sibi existimarent acerbam, si ad istum modum vitæ suæ rationes instituerent. ¿Quàm multi sunt in aulis præsertim, quibus nihil est dulcius, quàm otium torpens atque inertissimum? Admovere manum alicui operi, tormenti est loco: ¿quàm multi vicissim in populis, qui emoriantur citius, quàm sic dies omnes vacuos transigerent, et celerius delassentur nihil agendo, quàm ab intentione animi in negotium aliquod? Sed ut respondeam tibi de Cæsare et Rege Galliæ, audies a me in universum

de

de senibus, quos posui eos esse, qui spatium hoc vitæ decurrissent. Si omnes quotquot viam quampiam peregissent, concorditer narrarent se per viam in locum incidisse plenum difficultatis et periculi, ex quo saucii et pessime affecti discesserint; quòd si ejusmodi iter rursum essent ingressuri, nihil diligentius caverent, quàm illud discrimen: ¿quid tu censes? ¿an non hominis foret amentissimi, quum eadem ipse via insisteret, non recordari tanti periculi, non illud devitare? *Phil.* Nondum teneo quid velis.

Soph. Faciam igitur planius exemplo: finge esse supra flumen istud tabulam angustam pro ponticulo: referant tibi omnes, quotquot equo insidentes tentarint illam transire, decidisse in aquam, adjisse vitæ discrimen, ægre esse extractos semivivos: ¿intelligisne hoc? *Phil.* Bellissime.

Soph. ¿Quid tu jam? ¿an non tibi demens videre, si faciens illac iter, non ex equo descenderes, et effugeres id periculum, in quod alios venisse audis?

Phil. Nimirum ita agerem.

Soph. Et merito. Quære tu jam ex senibus, ¿quid maxime senserint incommodum in vita, quid eos prætermisisse doleat, et vehementer pœniteat? omnes tibi uno ore respondebunt, qui aliquid didicerunt, non plus didicisse; qui vero nihil, non adhibuisse operam ut aliquid scirent. In hanc querimoniam ingressi, non faciunt finem referendi, missos se fuisse a parentibus aut educatoribus ad scholas et Magistros litterarum: se tamen vanis delectatiunculis vel lusionum, vel venationum, vel amorum, aut ejusmodi nugarum illectos, amisisse pulcherrimas e manibus discendi occasiones: itaque conqueruntur de fato suo, et sortem suam deplorant, ac semetipsos accusant, damnant, interdum quoque execrantur. ¿Vides ergo locum hunc desidiæ atque ignorantiæ esse in via hac vitæ maxime infestum et periculosum, unumque omnium præcipue devitandum? quoniam quidem audis tam miserabiles eorum querelas, qui in illum sunt collapsi: is est igitur omni cura et diligentia cavendus, et segnitie, otio, deliciolis, nugis rejectis ac spretis, in studia litterarum cul-

tumque bonæ mentis tota animi intentione incumbendum. Tu hac de re patrem tuum roga, tametsi juvenem adhuc; et tu Morobule, tuum, jam senem, intelligetis ex eis, veram esse meam sententiam.

LUDUS CHARTARUM SEU FOLIORUM.

Valdaura, Tamajus, Lupianus, Castellus, Manricus.

Val. ¡Quàm asperum tempus! ¡quàm rigens et sævum cœlum! ¡quàm obscœnum solum!

Tam. ¿Quid nos monet hic cœli ac soli habitus?

Val. Non egredi domo. *Tam.* ¿Quid vero domi agere?

Val. Ad luculentum focum studere, meditari, cogitare de rebus, quæ aliquid emolumenti adferant menti et probis moribus.

Cast. Id quidem agendum præcipue, nec aliquid esse debet homini antiquius: ¿sed ubi ab intentione illa delassatus fuerit animus, quo divertet hoc dumtaxat tempore?

Val. Aliis quidem aliæ sunt animorum refectiones, ego vero lusu foliorum magnopere oblector ac recreor.

Tam. Et hæc temporis qualitas eo invitat ut abdamus nos in cubiculum bene clausum, et obseptum undique a vento et frigore, lucente camino, mensa posita cum chartis.

Val. Au, minime chartas.

Tam. Lusorias dico. *Val.* Istud placet.

Tam. Tum pecuniæ promatur nonnihil, et calculi ad computandum.

Val. Nihil opus erit calculis, si minutuli adsint numi.

Tam. Ego nullos habeo præterquam aureos et argenteos crassiores.

Val. Commuta aliquos ex argenteis minuta pecunia: heus puer, cape stuferos hos simplos, duplos, sesquiduplos, triplos, et a numulario cura nobis numos minutos, simplos, duplos, triplos, non majores.

Tam. ¿Quàm nitidi sunt hi numi?

VAL. Nimirum recentes adhuc, et asperi.

TAM. Concedamus in forum aleatorium, ubi omnia inveniemus parata.

CAST. Non expedit, nam haberemus arbitros plurimos: ¿quid refert ludas illic, an via publica? Consultius fuerit, ut recipiamus nos in cubiculum tuum, et arcessamus ex sodalibus aliquot maxime animo refocillando idoneos.

TAM. Tuum conclave est ad id commodius; nam in meo cubiculo subinde a pedissequis matris interpellaremur, aliquid semper quæritantibus in arcis mundi muliebris. (1)

VAL. In cœnatione igitur.

TAM. Esto ita, eamus. Puer siste hic nobis Franciscum Lupianum, et Rodericum Manricum, et Zoilastrum.

VAL. Mane; minime vero Zoilastrum, hominem iracundum, rixosum, clamosum, calumniatorem, et qui minimis de rebus excitat sæpe atroces tragœdias.

CAST. Optime profecto mones; nam si adolescens talis recreationi se nostræ admisceret, non esset id ludere, sed serio rixari: arcesse igitur pro illo Rimosulum.

VAL. Neque hunc; nisi velis, quæcunque hic fuerimus nugati, ante solis occasum notum esse toti civitati.

CAST. ¿Tam bonus est præco?

VAL. Etiam, rerum quas sciri nihil attinet; nam res bonas sacratius reticet quàm mysteria Eleusina. (2)

TAM. Veniant ergo Lupianus et Manricus soli.

CAST. Hi sunt belli sodales.

TAM. Et mone illos ut adferant secum numulos; quicquid est autem severitatis et serii, domi commendent Philopono tetrico: veniant facetiis, lepore, gratiis comitati.

LUP. Salvi sitis sodales festivissimi.

VAL. ¿Quid sibi vult contractio isthæc frontis? exporrigite istos vulticulos: ¿an non estis jussi cogitationes omnes litteratas apud Musæa deponere?

(1) *Arcis mundi muliebris.* Hispane *cofres*: ubi ea quæ pertinent ad ornatum muliebrem reponuntur: qui mundus muliebris, sive mundum in neutro, ut ait Gell. dicitur.

(2) *Mysteria Eleusina*, id est sacrificia Cereris, quæ ad Eleusin oppidum Atticæ celebrabantur, nullo magis (ut Justinus ait) quam silentio sacra: quæ quoniam evulgavit Alcibiades accusatus est.

Lup. Cogitationes nostræ litterariæ sunt adeo illitteratæ, ut eas Musæ quæ sunt in Musæo respuant. *Man.* Salvete.

Val. Salus est dubia, quando ad acies et pugnas vocamini, et quidem quibus Reges sint interfuturi.

Tam. Este bono animo: crumenæ impetuntur, non jugula.

Lup. Crumena plerisque est pro jugulo, et pecunia pro sanguine ac spiritu: velut istis Caribus (1), quorum vitæ contemptus instrumentum est Regibus ad exercendos suos furores.

Man. Nolo esse actor in hac fabula, sed spectator.

Tam. ¿Quî sic?

Man. Quia sum infortunatissimus; semper a ludo discedo victus et spoliatus.

Tam. ¿Scis quid dicunt proverbio aleatores? Ibi quærendam esse togam, ubi amiseris.

Man. Verum, sed periculum est, ne dum togam amissam quæro, perdam et tunicam et interulam.

Tam. Accidit quidem hoc non raro, sed qui non periclitatur, non ditescit. *Man.* Ea est metallicidarum sententia.

Tam. Immo etiam (*m*) Janimedii Antuerpiensis.

(m) Janimedii *locus est, ubi negotiatores congregantur.*

Val. Recte habet; non possumus nisi quatuor ludere, sumus quinque, sortiemur quis erit aliorum spectator.

Man. Ego ero sine sortitione.

Val. Nihil tale; nulli est facienda injuria, non cujusquam voluntas id decernet, sed sors: cui primus Rex obtigerit, sedebit otiosus spectator, et si quid inciderit controversiæ, judex.

Lup. Ecce vobis fasciculos duos foliorum integros, alter est Hispaniensis, alter Gallicus.

Val. Hispaniensis hic non videtur justus.

Lup. ¿Quid ita? *Val.* Quoniam desunt decades.

Lup. Non solent illi habere, ut Gallici; chartæ enim Hispanæ, quemadmodum et Gallicæ, in quatuor sunt genera seu familias divisæ. Hispanæ habent aureos numos, carchesia, baculos, enses: Gallicæ corda, rhombulos, trifolia, vomercu-

(1) *Velut istis Caribus.* Cares ex Caria regione, qui primi suam in bellis operam locarunt, unde Cares pro vilibus, avaris, sordidis, et contemptibilibus vulgo accipiuntur, de quibus multa extant proverbia.

culos, seu palas, seu spicula. Est in quaque familia Rex, Regina, eques, monas, dyas, trias, quaternio, pentas, senio, heptas, ogdoas, enneas. Gallicæ habent etiam decades: et Hispanis aurei, et carchesia potiora sunt pauciora, contra enses et baculi. Gallis autem plura sunt semper meliora.

CAST. ¿Quo lusu ludemus?

VAL. Triumpho Hispanico, et distributor retinebit sibi indicem chartam, si sit monas, aut imago humana.

MAN. Sciamus jam quis erit ludo exclusus.

TAM. Probe mones, cedo folia; hoc est tuum, hoc istius, hoc Lupiani, tu es judex.

VAL. Malim te mihi judicem, quàm collusorem.

LUP. Bona verba, ¿cur isthuc quæso?

VAL. Quia es in ludendo admodum vafer et cavillator: tum ajunt te artem tenere componendi folia (1) ut tibi expediat.

LUP. Non habet fraudem mea lusio, sed imperitiæ tuæ industria mea videtur impostura, quod fere ignaris contingit. Ceterum ¿quî tibi placet Castellus, qui simulac lucratus est pauxillum pecuniæ, deserit collusores?

TAM. Eludere est hoc quidem potius quàm ludere.

VAL. Levius hoc malum; nam si vincatur, affixus erit ludo, clavo plusquam trabali.

TAM. Sed lusuri sumus bini, duo contra duos: ¿quomodo erimus comparati?

VAL. Ego ludi hujus insciens, adhærebo tibi Castelle, quem audio esse callentissimum.

TAM. Adde etiam callidissimum.

CAST. Non est hic opus electionibus, sorti sunt committenda omnia: quibus obvenerint plura puncta, adversus eos pugnabunt, quibus pauciora.

VAL. Esto ita, assigna folia.

MAN. Ut optaveram, ego et Castellus ab eadem stamus parte; contrarias tuentur partes Valdaura et Tamajus.

A (*) B

X

B A

VAL. Sedeamus uti solemus (*) decussate: da mihi illam sellam reclinatoriam, ut quietius perdam.

TAM.

(1) *Componendi folia*, Hispane *armar*.

Tam. Appone scabella, assideamus jam, sortire cujus sint primæ partes. *Val*. Meæ sunt, distribue tu Castelle.

Cast. ¿Quomodo? ¿A sinistra in dextram more Belgico? ¿an contra Hispano more a dextra in sinistram?

Val. Hoc more, quoniam ludo Hispanorum utimur; ¿et rejecistin decades? *Cast*. Etiam; ¿quot folia dabo singulis?

Val. Novena. ¿Sed quænam erit sponsio?

Man. Terni in singulas manus denarii, cum geminatione sponsionis.

Cast. Sensim mi Manrice, nimium properas, non esset is lusus, sed furor, ubi tantum pecuniæ veniret in periculum: ¿quomodo posses tu oblectari in anxietate illa, ne tot numi tibi pereant? denarii singuli sufficient, et auctus sponsionis erit dimidii, nempe assium quinque.

Val. Recte consulis; ita nec nihil ludemus, quod est insipidum, neç quod doleat, quod est acerbum.

Cast. ¿Habetis singuli novena folia? cordium est familia dominatrix, et hæc Regina est mea.

Val. Nescio quàm felix est omen hoc: certe est verissimum dominari vulgo corda feminarum.

Cast. Desine speculationes, responde ad hoc, augeo sponsionem.

Val. Ludum habeo dissipatum, et male cohærentem: cedo tibi.

Tam. Et ego item: distribue tù Manrice.

Val. ¿Quid agis? ¿non vertis chartam indicem?

Man. Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim. *Val*. Unam habes plus justo. *Man*. Deponam.

Val. Non est ea lex lusus, sed ut vicem tuam amittas distribuendi, et transeat ad sequentem: cedo folia.

Man. Non faciam, quandoquidem nondum protuli indicem.

Val. Immo facies per Deum.

Cast. Apage, ¿quid tibi venit in mentem, mi Valdaura? Jusjurandum admisces rebus levissimis, quod vix gravissimis rebus adhiberi convenit? *Man*. ¿Quid tu dicis judex?

Lup. Profecto ignoro quid sit in eo facto statuendum.

Man. ¿Qualem judicem nobis præfecimus sine judicio? ¿ducem sine oculis? *Val*. ¿Quid ergo fiet?

Man.

Man. ¿Quid tandem? nisi ut mittamus Lutetiam, qui hac de re adferat nobis aliquod Senatusconsultum.

Cast. Misce omnia, et rursum impartire.

Tam. ¡O qualem ludum mitto de manibus! non obveniet mihi hodie similis.

Cast. Misce probe isthæc folia, et præbeto singulis attentius.

Val. Rursum augeo sponsionem.

Tam. ¿Num non prædixi non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? semper sum infortunatissimus: ¿cur ego ludum vel aspicio oculis?

Cast. Hoc vero non est ludere, sed se afflictare; ¿hoc est refici, et recreari animum, ita concitari? ludum oportet esse ludum, non molestiam.

Man. Sustine paulisper, ne abjicias folia, nam est panicum (*n*). (n) Panicum, *vanus terror.*

Val. Responde igitur an recipias.

Man. Recipio, et rursum augeo.

Val. ¡Quid! ¿tu speras me ferocibus tuis verbis protelare? non concedo.

Man. Effare tandem semel, et expedite: ¿admitisne?

Val. Etiam, et quidem libentissime, et animus instigat me tali ludo majore precio certare, sed istud inter amicos sufficit.

Tam. ¿Quid vero, me non computatis inter vivos? ¿adeo nulla est mei mentio?

Cast. ¿Quid igitur tu ad hæc, homo fenee?

Tam. Ego vero augeo mea ex parte depositum.

Man. ¿Quid tu dicis Castelle?

Cast. Nunc me consulis, posteaquam tua opera depositum crevit in immensum: ego incrementum hoc non auderem hoc meo ludo sustinere. *Val.* Responde affirmate.

Cast. Non habeo quod sic respondeam, sed valde ambigue, et dubitanter, et cunctabunde, et timide, et diffidenter: ¿estne sic satis expresse dictum?

Man. ¡Deum immortalem quanta copia! non tam densa nuper cadebat grando. Sed quæso te, periclitemur paulisper.

Cast. Experiamur quando tibi placet: a me vero ne speraris magnam opem. *Man.* Feres tamen quas poteris suppetias.

Cast.

Cast. Nihil necesse id habes admonere.

Man. Plane victi sumus.

Tam. Vicimus denarios quatuor: misce.

Val. Addo asses quinque.

Cast. Nescio an cedam, nam scio me certo victum iri.

Tam. Rursum alteros quinque.

Cast. ¿Quid tu ad hanc provocationem dicis?

Man. ¿Quid dicam? fugio.

Cast. Tu perdidisti proximum ludum; sine me hunc arbitratu meo perdere. Sentio me esse inferiorem, sed sustinendum est, quamdiu aliquid videro superesse virium.

Val. ¿Quid ergo dicis? ¿recusas? *Cast.* Non, immo addico.

Tam. ¿Tu Valdaura non nosti hunc Castellum? superiorem habet ludum tuo, sed ita solet calidos provocatores illectare in suum rete. Vide, ne quo progrediaris temere, ubi tenearis irretitus.

Val. ¡Divûm fidem! ¿quomodo potuisti divinare folium mihi postremum restare hujus nationis?

Cast. Novi omnia folia.

Val. Non omnino est istud incredibile.

Cast. Ita plane novi a facie. *Val.* Forsitan etiam a tergo.

Cast. Nimium suspiciosus es.

Val. Tu me facis: eat hoc cum tua bona venia.

Tam. Dispiciamus num quæ sint chartæ aversæ maculatæ, unde possint noscitari.

Val. Faciamus, quæso vos, ludendi finem: angit me hic ludus, tam infeliciter cedendo.

Cast. Ubi voles: sed fortasse non in ludo est vitium, sed in tua imperitia, qui nescis ludum scienter ad victoriam accommodare, sed jacias folia absque arte, ut sors tulerit, ratus nihil interesse, quid prius, quid posterius mittas, quis quo loco sit jacturus.

Tam. Omnium rerum est satietas, etiam voluptatum; et ego defessus sum jam sedendo; assurgamus aliquantisper.

Lup. Cape testudinem hanc, et aliquid nobis cantilla.

Tam. ¿Quid tandem? *Lup.* De ludo quippiam.

Tam. ¿Carmen Vergilii?

Lup.

Lup. Isthuc ipsum: aut si mavis Vivis nostri, quod ille nuper canebat deambulans in pomœrio Brugensi.

Val. ¿Anserina voce? *Lup.* Cane tu olorina.

Tam. ¡Deus meliora! nam olor non canit, nisi fato jam urgente.

Ludunt et pueri, ludunt juvenesque senesque.
Ingenium, gravitas, cani, prudentia, ludus.
Denique mortalis, sola virtute remota,
¿Quid nisi nugatrix, et vana est fabula, vita?

Val. Possum vobis confirmare esse carmen bene expressum, tamquam ex spongia arida.

Lup. ¿Tanta cum difficultate componit carmen?

Val. Magna, sive quod raro, sive quòd non libenter, sive quòd alio fert eum ingenii pronitas.

LEGES LUDI.

Varius Dialogus de Urbe Valentia.

Borgia, Scintilla, Cabanillius.

Bor. ¿Unde tu jam nobis Scintilla jucundissime?

Scin. Lutetia. *Bor.* ¿Qua tandem Lutetia?

Scin. ¿Qua tandem quæris? quasi sint multæ.

Bor. Etiamsi sit unica, ea quænam sit ignoro, aut ubi sita.

Scin. Lutetia Parisiorum.

Bor. Parisios nominari audieram, et quidem sæpe, Lutetiam nunquam: ¿est ergo Lutetia, quos nos Parisios dicimus? Ea igitur est causa cur tu tamdiu nullus es visus Valentiæ, et potissimum in sphæristerio nobilitatis.

Scin. Alia ego vidi sphæristeria Lutetiæ, alia gymnasia, alios ludos, longe istis vestris utiliores ac præstantiores.

Bor. ¿Ecquos quæso?

Scin. Triginta gymnasia plus minus in Academia illa, omni eruditionis scientiæ, et sapientiæ genere referta; doctos Præceptores, juventutem studiosissimam, et optime moratam.

Bor. Vulgus scilicet hominum.

Scin. ¿Quid tandem vocas vulgus?

Bor. Fæcem plebis, filios sutorum, textorum, tonsorum, fullonum, et ejusmodi artificum atque operariorum.

Scin. Vos hic, ut video, ex vestra hac Civitate metimini orbem universum, et eosdem tota Europa existimatis esse mores, quos hic: dico juventutem illic esse frequentissimam Principum, Procerum, Nobilium, et hominum locupletissimorum, non ex Gallia modo, sed ex Germania, Italia, Britannia, Hispania, Belgica, admirabiliter addictam studiis litterarum, parentem Institutorum præceptis et jussis: quorum mores non simplici tantum admonitu formentur, sed acri reprehensione, quum est opus etiam castigatione, plagis, verberibus; quæ omnia et accipiuntur et perferuntur animis moderatissimis, et vultu modestissimo.

Cab. Audivi sæpenumero ejusmodi narrari mihi quum agerem in Gallia Legatus Ferdinandi Regis. Sed omitte quæso nunc ista, aut differ aliud in tempus. Vides nos esse in ludo Miraculi, cui est proximum Carrosorum: hoc age, de pila sit jam sermo oblectandi nostri gratia.

Scin. Amabo ne assideamus, sed deambulantes colloquamur quæ fuerit collibitum: ¿qua ibimus? hacne per D. Stephani, ¿an illac ad portam Regalem, et visemus in Regia Ferdinandum Ducem Calabriæ?

Cab. Non, ne forte optimi Principis interpellemus studia sapientiæ.

Bor. Præstabit mulas arcessere, ut vehentes loquamur.

Cab. Ne amittamus quæso usum pedum et crurum; tempus est sudum ac serenum, et aura frigidiuscula: satius erit pedestres quàm equestres incedere.

Bor. Eamus hac igitur per Divi Joannis Hospitalis ad vicum marinum. *Cab*. Spectabimus obiter decoras formas.

Bor. Apage pedestres, erit dedecori.

Scin. Majori est mea sententia dedecori, viros pendere de judicio puellarum rudium atque ineptarum.

Cab. Visne, ¿ut recta eamus per plateam ficus, et Divæ Teclæ?

Scin. Non, sed per vicum tabernæ gallinacei: nam in eo vico cu-

cupio videre ædes, in quibus natus est Vives meus: sunt enim, ut accepi, descendentibus ad sinistram postremæ in vico, et invisam eadem opera sorores ejus.

Bor. Omitte nunc quæso muliebres visitationes; si mulierem vis alloqui, eamus potiùs ad Angelam Zabatam, cum qua erunt confabulationes litteratæ.

Cab. Utinam, si id cupitis, adesset Marchiona Zeneti.

Scin. Si vera sunt quæ de illa quum essem in Gallia audivi, majus est id argumentum, quàm ut de illo tractari leviter, et ab aliud agentibus vel possit, vel debeat.

Bor. Ascendamus ad Divi Martini, ¿an descendemus per vicum Vallesii, ad plateam Villæ-rasæ?

Cab. Hac, inde ad sphæristerium Barzii, seu mavis Masconorum. *Bor.* ¿In Gallia habetisne ad hunc modum ludos in publico?

Scin. De aliis Galliæ urbibus non possem tibi respondere; Lutetiæ scio nullum esse: sed in privato multa, velut in suburbiis Divi Jacobi, Divi Marcelli, Divi Germani.

Cab. Et in ipsa Civitate famosissimum, quod vocant *Bracchæ*.

Bor. ¿Luditur eadem illic ratione qua hic?

Scin. Eadem prorsum, nisi quòd Magister ludi præbet illic calceos, et pileos lusorios. *Bor.* ¿Cujusmodi sunt?

Scin. Calcei sunt coactilitii. (1) *Bor.* Non essent hic utiles.

Cab. Videlicet in via lapidosa; in Francia vero et Belgica luditur super pavimentum lateribus constratum, planum, et æquale.

Scin. Pilei sunt æstate leviores, in hyeme autem crassi, profundi, cum offendice sub mentó, ne in agitatione vel elabantur ex capite, vel decidant in oculos.

Bor. Offendimento hic non utimur nisi cum est ventus vehementior: ¿sed quales habent pilas?

Scin. Nullos fere folles, ut hic; sed sphærulas minores vestratibus, et multo duriores, ex corio albo: tomentum est, non ut in vestris lanugo e pannis tonsa, sed pili fere canini: eamque ob causam raro luditur palma.

 Bor.

(1) *Coactilitii.* Hispane *zapatos de fieltro.*

Bor. ¿Quomodo ergo percutiunt pilam? ¿pugno, ut folles?

Scin. Ne sic quidem, sed reticulo. *Bor*. ¿Confecto ex filo?

Scin. Ex fidibus crassiusculis, quales fere sunt sextæ in testudine; habent funem tensum, et reliqua ut hic in ludis domesticis: sub funem misisse globulum, vitium est, seu peccatum: signa sunt bina, seu mavis metas; numeri quaterni, quindecim, triginta, quadraginta quinque seu antegressio, æqualitas numerorum: victoria, quæ est duplex, ut quum dicitur vicimus signum, et vicimus ludum. Pila autem vel ex volatu remittitur, vel ex primo resultu: ex secundo enim ictus est invalidus, et ibi fit signum ubi pila est percussa.

Bor. ¿Non sunt aliæ lusiones, quàm sphæræ?

Scin. In Civitate, quot hic, aut plures: sed inter scholasticos nulla alia permissu Magistrorum exercetur, sed interdum clam luditur foliis et aciebus: pueruli talis, nequiores taxillis. Nos Institutorem habebamus Anneum, qui obsceno die lusum foliorum concedebat; sed de illo, et in universum de lusione omni tulerat sex leges, quas descriptas in tabella appenderat in cubiculo.

Bor. Ne graveris, rogo te, et eas nobis referre, quemadmodum alia fecisti.

Scin. Pergamus deambulare; nam incredibili teneor desiderio patriæ aspiciendæ tamdiu a me non visæ.

Bor. Conscendamus mulas ut ambulemus commodius, tum etiam honestius.

Scin. Honestatem hanc non emerim crepitu digitorum.

Bor. Ac ne ego quidem ut verum fatear, manum ob eam moverim; sed nescio quo pacto magis id videtur decere nostras personas.

Cab. Isthuc quidem recte, sed sumus tres, et in angustis viis aut hominum frequentia disjungeremur, unde necesse esset vel interrumpi sermonem, vel multa semper a nostrum aliquo non exaudiri, neque intelligi.

Bor. Esto sane ita, pergamus pedestres; ingredere per angiportum hunc ad plateam Peñarogiorum.

Scin. Optime, inde per fabros claviles ad vicum dulciarum,

tum

tum ad forum fructuarium. *Bor.* ¿Quin potius olitorium?

Scin. Utrunque est: qui libentius oleribus vescuntur, vocent olitorium: qui fructibus, fructuarium. ¿Quæ amplitudo fori? ¿Quæ descriptio vendentium et rerum venum expositarum? ¿Qui odor ex fructibus? ¿Quanta varietas, mundities, nitor? Non possunt horti excogitari huic foro pares; ¿quæ autem Ædilis nostri et ejus ministrorum solertia et diligentia, ne quis emptor fraude a venditore capiatur? ¿Estne ille, qui mula vehitur, Honoratus Joannius?

Cab. Non, ut arbitror, nam unus ex meis pueris, qui eum modo convenit, reliquit illum abdentem se in bibliothecam suam, qui si sciret nos una esse, non deesset haud dubie nostro sermoni, et nostris ludis seria sua posthaberet.

Bor. Profer tandem leges.

Scin. Extricemus nos ab hac turba per plateam Divæ Virginis Redemptoriæ (1) ad vicum fumalis, et Divi Augustini, ubi minor est frequentia.

Cab. Ne discedamus tam prócul ab urbis corpore; ascendamus potius per vicum crumenarium ad clivum, inde ad vicum militarem, et ædes familiæ vestræ, Scintilla, cujus parietes lugere adhuc videntur mihi heroëm illum Comitem Olivanum.

Bor. Immo luctu deposito, talem juvenem in tanti senis locum successisse serio triumphant.

Scin. ¡O quàm juvat intueri curiam, et quadruplex forum Præfecti urbis (quod jam fere familiæ vestræ Cabanilliæ hereditarium videtur) civile, criminale, et tercentum solidorum! ¿Quæ ædificia? ¿Quæ facies urbis?

Bor. Nusquam potest rectius leges ferre quàm in foro, et curia; ede tandem: nam de laudibus, seu de admiratione potius nostræ Civitatis, alias erit dicendi locus aptior.

Scin. Prima lex, (o) *Quando ludendum.* Homo propter res serias est conditus, non propter nugas et lusus; lusus autem reperti ad reficiendum animum lassum a seriis; tunc igitur ludendum, quum animus aut corpus erit defatigatum, nec aliter sumendum, quàm somnus, cibus, potus, et alia, quæ vi-

(o) *Leges ludi.*

(1) *Divæ Virginis Redemptoriæ, Nuestra Señora de la Merced.*

vires renovant ac reficiunt: alioqui in vitio est quemadmodum alia quæ non suo fiunt tempore. Secunda lex, *Cum quibus ludendum*. Quemadmodum facturus iter, aut iturus ad convivium, diligenter dispicis qui sint homines futuri sodales, aut comites: sic in ludo animadvertendum cum quibus ludes, ut sint homines tibi noti; nam in ignotis magnum est periculum, et verum proverbium Plauti: Lupus est homini homo, qui qualis sit non novit: sint etiam belli, festivi, comes, cum quibus periculum non sit ne rixeris, aut pugnes, aut aliquid vel facias, vel dicas turpiter, atque indecore; ne sint blasphemi in Deum, aut dejeratores; non in dictis spurci, ne quid ex contagione affricetur tuis moribus pravum aut flagitiosum: denique sint ii, qui non aliam ad ludum mentem adferant quàm tu, nempe ut a labore conquiescat et levetur animus. Tertia lex, *Quo ludo*. Primum noto; nam in ignoratione non potest subesse delectatio, nec ludentis, nec collusorum, nec spectatorum: deinde quod simul animum reficiat, et corpus exerceat, siquidem tempus ac valetudo patitur: sin secus, ludus sit in quo non omnia possit mera sors, insit etiam peritia quæ possit casum corrigere. Quarta lex, *Qua sponsione*. Nec nulla sponsione, quod est fatuum, et celerrime exatiat; nec ita magna, quæ in ipsa lusione inquietet animum, et si vincaris, mordeat ac discrutiet, non est hic lusus, sed carnificina. Quinta lex, *Quemadmodum*. Ut antequam ad ludendum assideas, reputes te ad refocillandum animum venire, in cujus aleam conjicias pauculos numos, hoc est, emas illis refectionem defatigationis; cogita esse sortem hoc est variam, incertam, instabilem, communem; nullam idcirco tibi fieri injuriam; si perdas, ut id feras æquo animo, ne contrahas vultum, et suffundas eum tristitia; ne prorumpas in convicia, et maledicta, aut adversus collusorem, aut quempiam ex spectatoribus: si lucrifacias, ne sis in collusorem insolenter dicax. Prorsum toto ludo sis comis, hilaris, facetus, jocosus, citra scurrilitatem et petulantiam, ne des significationem ullam fraudis, sordium, aut avaritiæ; in contentio-

tione ne sis pertinax, minime omnium jurator, memor rem illam totam (etiamsi meliorem causam habeas) non esse tanti, ut nomen Domini adferas in testimonium. Spectatores memineris esse velut judices ludi, si quid illi pronuntiarint cedito nullam edens notam improbationis: hoc modo et lusus fit delectatio, et probi adolescentis grata est educatio ingenua. Sexta lex, *Quamdiu ludendum.* Quoad sentias animum renovatum jam et reparatum ad laborem, et vocat hora ad negotium serium. Qui secus faxit, improbe factum videri: (*p*) velitis Quirites, jubeatis. *Bor.* et *Cab.* Sicuti rogavit.

(p) Velitis Quirit. *Solemnia in ferendi legibus verba Romæ.*

CORPUS HOMINIS EXTERIUS.

Durerius Pictor, Grynæus, Velius.

Dur FAcessite hinc, nam vos nihil emitis, sat scio; et estis mihi impedimento, quominus accedant emptores propius.

Gry. Immo vero nos volumus emere, modo vel precium relinquas nostro arbitratu, et tempus ipse præscribas, aut contra, nos tempus, tu precium.

Dur. Bella negotiatio, mihi nihil est opus tricis ejusmodi.

Gry. ¿Cujus est hæc imago, et quanti indicas?

Dur. Imago est Scipionis Africani, et indico sesterciis numis quadringentis, aut non multo minoris.

Gry. Quæso te, priusquam verbo uno eam addicas nobis, examinemus artem Picturæ; et hic Velius est sesquiphysicus, peritissimus humani corporis.

Dur. Jam dudum intelligo me a vobis intricari, sed interea dum mercatores nulli adsunt, nugamini quantum libuerit.

Gry. ¿Nugas tu vocas peritiam artis tuæ? ¿quid faceres alienæ?

Vel. Primum omnium verticem contexisti capillis multis, et planis, quum vertex dicatur quasi vortex, a vertendis capillis, ut in fluviis videmus quum aqua se convolvit.

Dur. ¿Inepte non consideras eum esse male pexum more illorum temporum?

Vel. Brechma habet inæqualiter deflexum.

Dur.

Dur. Acceperat vulnus miles ad Trebiam, quum servavit patrem. *Gry*. ¿Ubi tu id legisti?

Dur. In decadibus Titi Livii amissis.

Vel. Tempora sunt nimis tumentia.

Dur. Cava essent signnm dementiæ.

Vel. Occipitium vellem videre. *Dur*. Verte tabulam.

Gry. ¿Cur dixit Cato inter cetera oracula: Frons occipitio prior est?

Dur. Quàm estis fatui: ¿an non in quovis homine prius cernis frontem, quàm occiput?

Gry. Quosdam prius video aversos quàm adversos.

Dur. Et ego libenter, ut tales emptores et milites.

Vel. Cato sensit præsentiam domini potiorem esse ad curationem rerum, quàm absentiam: ¿ceterum cur antias adeo longas? *Dur*. ¿Loqueris de his caproneis? *Vel*. Etiam.

Dur. Non habuerat multis mensibus tonsorem ad manum, velut in Hispania.

Vel. ¿Glabellam (1) hanc cur contra ipsius verbi etymon fecisti hirtam?

Dur. Tu ipse vulsellis pilos detrahito.

Vel. ¿Et vibrissas extantes extra nares? sed tu, quæ tua est versutia, culpam abs te rejicies in tonsorem.

Dur ¿Inscie non animadvertis eos fuisse ætatis illius mores, severos, tristes, rusticanos?

Vel. ¿Imperite non legisti Scipionem hunc ex omnibus sui temporis hominibus excultissimum et politissimum fuisse, et amantem elegantiarum?

Dur. Expressus est quum exularet Linterni.

Gry. Supercilium hoc est grande, et conveniens Latio: cilium habet nimis cavum, et genas depressas.

Dur. Ex vigiliis castrensibus.

Gry. Tu non solum es Pictor, sed Rhetor valde versatus in translatione criminum. (2)

Dur.

(1) *Glabellam*. Hispane *entre ceja, y ceja*, quod interstitium superciliorum glabrum, id est sine pilis est: nonnulli pilosum habent, quos *cejiguntos* vocamus.

(2) *In translatione criminum*. Translatio criminum apud Rhetores est, quum crimen quidem non diffitetur reus, sed causas quærit quibus id elevet, a tempore, a loco, a natura, a consuetudine, a necessitate, a reliquis ejusmodi.

Dur. Et vos quantum intelligo, in criminationibus.
Vel. Malas habet nimium tumentes, et buccas istas.
Dur. Inflat classicum.
Grt. Et tu inflabas calicem quum hæc pingeres.
Vel. Immo vero utrem: sed alibi fecisti pilosum, palpebras fere nullas appinxisti.
Dur. Ex morbo illi deciderunt. *Grt.* ¿Quo morbo?
Dur. Quære ab illius Medico.
Grt. ¿Jamne intelligis ob tuam tantam imperitiam detrahi debere de summa centum sestertios?
Dur. Immo ob vestras cavillationes et interrogationes adeo molestas, addi ducentos oportere.
Vel. Pupulas habet hic glaucas, atqui ego audivi ceruleas habuisse. *Dur.* Et ego cæsias, ut Minervam bellatricem.
Vel. Hirquos (1) fecisti nimium carnosos, et sinus humentes.
Dur. Flebat accusatus a Catone.
Vel. Mandibulæ sunt nimis longæ, et barba densissima ac profusissima, tum pilos dicas setas porcinas.
Dur. Vos sine modo ullo estis loquaces, et argutuli cavillatores: abite hinc; nam tabulæ non fiet vobis amplius copia.
Vel. Amabo, mi Dureri, dum alios non habes licitatores, sine nos hic cavillari. *Dur.* ¿Qua mercede?
Vel. Adscribemus ambo hic tibi singula disticha, quo tabula fiat vendibilior.
Dur. Nihil opus est meæ arti vestra commendatione, nam periti emptores, et picturæ intelligentes, non emunt versus, sed artificium. *Vel.* Sed nares habet nimium patulas.
Dur. Erat iratus accusatoribus.
Vel. Non videmus valleculam. (2)
Dur. Latet sub barba; ac ne mentum quidem cernitis, neque (*q*) anthereonem.
Grt. Horum omnium fecisti tu compendium beneficio grandis barbæ.

(q) Anthereon, *buccula sub mento.*

Vel. Collum placet mihi rectum, et masculosum, item juguli.

(1) *Hirquos*, alii cum aspiratione scribunt, *el lagrimal del ojo.*
(2) *Valleculam*, concavum illum, et depressum, quod est inter labrum inferius, et mentum.

Dur. Gratulandum est superis, quòd tibi aliquid probatur.

Vel. At ne nihil in hoc quoque desiderem, jugulos non habet satis cavos, quod in Socrate Physiognomon annotatum tardi esse ingenii signum pronuntiavit. Armos istos voluissem paulo erectiores et ampliores.

Dur. Non tam erat miles bellator, quàm Imperator. ¿Non audivisti apopthegma hujus? de quo quum milites quidam dicerent, non adeo eum esse valentem militem, ac Imperatorem sapientem, is respondit: Imperatorem me genuit mater mea, non militem. Sed discedite si non estis empturi, nam video accedentes quosdam negotiatores publicanos.

Vel. Eamus deambulatum, et inter nos de humano colloquemur corpore sine Scipione, ac tabula: simus nasus non decet generosam faciem.

Grr. ¿Quid bosimus (1) quales fuerunt Hunni?

Vel. Apage monstra.

Grr. Silones non sunt minus deformes; Persæ aquilos venerabantur, propter Cyrum quem ferunt ea fuisse forma.

Vel. Ancon et campe sunt in brachio quod in crure poples et genu: lacertus inde usque ad manum, a cujus musculis etiam crura dicuntur lacertosa.

Grr. ¿Nonne is est cubitus, ut apud mensores?

Vel. Est is quidem cubitus, et ancon ipse cubitus.

Grr. ¿Unde ergo Rex Romanus Ancus?

Vel. Ab incurvo cubito.

Grr. Manus sequitur, maximum omnium instrumentorum, secta in digitos, pollicem, indicem, medium sive infamem, minimo proximum, minimum.

Vel. ¿Cur medius infamis? ¿quid designavit flagitii?

Grr. Institutor noster dixit se quidem scire causam, nolle tamen edisserere, quòd esset turpis: ne quæsieris igitur, non enim decet bonæ indolis adolescentes turpia scrutari.

Vel. Atqui minimo proximum Δακτυγικον Græci appellant, quasi annularem.

Grr.

(1) *Bosimus*, id est valde simus, quales fuerunt Hunni bovina facie: Hunni autem, qui e Sarmatia Europæ egressi, postea Attilam ducem secuti Pannoniam occuparunt, et a suo nomine Hungariam dixerunt.

Grr. Ita plane, sed in sinistra, non in dextra, quòd in eo soliti essent olim annulos gestare. *Vel.* ¿Qua de causa?

Grr. Ajunt a corde protendi illuc venam, quæ cum annulo redimitur velut cor ipsum coronatur. Nodi digitorum sunt condyli, et pro pugni percussu vox ea usurpatur; inter nodos sunt internodia, et generali verbo artus, atque articuli. Tiberium Cæsarem memoriæ produnt tam firmis fuisse digitorum articulis, ut digito recens malum terebraret.

Vel. ¿Didicisti chiromantiam?

Grr. Ne nomen quidem ipsum audieram: ¿quid ita?

Vel. Divinasses hic nobis aliquid ex incisuris.

Grr. Negavi me scire, et res sic habet; sed si nunc me nosse aliquid profiterer, et attentius manum tuam contemplarer, libenter me auscultares, et homini hujusce imposturæ imperitissimo fidem non omnino abrogares. *Vel.* ¿Quî sic?

Grr. Quia id est hominum ingenium, ut libenter eos audiant, qui se recondita, vel eventura profitentur enuntiaturos.

Vel. ¿Unde sunt Scævolæ?

Grr. Quasi scævæ, a scæa, quæ est sinistra. Ajunt in sexu femineo esse scævas plures, quàm in nostro.

Vel. ¿Quæ est vola? *Grr.* Cavum manus ubi incisuræ.

Vel. ¿Quid involare?

Grr. Id quod tu agis libenter; furari, surripere, quasi vola abscondere, et quod rabiosa Lucretia, involare in oculos pedissequarum. Reliquum corpus demto capite est truncus, et ex trunco thorax: concavum pectoris usque ad ventriculum et costas; concavum quidem interius: nam exterius inter brachia et pectus, sinus est: sub ventriculo est venter, et in ventre imo pecten, et pudenda.

Vel. ¿An non pudendus magis podex, sive anus?

Grr. Utrunque pudendum: posterius ob turpitudinem, anterius ob flagitium et dedecus. Femur, et ut olim loquebantur, femen, nunc malunt plurative femina: a genu est crus, cujus os tibia dicitur. Carnosum vero illud posterius, sura: postremo pes, manui non absimilis, nam et digitos habet, et volam, quæ et vestigium dicitur, et solum pedis.

Vel. ¿Quid? ¿num non vestigium, quod a pede imprimitur?

Gry. Et illud ipsum, et solum pedis.

Vel. ¿Nostin quæ sint in corpore virtutum sedes?

Gry. ¿Quæ tandem?

Vel. In fronte pudor, in dextera fides, in genu misericordia.

Gry. ¿Planta pedis non est ipsum solum pedis?

Vel. At sic putant multi.

Gry. Atqui Plinius scribit esse gentem, quæ sibi umbram faciat in meridie planta pedis, quam habent vastam admodum, atque enormem: ¿quî fieri id potest?

Vel. Profecto planta est a cruris vertebra ad digitos.

EDUCATIO.

Flexibulus, Grympherantes, Gorgopas.

Flex. ¿QUanam gratia misit te huc ad me pater tuus?

Gry. Dixit te esse hominem egregie institutum, sapienter educatum, eaque de causa gratum huic Civitati: cupere se, ut ego eisdem quibus tu vestigiis insistens, perveniam ad similem favorem populi.

Flex. ¿Quomodo igitur te id assecuturum censes?

Gry. Ingenua educatione, quali te omnes prædicant esse præditum. Adjecit pater, eam educationem magis decere me, quàm alium quemvis.

Flex. ¿Cedo mi fili, quommodo ea in re venis a patre imbutus?

Gry. Non tam me pater præceptis instruxit, quàm patruus quidam meus, vir senex, versatus multum et diu in Regum comitatibus.

Flex. ¿Quid ergo illi te docuerunt, mi fili, et amice?

Gor. Vide vir prudentissime, ne fortasse per ignorantiam labaris in dictum aliquod aut factum stultum vel rusticanum, unde amittas istud nomen optime educati.

Flex. ¿Quid? ¿tam leviter ne apud vos perit?

Gor. Vel unica vocula, unico flexu poplitis, unica inclinatione capitis.

Flex.

Flex. Nimis est inter vos delicatum et infirmum; inter nos enim multo est robustius et firmius.

Gor. Sic sunt nostra judicia, ut nostra corpora quæ nullam ferunt offensionem.

Flex. Immo, ut est videre, facilius ferunt corpora quàm animi.

Gor. Fortasse tu non nosti hunc, ideo filium, et amicum nominas.

Flex. ¿An non sunt hæc honesta nomina, et plena benevolentiæ?

Gor. Benevolentiæ credo, quàm nos haud magni sane facimus: sed non reverentiæ, neque officii, quæ nos anxie venamur: nam hic dominus solet appellitari, non amicus. ¿An non animadvertis domini præfationem ante prænomen, et famulos versicolores? ¿non annotasti in avi hujus solemnibus parentalibus tot cereos, tot insignia, tot homines atratos?

Flex. ¿Quid ergo? ¿affectas tu omnibus esse dominus, nulli amicus? *Grt*. Ita docuerunt me propinqui mei.

Flex. Edat jam, mi Domine, tua excellentia præclara illa tuorum consanguineorum documenta.

Gor. Videris tu mihi puerum hunc naso suspendere, at non est quilibet, ne feceris.

Grt. Primum, esse me ex honestissima progenie, quæ nulli cedat per universam hanc Provinciam: idcirco curandum mihi diligenter, atque annitendum, ne degenerem a majorum meorum virtute: illos parasse sibi magnum decus, nemini concedendo de loco, de dignitate, de auctoritate, de appellatione: me idem debere facere. Si quis quid velit de honore detrahere, pugnandum statim cum eo; de pecunia oportere esse largum, atque adeo profusum: in honore astrictum et attentum: decere nihilominus me, ac mei similes assurgere aliis, via cedere, ducere, reducere, nudare caput, poplitem incurvare, non quòd alius quispiam id mereatur a me sibi exhiberi, sed quòd sic conciliabo mihi favorem hominum, captabo auram popularem, et parabo illum, quem tantopere gestamus semper in ore et in corde honorem: in ea educatione situm esse discrimen nobilis

et

et ignobilis; quòd nobilis ad illa omnia dextere præstanda institutus est atque assuefactus; ignobilis agresti more nihil illorum doctus est facere.

Flex. Et Excellentiæ tuæ, domine, ¿qualis videtur ejusmodi institutio?

Gry. ¿Qualis vero? nisi multo optima, et digna meo genere.

Flex. ¿Quid ergo est aliud quod a me requiras?

Gry. Nihil plane restaret mea sententia, nisi accesisset voluntas patris, qui jussit prorsum, seu verius imperavit rigide, ut ad te venirem; ut si quid in hac educatione nosses magis reconditum, et quasi mysterium sacratius, quo majus mihi decus acquirerem, in gratiam sui ne gravareris exponere, quo familia nostra alioqui honestissima et celsissima, altius ascenderet: quoniam sunt non pauci novi homines, qui freti sua opulentia, nactique dignitatem et honores, per divitias emerserunt, adeo ut etiam audeant cum vetustate et decoribus gentis nostræ contendere.

Flex. Facinus nefandum. *Gry*. ¿Nonne?

Flex. Vel cæco esset clarum.

Gry. Itaque novi illi homines ambulant comitati longo asseclarum ordine, ipsi segmentati in vestibus vel bombycini villosi intercisi (1), vel texti Attalici (2), ut nos nihil esse præ illis videamur, qui (r) villato vestimur, dissimulandæ paupertatis gratia. Præmium autem hujus tui laboris, si operam hanc navaris patri, erit recipi te in numerum nostræ familiæ, et admitti ad illius gratiam et meam, ut procedente tempore aliquod a nobis accipias beneficium, sisque semper in nostra clientela, et quasi tutela.

(r) Villatum, *quod vulgo frisatum vocant*.

Flex. ¿Quid potest dici amplius, aut optabilius? ¿Sed cedo jam, si aperias caput, accedas via et loco, appelles blande, quam ob causam eris gratus iis, quibuscum versabere?

Gry. Ob eam ipsam causam, quia hæc ago.

Flex. Isthæc omnia exteriora sunt solum signa, quæ denotant ali-

(1) *Bombicini billosi intercisi*. Hispane *terciopelo*.

(2) *Texti Attalici*, aurum intexere in Asia Attalus Rex primus reperisse dicitur: unde textum Attalicum, Hispane *brocado*.

Multa præterea sunt, quæ diligens lector ex verbis adjunctis, aut consequentibus, tum etiam ex Lexicis intelligere poterit.

aliquid esse in animo tuo propter quod diligare; nam ipsa per se nemo diligit.

GRY. ¿Quidni diligant omnes qui sunt honestæ conversationis, in mea præsertim nobilitate?

FLEX. Parum admodum es progressus, quod liceat inter nos dicere, et tu te pervenisse jam arbitraris ad summum.

GRY. Nihil necesse habeo parare mihi litteras atque eruditionem: majores mei reliquerunt mihi unde vivam; quod etiam si desit, non istis est mihi artibus quærendum tam ignobilibus, sed hastæ cuspide, et ense districto.

FLEX. Animose isthuc quidem et ferociter: quasi vero quia es nobilis, non sis futurus homo. *GRY.* Bona verba.

FLEX. ¿Ecqua tandem parte tui es homo? *GRY.* Me toto.

FLEX. ¿An corpore, quo non differs a belluis?

GRY. Minime.

FLEX. Non ergo te toto, ratione igitur et mente.

GRY. ¿Quidni?

FLEX. Si hanc ergo sinis incultam et silvestrem, excolis autem corpus, et illi uni studes, ¿an non transis ab humana in ferinam conditionem? Sed ad id, de quo cœperamus loqui: nam hæc digressio, si vellem mihi indulgere, longissime nos a proposito abduceret: ¿verum quum tu cedis de via, et nudas caput, qualem te esse alii existimant?

GRY. Nobilem, et generose informatum atque institutum.

FLEX. Nimium durus es: ¿nihilne domi audivisti de animo, de probitate, de modestia, de moderatione?

GRY. In Templo nonnunquam audivi de concionatoribus.

FLEX. Quum illa abs te vident occurrentes fieri, judicant te esse adolescentem modestum, probum, bene de ipsis judicantem, de te autem moderate, qua ex opinione nascitur benevolentia et favor. *GRY.* Explicatius id quæso.

FLEX. Huc pertinet mea ratio: si te homines existimarent adeo superbum ut se omnes contemneres præ te, nudare tamen caput, et genu flectere, non quòd ipsis is honor debeatur, sed quòd te deceat; ¿putas tu ullum fore, qui tibi haberet gratiam, aut te de honoris illa falsa simulatione diligeret?

GRY. ¿Quidni?

Flex. Quia id tu tibi præstas, et tua gratia facis, non illorum: ¿quis enim judicabit se devinctum tibi de eo, quod pro te ipso feceris, non pro se? ¿an ego honorem eum velut mihi impensum accipiam, quem tu tribuis opinioni de te, non meis meritis? *Grr*. Ita videtur.

Flex. Ergo paratur benevolentia, si illi credant sibi honorem illum dari, non ut tu habearis comior ac nobilior: istud vero non fiet, nisi eam de te induant opinionem, quod tu illos esse potiores ducas te, et dignos quibus tu concedas.

Gor. At non est ita tamen.

Flex. Quantumcunque hoc sit falsum, in eo tamen necesse est eos falli: alioqui nunquam consequeris quod tantopere expetis. *Grr*. ¿Quæ igitur erit persuadendi via?

Flex. Facilis, modo animum sedulo advertas.

Grr. Profer quæso: nam ea de causa huc sum missus, et eris semper in nostra clientela.

Flex. Nimis crudum est hoc pomum. *Grr*. ¿Quid tu mussas?

Flex. Dico viam esse unicam, si sis talis, qualem te credi cupis. *Grr*. ¿Quî isthuc?

Flex. ¿Si vis aliquid calfacere, adfers ne fictum ignem?

Grr. Non, sed verum.

Flex. Si scindere, ¿an pictum in tela gladium?

Grr. Non, sed ferreum.

Flex. ¿Non est igitur eadem vis rerum verarum, quæ fictarum? *Grr*. Apparet non esse.

Flex. Nec tu idem efficies simulata moderatione, quod vera; nam falsa ipsa se aliquando produnt, vera semper sunt eadem: in ficta moderatione aliquid aliquando dices, aut facies publice aut privatim, quum tibi excides, (neque enim semper te, et ubique poteris observare) unde fictus deprehendaris, et quantum prius ignotus diligebare, tantum postea cognitus sis odio, et longe plus.

Grr. ¿Quomodo igitur mihi ipse indicam germanam illam animi moderationem, quam tu præcipis?

Flex. Si persuaseris tibi, id quod res habet, alios esse meliores te.

Gor.

Gor. ¿Meliores vero? ¿ubi tandem? In cœlo credo; nam in terra pares sunt paucissimi, melior nemo.

Grt. Sic audivi sæpe de patre, et patruo.

Flex. Multum abducit vos a cognitione veri nominum ignorantia. ¿Quid tu vocas bonum, ut sciamus num sit aliquis te melior?

Grt. ¿Quid ego scio quid sit bonum? ex bonis esse progenitum.

Flex. ¿Ignoras etiam num quid sit bonum, et jam tenes quid sit melius? ¿quomodo pervenisti ad comparativa, quum nondum possitiva didiceris? ¿ipsos autem tuos progenitores quomodo scis fuisse bonos? ¿qua tu id nota cognoscis?

Grt. ¿Quid? ¿negas tu fuisse illos bonos?

Flex. Non novi illos; ¿quomodo de illorum bonitate possum aliquid in alterutram partem statuere? Quæro modo, ¿qua ratione assequaris tu fuisse illos bonos?

Grt. Quia ita omnes prædicant; ¿sed quorsum, rogo te, pertinent tam molestæ interrogationes?

Flex. Non sunt molestæ, sed necessariæ ut accipias quod ex me sciscitaris.

Grt. Confer, quæso te, in pauca.

Flex. Multis esset id explicandum, cujus tam crassa ignorantia involveris; sed quando ita es fastidiosus, dicam brevius quàm res tanta dici postulat: defige jam oculos tuos in me dum dissero. ¿Qui sunt dicendi eruditi? ¿an non ii qui habent eruditionem? ¿qui opulenti? ¿an non qui habent opes? *Grt.* Indubie.

Flex. ¿Qui ergo boni? ¿num non ii demum qui habent bona?

Grt. Ita plane.

Flex. Missas nunc divitias faciamus, quæ non sunt vera bona, quæ si essent, multi patre tuo invenirentur meliores, et negotiatores ac fœneratores præstarent bonitate viros bonos et sapientes. *Grt.* Sic videtur ut dicis.

Flex. Expende ergo attente ac diligenter singula eorum quæ referam: ¿an non est bonum, acutum ingenium, sagax, maturum judicium, integrum, sanum, tum eruditio varia, et magnarum rerum atque utilium, prudentia, exercitatio

in rebus præstantibus, consilium, dexteritas in exequendis negotiis? ¿quid tu de istis?

Grr. ¿Vel sola nomina videntur mihi pulchra profecto et magnifica, quanto magis res ipsæ?

Flex. ¿Age porro, quid sapientia, quid religio, pietas in Deum, in patriam, parentes, necessarios, justitia, temperantia, liberalitas, magnanimitas, contemptus casuum humanorum, et fortis animus in adversis? ¿quid vero ista?

Grr. Præstantissima etiam hæc.

Flex. Hæc sola sunt hominis bona; nam reliqua omnia, quæ commemorari possint, bonis et malis sunt communia, atque ea de causa nec bona: quæso manda sedulo memoriæ.

Grr. Faciam.

Flex. Pervelim; nam ingenium tuum non malum est, sed non bene excultum. Reputa igitur cum animo tuo, an tu hæc habeas, et si habes, quàm pauca, et ea quàm tenuiter, quod ubi examinaveris acute ac subtiliter, intelliges tum demum, te non magnis nec multis esse bonis ornatum ac instructum, nec esse in populo qui pauciora habeat quàm tu. Nam in multitudine alii sunt senes, viderunt atque audierunt multa, habent experimenta rerum plurimarum: alii studiosi, qui ingenium discendo exacuunt et expoliunt: alii capessunt Rempublicam: alii libenter et diligenter versant scriptores profuturos: alii sunt seduli patresfamilias: alii alias artes profitentur et præstant: ¿vel ipsi agricolæ quàm multa ex arcanis naturæ tenent? nautæ vero cursum dierum et noctium, naturam ventorum, positus terrarum et maris: alii ex multitudine sunt viri sacri et religiosi, qui Numen pie venerantur ac colunt: alii res prosperas moderate rexerunt, et fortiter pertulerunt adversas: ¿quid horum tu nosti? ¿quid exerces? ¿quid præstas? nihil omnino præterquam illud: nemo est melior me, bono sum natus genere. ¿Quî potes esse melior, qui non dum es bonus? Nec pater tuus, nec avi tui aut proavi fuerunt boni, nisi hæc habuerunt quæ recensui; quæ an habuerint, tu videris: ego multum dubito, sed si habuerunt, tu certe non eris bonus, nisi illorum fias similis.

Grr.

Grt. Plane terruisti, et pudefecisti me: non invenio quod possim vel hiscere in contrarium.

Gor. Nihil horum intellexi, tenebras mihi offudisti ante oculos.

Flex. Nimirum venis ad hæc nimis durus, et longe diversis opinionibus infectus et mancipatus. Sed tu adolescens, ¿quo te nunc tandem nomine censes appellandum? ¿dominum, an mancipium?

Grt. Mancipium; nam si ita est ut disseruisti, et intelligo nihil esse verius, complures sunt servi multo potiores ac præstantiores me.

Flex. Hæc ne leviter degustes, confer te domum, et solus tecum revolve, excute, perpende: quo magis versaveris, eo veriora et certiora esse intelliges.

Grt. Obsecro te, adjice alia si qua habes, nam momento horæ sentio me adeo immutatum, ut prorsum videar mihi jam esse alius.

Flex. Utinam contigerit tibi quod Polæmoni Philosopho.

Grt. ¿Quid illi contigit?

Flex. Una Xenocratis oratione ex nequissimo et perditissimo factus est sapientiæ ac virtutum omnium studiosissimus, evasitque magni nominis Philosophus, et Xenocratis in Academia successor. Sed tu mi fili, ubi aperte cognoveris quantum tibi ad bonitatem desit (quod aliis multis superest) vere et ex animo cedes aliis, et in eis honorabis bonitatem, qua vides illos ornatos, te autem carere. Jam et ex reputatione tui ipsius vilesces tibi, ac sordebis; adeo ut nemini occurras tam abjecto contemptoque, quem non tibi anteponat conscientia tuæ mentis: non enim adduci poteris ut credas quenquam esse pejorem te, nisi quòd illius malitia et nequitia protulit se foras, tua delitescit cautius.

Grt. ¿Quid tum sequetur?

Flex. Hoc si feceris, veram ipsam solidamque ingenuam educationem atque urbanitatem, seu, ut nunc loquimur, aulicitatem assequere; eris gratus et carus omnibus, sed id non jam magnifacies: eris autem (quod unice tum tibi erit curæ) gratus Deo immortali.

PRÆCEPTA EDUCATIONIS.

Budæus, Grympherantes.

Bud. ¿Quænam est isthæc tanta et tam subita mutatio? inter Ovidii Metamorphoses posset referri.

Gry. ¿In pejusne, an in melius?

Bud. In melius, mea sententia; siquidem ab exteriore cultu, gestu, verbis, actionibus bonam mentem licet æstimare ac colligere.

Gry. Est ergo quod mihi possis gratulari, sodalis jucundissime.

Bud. Ego vero et gratulor tibi, et ut pergas exhortor, magnaque in dies bonæ istius frugis ut capias incrementa Deum ac Divos omnes comprecor. Sed amabo, ne invideas familiari tam caro artem adeo præstantem ac præclaram, quæ brevi tempore tantum humano pectori probitatis instillet.

Gry. Ars et fons rivi hujus uberrimus est Flexibulus, si eum nosti.

Bud. ¿Quis non norit virum, ut a patre et majoribus natu audivi, ingentis prudentiæ atque usus rerum, huic civitati non notum modo, sed carum, et in paucis venerabilem? ¡O te felicem, qui illum propius audiveris, et sis cum eo familiariter versatus, unde tantum retuleris fructus ad rectam compositionem morum!

Gry. ¿Quanto tu felicior, cui hæc domi nascuntur, quod ajunt? et potes non semel aut iterum ut ego, sed quotidie, quoties libuerit, talem patrem audire maximis et utilissimis de rebus sapienter disserentem.

Bud. Omitte nunc ista; de te et Flexibulo procedat sermo institutus.

Gry. Taceamus igitur de patre tuo, quando ita est tibi cordi: redeamus ad Flexibulum; nihil viri illius sermone dulcius, nihil consiliis cordatius, nihil præceptis gravius, prudentius, sanctius. Itaque gustu hoc, quem mihi ille de se præbuit, aucta et incensa est mihi mirum in modum sitis hauriendi ex tam dulci fonte sapientiæ. Narrant qui orbem terrarum des-

describunt, fontes esse admirabilis ingenii ac naturæ, alios inebriare, alios ebrietatem tollere, alios stuporem immittere, alios somnum: fontem hunc hanc ego vim habere sum expertus, ut ex bruto efficiat hominem, ex perdito et nequam frugi, ex homine Angelum.

Bud. ¿Possemne et ego ex eodem fonte aliquid vel extremis labris delibare?

Grt. ¿Quidni possis? domum tibi ubi habitet commonstrabo.

Bud. Isthuc quidem alias; tu vero inter deambulandum (aut assideamus, si lubet) aliquot mihi refer ex illius præceptionibus, quas optimas esse et potissimas censeas.

Grt. Equidem recensebo lubens, quum ut tibi gratificer et prosim si queam, quum ad meam recordationem. Primum omnium docuit me, debere unumquenque non magnifice de se sentire, sed moderate, seu verius demisse: hoc esse optimæ educationis, ac veræ comitatis solidum fundamentum ac proprium. Hinc navare operam ut animum excolat atque exornet cognitione rerum, scientia, et exercitamentis virtutum; alioqui hominem non hominem esse, sed pecus. Rebus sacris interesse cum maxima attentione et reverentia. Quicquid illic seu audias, sive videas, existimare magnum, admirabile, divinum, et quæ captum tuum exuperent. Crebro te Christo commendare precibus, in illo spem et fiduciam tuam omnem collocandam. Parentibus obsequentem se præbere, inservire illis, ministrare, et quacunque valeat commodare, prodesse, adjuvare. Magistrum colere, ac diligere tamquam parentem, non corporis, sed (quod amplius est) mentis. Sacerdotes Domini revereri, illorumque doctrinæ audientem se exhibere, qui referunt nobis personam Apostolorum, atque adeo Domini ipsius. Senibus assurgendum, caput nudandum, attente illos auscultandum, a quibus ob diutinum usum rerum collecta sit prudentia. Magistratus honorare, illisque aliquid imperantibus dicto esse audientem, quibus cura nostri a Deo est commissa. Viros magni ingenii, magnæ eruditionis, probos, suspicere, admirari, colere, bene illis cupere, et amicitiam illorum ac familiari-

ta-

tatem expetere, ex qua magni fructus reportentur, et is potissimum ut similes eorum evadamus. Denique iis qui sunt in dignitate, deberi reverentiam, idcirco impendendam esse liberaliter ac libenter. ¿Quid tu de hisce præceptis dicis?

Bud. Mea quidem sententia deprompta esse ex divite quodam prudentiæ promptuario. Sed dic mihi, ¿an non sunt multi ad dignitatem evecti homines indignissimi, velut Sacerdotes non respondentes tanto titulo, et Magistratus pravi, et senes stulti ac deliri? ¿quid quæso de his sentiebat Flexibulus? ¿an eodem esse honore prosequendos quo potiores?

Grr. Non ignorabat Flexibulus esse tales non paucos, sed non concedebat ætati nostræ, ut nos inter ejusmodi et alios poneremus discrimen; nondum tantum esse nactos nos vel ingenii, vel prudentiæ, ut id possimus dijudicare: eam censuram et sapientibus esse viris relinquendam, et iis quibus illorum est regimen commissum.

Bud. Recte hoc quidem, ut videtur.

Grr. Addebat non debere adolescentem in nudando capite lentum esse, non in flectendo genu, non in unoquoque honorifice appellando, non in comi sermone ac moderato. Non decere multum loqui apud majores natu, aut superiores; id enim alienum esse a reverentia illis debita: sed tacitum illos auscultare, et ab eis haurire prudentiam, cognitionem rerum variarum, rectam atque expeditam loquendi rationem. Brevissima est ad scientiam via, audiendi diligentia. Prudentis et ingeniosi esse de rebus judicare; uniuscujusque de eo quod probe novit; ideoque negabat ferendum esse adolescentem ad pronuntiandum ac definiendum proclivem: debere illum in statuendo, aut judicando de re quantumcunque levi ac exigua, esse cunctabundum, seu potius timidum, conscium videlicet suæ ignorantiæ. Quod si in judicio de re qualibet par est adolescentem esse talem, quid fiet de litteris, de disciplinis, de legibus patriis, de ritibus, de moribus atque institutis majorum, de quibus non solum sententiam ferre juvenem, sed nec disputare, aut vocare in quæstionem sinebat Flexibulus; non cavillari, non rationem re-

reposcere, sed tacite, ac modeste obtemperare, quod dictum Platonis auctoritate fulciebat magni in sapientia viri.

Bud. ¿Qui si sunt leges aut mores pravi, iniqui, et tyrannici?

Grt. Idem et de hoc Flexibulus disserebat quod de senibus. Non ignoro equidem, ajebat ille, multos esse receptos in civitate mores parum probabiles, sancitas esse leges aliquas iniquas: ¿sed tu imperitus, inexpertus rerum vitæ, quomodo id censebis? Nondum eo pervenisti eruditione et usu rerum, ut de eo possis statuere: fortasse quæ tua est ignorantia vel animi libido, improbas esse leges judicabis quæ sint rectissimæ, et magno consilio statutæ; rursum vero optimas, quas justum esset abrogare: sine illos de iis inquirere, disputare, definire, qui causam queunt de singulis probabilem reddere, tu id non posses.

Bud. Ita est plane. Perge ad alia.

Grt. Nullum esse decentius, aut gratiosius adolescenti ornamentum, quàm verecundiam: nihil impudentia tetrius, aut invisius. Magnum esse ætati nostræ ab ira periculum: ab ea nos ad turpes actiones corripi, quarum paulo post gravissime pœniteat. Multum itaque esse cum illa luctandum, quoad omnino prosternatur, ne nos ipsa prosternat. Otiosus homo, saxum; male occupatus, bellua; bene occupatus, vere homo. Homines nihil agendo male agere discunt. Cibum et potum metiendum naturali desiderio famis aut sitis, non gulositate, aut pecuina libidine infarciendi corporis. ¿Quid potest dici tetrius, quàm hominem ea ingerere in suum corpus edendo et bibendo, quæ exuant illum humana conditione, transferant in belluinam, aut etiam in stipitem? Compositio oris et cuncti corporis, quemadmodum animus sit intus habitus, loquitur; sed ex universa exteriore facie nullum animi speculum ajebat esse certius quàm oculos, ideoque convenire illos esse sedatos et quietos, non elatos, nec dejectos, non mobiles, sed nec rigentes: faciem ipsam non in torvitatem, nec ferociam compositam, sed ad hilaritatem, atque affabilitatem. Sordes et obscœnitates abesse decet a vestitu, victu, convictu, sermone. Sermonem nostrum nec arro-

gan-

gantem ac pavidum, nec vicissim abjectum et effeminatum volebat esse: simplicem autem, et minime captiosum, non detortum ad pravas interpretationes: nam id si fiat, nihil erit tutum loqui, et frangitur generosa loquendi indoles, stultis ac ineptis cavillis. Manus quum verba facimus, non jactandas, non caput quatiendum, non crispandum latus, non vultum corrugandum et distorquendum, non pedes agitandos. Mendacio nihil dicebat esse tetrius, nec aliud æque abominabatur. Intemperantia facit nos belluas, mendacium diabolos, veritas semideos: a Deo natam esse veritatem, a diabolo mendacium; nec est aliud ad vitæ communionem perinde damnosum. Multo justius debere ab hominum consortio pelli mendacem, quàm qui est furatus, aut qui aliquem pulsavit, aut qui adulteravit numum. ¿Quæ enim esse potest vel rerum ac negotiorum contractio, vel consociatio sermonum cum eo, qui aliud loquitur aliud sentit? Cum reliquis vitiorum generibus esse potest aliqua, cum hoc nulla. De sodalibus, et amicitiis adolescentum multum ille loquebatur, et accurate, non exiguum id esse momentum ad probitatem, aut flagitia nostræ ætatis: transire ad nos amicorum nostrorum, et sodalium mores tamquam contagies, et tales nos fere fieri quales ii sunt, quibuscum versemur; idcirco eam in rem magnam esse diligentiam atque operam navandam: nec permittebat nobis ut ipsi amicitias, et familiaritates deligeremus, sed ut a Parentibus, aut Magistris, aut Educatoribus nostris delectas, et traditas acciperemus, et coleremus: illos ratione duci in eligendo, nos autem rapi prava animi aliqua cupiditate vel libidine; quod si quo casu in necessitudines inciderimus inutiles aut noxias, a superiore auctoritate admonitos adjicere illas quamprimum oportere. Dicebat ille quidem cum alia permulta, magna sane atque admirabilia, tum hæc ipsa diffusius, et exactius. Sed hæc erat propemodum de recta adolescentiæ educatione summa. Bredæ Brabanticæ, die Visitationis Divæ Virginis. M.D.XXXVIII.

IN-

INDEX

LATINO HISPANICUS VOCUM DIFFICILIORUM, quæ in Exercitationem Linguæ Latinæ continentur,

COMPILATUS

A D. JOANNE RAMIREZ.

A

B

C

Em-

F

Fu-

Ju-

L

M

Mul-

Q

R

S

Stru-

T

V.

AD LUDOVICUM DEMALAIN CLARISS. ADOLESCEN.
F. Mangarii disc. G. Paradinus.

Nil mirum latias hac nostra ætate camœnas
  Inter magnates exeruisse caput.
Quarum præsidio, totum sibi subdidit orbem
  Stirps Cypriæ quondam sanguine juncta deæ.
Quin tu igitur soboles illustris, et indolis altæ
  Ore loqui latio si cupis, idque brevi,
Formabit linguam, miro hic tuus ordine Vives,
  Qui precor ut studii sit scopus usque tui.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Char-

D

E

Emen-

F

G

H

Her-

I

J

LA-

L

M

N

O

P

R

S

Ser-

T

V

Ver-

FINIS.

